BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM,
BENITIÆ.
No. 1
B.
E 3.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

QUAS AD USUM SCHOLARUM

AUCTORE AC MAGISTRO

DIVO THOMA AQUINATE

COMPOSUIT

FRATER THOMAS MARIA CERBONI

QUONDAM PROCURATOR GENERALIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

TOMUS PRIMUS

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Editio prima Hispana.

VALENTIÆ:

IN TYPOGRAPHIA ILDEPHONSI MOMPIÉ, VIA S. FERDINANDI.

ANNO 1824.

Se hallará en Valencia en la librería de Mompié, *calle Nueva de San Fernando, num.* 64, *y en Madrid en las de Collado y Barco.*

COLLEGE LIBRARY

AMPLISSIMIS
AC SAPIENTISSIMIS STUDIORUM
TOTIUS HISPANIÆ MODERATORIBUS
ILDEPHONSUS MOMPIÉ,
TIPOGRAPHUS VALENTINUS
S.

Statim ac Cl. Mag. Cerbonii theologicas institutiones in lucem edere mihi in animo fuit; cum eas vestris sub auspiciis, Amplissimi ac Sapientissimi Viri, evulgandas, decrevi. Nam si ejus, a quo beneficia maxima referuntur accepta, amplificationem nominis, et natura exigit, et gratitudo postulat; cum permagnum atque singulare a vobis toti Hispanicæ genti collatum fuerit beneficium, in eo quod institutiones has ad juvenes sacra Theologia informandos, præfixeritis; jure merito ad vestri perpetuam gloriam huic primæ Hispanæ Cerbonii editioni, amplissimum nomen vestrum inscribendum duxi. ¿Quis enim animo complecti poterit, quot, quantaque ex hac laudabili sanctione in Hispanam gentem, bona fluent? Cum in eis claram, certam, solidam, utrique potestati fabentem, utramque confirmantem, roborantem, juventuti paraveritis, doctrinam? Quod quam, ne dicam utile, verum etiam, his præcipue temporibus, necessarium sit, nemo est, qui non videat. Ex nunc jam a nobis procul aberit illa opinionum, sententiarumque diversitas; illa, non minus Religioni quam Reipublicæ perniciosa, effræ-

2245

nata cogitandi libertas; ille denique noxiarum novitatum amator spiritus, omnia perturbans, omnia destruens. Inconcussa siquidem Angelici Præceptoris Divi Thomæ Aquinatis, quæ toto hoc in opere traditur, Hispana juventus imbuta doctrina, et false sentientium novatorum tela feliciter elidet, et doctas veterum sententias firmabit, et catholicam semper veritatem sequetur. Quæ, quantæ sint utilitatis, quis nesciat. Cum igitur ea, non nisi ex celebranda hac præscriptione dimanent, qua opus hocce, inter alia plura, egregia quidem, in publicis Studiorum Academiis, Universitatibusque præelegistis, tradendum; ad Vos, tamquam ad suam causam atque principium existimem referenda.

Accipite ergo, Amplissimi ac Sapientissimi Viri, hoc meæ voluntatis obsequium: quod si non ita nitidum atque correctum, ut in votis est, e meis his egreditur prælis, id saltem mihi honoris sit, quam plurimos Sacræ Scripturæ textus, quorum loca minus exacte citata in Romana editione erant, debitis propriisque restituisse locis. Quod in omnibus cum Sanctorum Patrum, tum etiam illustrium in re litteraria Virorum, a Cl. Cerbonio adductis, quoque fecissem auctoritatibus, nisi ab hoc meo proposito, et temporis brebitas, quo id opus fuit typis mandandum; et sollicitudo, qua a juvenibus Scholaribus continuo urgebar, ut eis quam primum exemplaria darentur, arcuissent.

Dum ergo Deum precor Opt. Max. ut Vos diu litterariæ Reipublicæ et gentis bono sospites servet et incolumes, opus hoc, qualecumque illud demum e prælo exivit, in mei grati animi signum excipite = Valete.

Vestri addictiss. et obsequentiss.

Ildephonsus Mompié.

NOS Fr. BALTHASAR DE QUIÑONES,
Sacræ Theologiæ Professor, ac universi Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, et Servus.

Harum serie, nostrique auctoritate officii facultatem concedimus R. P. Baccalaureo Fr. Thomæ Angelico Fanelli Vicario Hospitii nostri in Urbe typis edendi *Institutiones Theologicas*, quas ad usum Scholarum Auctore, ac Magistro Divo Thoma Aquinate composuit Fr. Thomas Maria Cerboni ejusdem Ordinis quondam Procurator Generalis, dummodo serventur cætera de Jure servanda. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

In quorum fidem &c.

Datum Viterbii in Conventu nostro Sanctæ Mariæ supra Quercum die undecima Octobris Anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi. = *Fr. Balthasar de Quiñones, Magister Ordinis.*

Reg. pag. 61. = *Fr. Petrus Dominicus Brini, Magister et Socius.*

APPROBATIO.

Jussu Reverendissimi P. N. Fr. Balthasaris de Quiñones totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis perlegimus *Institutiones Theologicas* ab Adm. R. P. Mag. Fr. Thoma Maria Cerboni ejusdem Ordinis quondam Procuratore Generali elaboratas, quas fidei catholicæ dogmatis, Sanctorumque Ecclesiæ PP. præsertim Augustini, et Thomæ doctrinæ apprime conformes; atque sacra, solidaque eruditione refertas esse comperimus. Quare perutiles esse arbitramur Juvenum institutioni, atque adeo typis mandari posse.

Dat. Romæ in Conv. S. Mariæ supra Minervam die 10. Novembris ann. Domini 1797. = *Fr. Petrus Masdea O. Prædic. S. Theol. Mag. et in Colleg. Germ. Juris Canonici Professor.* = *Fr. Benedictus Peñarrubia O. Præd. Theologus Casanatensis, et S. Congr. Indic. Consultor.*

APPROBATIO.

Opus posthumum Viri Claris. doctrina, pietate, morum integritate, ac suavitate eximii Thomæ Mariæ Cerboni Ordinis Prædicatorum, dum in vivis ageret, Procuratoris Generalis, ac Primarii Sacræ Theologiæ in Romano Sapientiæ Archilycæo Antecessoris, cui titulus, *Institutiones Theologicæ &c.*, ac sex omnino voluminibus comprehensum, ejusmodi sane est, ut Auctoris præstantissimi existimationi, quam tot aliis egregiis Operibus pro vindicanda sanctissima a Deo tradita Religione, ac Lege adversus pseudo-philosophos, ac pseudo-politicos jampridem elucubratis, editisque sibi comparavit, adamussim respondeat. In hisce Institutionibus invenient Tyrones Theologi sacrosanta Ecclesiæ Catholicæ dogmata ex incussis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Sanctorum Patrum

fundamentis nervose, ac luculentissime demonstrata, errores, quibus fides nostra impetitur, eos præsertim, qui infelici hoc ævo tantopere obstrepunt, grassanturque, manifestissime refutatos, magnamque doctrinæ, et eruditionis copiam cum magna item brevitate, claritateque conjunctam. Quare ut jussis obtemperans Rmi. P. Vincentii Pani Sacri Palatii Apostolici Magistri suffragium meum promam, sic censeo, prædictas Institutiones Theologicas a veritate, et rectitudine Catholicæ fidei nil petitus deflectentes, immo eidem adstruendæ opportunissimas, Ecclesiasticæ juventuti maximo usui futuras, proptereaque dignissimas, quæ typis mandentur, et in publicum proferantur.

Romæ ex Ædibus S. Mariæ Magdalenæ die 26. Octobris 1797. = *Michael Angelus Toni Provincialis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.*

APPROBATIO.

Apud Reverendissimum S. Apostolici Palatii Magistrum testificor Theologicas Institutiones, quas voluminibus sex omnino complexus est Reverendis. P. Cerboni, quum viveret, in Romano Archigymnasio Primariæ Theologiæ Cathedræ Moderator, longe abesse ab iis omnibus, quæ damnat Sancta Christi Ecclesia; eas autem, quæ ipsa docet veritates, exhibere definitas, confirmatas, defensas; adversantesque errores, quomodo sint retegendi, cavendi, dispellendi, tradere; ubi vero in utramque fas est disputare partem, sententiis adhærere, quæ spectabilium Doctorum possunt suffragio gloriari. Habent jam Sacræ Doctrinæ cupidi adolescentes lautitiam, qua reficiantur, immo vero satientur; suppellectilem, unde in re Theologica non initientur modo, sed et provehantur magnopere.

Romæ ex Collegio Clericorum Secularium Congregationis Doctrinæ Christianæ ad S. Mariam in Monticellis 26. Septembris 1797. = *Joannes Antonius Barberis S. Th. in eodem Collegio Lector, atque in Theologica Academia penes laudatum Archigymnasium Censor.*

IMPRIMATUR:

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici. = *Franciscus Xaverius Passeri Archiepiscopus Lariss. Vicesgerens.*

IMPRIMATUR:

Fr. Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

DISPUTAT. I.

DE QUIBUSDAM PROLEGOMENIS PRÆMITTENDIS ANTE EXPLICATIONEM LOCORUM THEOLOGICORUM.

LIBER UNICUS

De iis omnibus, quæ in hanc rem prævie animadverti debent.

Ista igitur, quæ non solum Loca Theologica, sed etiam universe, et generatim totam Theologiam respiciunt, octo capitibus complectemur. In 1. notionem, et divisionem Theologiæ trademus: in 2. disputabimus de objecto, et fine illius: in 3. de principiis: in 4. de consequentiis Theologicis, earumque diversitate: in 5. de certitudine consequentiæ Theologicæ respectu suorum principiorum: in 6. de certitudine consequentiæ Theologicæ respectu connexionis, quæ intercedit inter eam, et principia illius: in 7. de certitudine relativa consequentiarum Theologicarum: in 8. de nonnullis regulis, ad quas Theologus attendere debet.

CAPUT PRIMUM.

De notione Theologiæ, ejusque divisione.

Theologia est sermo de Deo, si habeatur ratio vocis græcæ, qua quidem, sicuti inquit S. Augustinus lib. 8. *de Civit. Dei* cap. 1., *significari intelligimus de Divinitate rationem, seu sermonem.* Nomen Theologiæ et strictiori, et latiori significatione accipi potest: latiori significatione si accipiatur, quemvis sermonem de Deo complectitur, etiam prout lumine naturæ cognoscitur ipse Deus: si autem strictiori; pro ea parte doctrinæ sumitur, quæ circa Divinitatem versatur: ita S. Joannes Evangelista a Græcis vocatur Theologus, quia Divinitatem Verbi præ aliis tribus Evangelistis luculentius exposuit. Tandem nomen Theologiæ sumitur pro ea *disciplina, quæ ex principiis revelatis per ratiocinium infert multiplices conclusiones tam de Deo, quam de iis omnibus, quæ ad ipsum quoquo modo spectant.* Ex hac definitione fit perspicua distinctio, quæ intercedit inter metaphysicam, fidem, atque ipsam Theologiam, quamvis etiam illæ duæ versentur circa res Divinas. Nam metaphysica Deum contemplatur, quatenus lumine rationis cognosci potest: Theologia autem eumdem attingit, prout innotescit ipsa revelatione: quandoquidem licet Theologia ratione quoque utatur in iis, quæ disserit de Deo, ipsius tamen potissimum est intendere revelationi. Fides rebus revelatis simpliciter assentitur, iisque quiescit: Theologia vero hos limites prætergreditur, atque ope argumentationis colligit ex principiis revelatis quæ-

eumque ad eamdem fidem tum exponendam, et illustrandam, tum firmandam, atque vindicandam conducunt. Unde ea est quoddam genus disciplinae, qua, sicut ait S. Augustinus lib. 14. *de Trinitate* num. 3., *fides saluberrima, quae ad beatitudinem veram ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

Diximus Theologiam esse disciplinam, quæ ex principiis revelatis per ratiocinationem infert multiplices conclusiones: id tamen non officit, quin ea habeat alia quoque principia præter verbum divinitus revelatum, quibus utatur ad demonstrationem illorum, quæ sibi sunt propria. Nam definitio uniuscujusque scientiæ ex intrinsecis illius peti debet.

Theologiæ Paganorum omissa divisione, quoniam ad rem nostram non facit, nostra Theologia primo dividi potest in infusam, et acquisitam: infusa est immediate a Deo, eamque Apostoli habuerunt, qui repleti Spiritu Sancto *cœperunt loqui magnalia Dei.* Quoniam vero Spiritus, ubi vult, spirat, et quando vult; studio, et labore hæc scientia ab omnibus plerumque acquiri debet, et tunc dicitur acquisita. Si ad methodum illius attendatur; in positivam, et scholasticam dividi consuevit: positiva est ea, quæ suas assertiones probat principiis positivis, hoc est, auctoritate Divini verbi, Ecclesiæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, et Patrum. Hæc dicitur etiam polemica, vel dogmatica: polemica quidem, si certamen præcipue instituat contra hostes fidei, et tota occupata sit in refellendis illorum erroribus: dogmatica vero si in comprobandis dogmatibus fidei potissimum versetur. Plerumque tamen utraque utrumque habet. Scholastica est, quæ in sua methodo sequitur regulas artis syllogisticæ, vocabulorum notiones minutius explicat, definitiones, atque divisiones subtilius investigatas præmittit, argumenta suarum assertionum firmo ratiocinio munita proponit. Scholastica dicitur, quia in Scholis, seu Academiis jam a quingentis annis in usu esse consuevit: et licet id totum complectatur, quod respicit Theologia positiva tum polemica, tum dogmatica; tamen ejus proprium est, diligentius etiam de illis pertractare, quæ ad subtiliorem explicationem dogmatum fidei licet valde conducant, ad fidem tamen non spectant.

CAPUT SECUNDUM.

De objecto, et fine Theologiæ.

Ut hac de re perspicue agamus, objectorum notio multiplex a Philosophis repetatur oportet. Id ergo, circa quod disciplina aliqua versatur, est generatim objectum illius. Objectum aliud est materiale, aliud formale: illud est res ipsa, quæ consideratur; istud autem est modus, seu ratio, qua materiale objectum attingitur. Objectum materiale distinguitur in totale, seu adæquatum, et partiale: prius est ejusdem amplitudinis cum ipsa disciplina, quatenus id omne complectitur, circa quod eadem versatur; alterum non complectitur id omne, sed ex aliqua tantum parte. Omnis veritas, seu propositio ad Deum, resque Divinas spectans,

quæ ratiocinatione colligitur ex revelatis, pertinet ad objectum materiale Theologiæ. Objectum formale illius, ut dicunt, quo, est divina revelatio virtualis, et mediata, quæ in verbo divino continetur. Hoc enim objectum positum est in ea singulari ratione, qua disciplina attingit suum objectum materiale. Revelatio, inquam, virtualis, et mediata: nam fides rebus revelatis simpliciter assentitur; Theologia autem sua argumentatione promit, quæ in divina revelatione continentur. Hinc est, ut ea, quæ sunt fidei, habeant in se longe majorem certitudinem præ aliis, quæ argumentatione theologica inferuntur ex divina revelatione: nam certitudo fidei nititur primæ veritati, quæ nec fallere, nec falli potest: quæ autem theologica argumentatione inferuntur ex divina revelatione, nituntur etiam judicio nostræ rationis, quæ et fallere, et falli potest. Illud accedit, certitudinem fidei haberi ex infusione divini luminis, quod in sui certitudine in infinitum excedit lumen naturale rationis.

Quædam nunc de Theologia, quatenus est scientia, præmittemus, ut de fine illius clarius constare possit. Theologiæ ergo convenire scientiæ rationem, dubitari non potest: nam versatur circa ea, quæ cum certis constantibusque principiis manifesta connexione nectuntur: hæc vero principia, quamvis non sint nota lumine naturæ; omnimodam tamen certitudinem habent, quum ex Divina revelatione proficiscantur. Quum ergo Theologiæ sit, argumentatione inferre, quæ cum iisdem connectuntur, procul dubio est scientia. Nihil autem obstat, principia ejus non esse nota lumine naturæ. Nam uti monet S. Thomas 1. par. qu. 1. art. 2., dantur quoque scientiæ, quæ sua principia a scientia superiori mutuantur. Theologia autem *procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, et beatorum.* Est tamen advertendum, quemadmodum monet Canus *de Locis Theologicis* lib. 12. cap. 2., quod sunt »in hac, sicut in aliis disciplinis, opinationes quædam rebus scitis, »exploratisque permixtae. Ac quemadmodum doctrina physica, naturæ »licet ipsi congruens, et consentanea, non omnes conclusiones explorate »conficit, sed quasdam probabili argumentatione suadet; sic plurima »Theologus pronunciat quidem constanter, certo, fidenter; in quibusdam »tamen præclare agi secum putat, si virisimile quod sit, invenerit." Id autem Theologus ob oculos quoad ea potissimum habere debet, de quibus eaque in utramque partem disputari potest. Scholarum opiniones eo verisimiliores sunt, quo magis accedunt ad dogmata fidei, atque ab eis, ceu rivuli quidam, a suo fonte defluunt.

Scientia vero quandoque est speculativa tantum, quandoque solummodo practica, quandoque speculativa simul; et practica: dum sistit in contemplatione sui objecti, est speculativa: practica autem, quando ad operationem tendit: speculativa, et practica simul, quando utrumque complectitur, quemadmodum Theologia facit. Ipsa enim scrutatur, quæ Dei sunt, et prout est prima veritas, increatumque principium, et prout est ultimus noster finis. Deus prout est prima veritas, et principium increatum, unus in essentia, trinus in personis, est secundum se terminus altissimæ contemplationis: prout vero est ultimus finis noster, est pri-

mum principium, atque regula nostrarum actionum: indeque Theologia tradit plura præcepta tum quoad fugam vitiorum, tum quoad exercitationem virtutum, quo sane utroque ad Deum pertingimus. Quapropter Theologiæ primus finis est contemplatio, et notio Diviuæ naturæ, quæ, verbo Divino prælucente, prout tamen in hac vita fieri potest, nobis innotescit: secundus autem est actio earum rerum, quæ necessariæ sunt ad honestatem morum, atque ad recte vivendum secundum legem Evangelicam.

CAPUT TERTIUM.

De Principiis Theologiæ.

„Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinæ, eo „quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur" inquit S. Thomas 1. par. qu. 1. art. 8. ad 2. Quare, sicuti animadvertit idem S. Doctor citata quæst. art. 1. ad 2., hæc Theologia, quæ pertinet ad Sacram doctrinam, differt ab ea, quæ est philosophiæ quædam pars, quæque Theologia naturalis vocari solet. Quamvis enim utraque circa aliqua æque versetur; tamen Theologia naturalis versatur, prout naturæ lumine, nostra vero Theologia prout Divina revelatione cognoscuntur. Nihilominus quædam a philosophicis disciplinis ipsa quoque mutuatur, non quasi indigeat illis, sed ad magis magisque explicanda, quæ tradit, atque etiam ad efficiendum intellectum paratiorem ad ilia intelligenda; quia intellectus ex cognitis lumine naturæ facilius assurgit ad alia, quæ sunt supra naturam.

Theologia ergo habet sua propria principia, eaque in Divino verbo scripto, vel tradito continentur. Ab hisce duobus fontibus propria, et germana Theologiae principia proficiscuntur. Nam fundamenta alia nemo potest ponere præter ea, quae posita sunt, Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Quare libri Sacri, et traditiones Apostolicæ sunt fundamentum totius doctrinæ Theologicæ, Summi vero Pontifices, Concilia, Patres, et Ecclesiæ Doctores superædificant. Singillatim ergo principia Theologiæ nunc recenseamus.

Principia prima omnium sunt illa duo: Deus est: et se inquirentibus est remunerator. In his enim, tamquam in primis credibilibus, omnes articuli fidei implicite continentur. Nam, monente S. Thoma 2. 2. qu. 1. art. 7., per hoc quod credamus esse Deum, simul credimus omnia, quæ ab æterno sunt in Deo: in fide autem providentiæ, quam habet Deus de salute hominum, includuntur omnia, quæ Deus elargitus est nobis, atque etiam elargitur, ut beatitudinem æternam consequamur. Quare dupliciter considerari potest Deus, scilicet et quatenus naturæ, et quatenus eorum, quæ sunt supra naturam, est principium, et finis: juxta priorem acceptionem, naturæ quoque lumine Deum attingimus: juxta alteram, Deum quodammodo cernimus lumine quodam superiori, quo nobis de eo manifestantur, quæ nostra ratione assequi non possumus. Quando igitur Apostolus inter illa quæ credere

oportet. hæc duo primo loco ponit, hoc est, Deum esse, et esse quoque remuneratorem inquirentium se. de Deo loquitur, non prout notitia naturæ, sed prout illustratione superiori cognoscitur rerum supernaturalium primum principium, et ultimus finis. Hoc autem sensu S. Thomas affirmat, in primis illis duobus credibilibus omnes articulos fidei contineri.

Theologia præter hæc duo prima, et generalia principia habet quoque alia, quæ sunt æque prima, sed tamen contractiora. Hunc in censum veniunt fundamentales articuli fidei, quos omnes Fideles explicite credere debent, hoc est, unitas Deitatis, Trinitas Personarum, Incarnatio, et Passio Jesu Christi &c.

Præterea inter principia Theologiæ ea quoque omnia locum habent, quæ in Divino verbo scripto, vel tradito continentur, et ordinata sunt vel ad explicandam Dei naturam, potestatem, majestatem, vel ad declarandam benevolentiam ejus erga homines, ac procurationem rerum omnium; quæ utiles iisdem, aut necessariæ esse possunt. Hæc enim licet neque fidei, neque Theologiæ sint prima capita; tamen Theologus accipit uti principia certa, perinde ac acceperat articulos fidei. Principia ergo usque modo recensita sunt Theologiæ legitima, et germana principia, nonnulla quidem eorum prima, et generalia, alia itidem prima, attamen contractiora, quædam secunda.

Sunt propria Theologiæ alia quoque principia, quæ a prædictis principiis superioribus proficiscuntur, sicuti eorumdem quædam explicationes auctoritate legitima factæ: Ad hujusmodi vero principia potissimum revocantur ea omnia, quæ habemus Ecclesiæ Catholicæ, Summi Pontificis, et generalium Conciliorum auctoritate constituta: secundo autem, et minus principaliter, quæ alicujus Concilii non generalis, nonnullorum Patrum, plurimorum Theologorum, vel juris Pontificii peritorum, aut etiam Sacrarum liturgiarum sunt suffragio comprobata.

Etiam ab aliis disciplinis per se perspicuæ, atque evidentia principia Theologia quandoque mutuatur. Hujusmodi tamen principia non sunt propria illius, sed foris inventa in suum usum transfert. Ratio autem naturalis, auctoritas Philosophorum, et juris Cæsarei peritorum, atque historia, talia principia Theologiæ suppeditat. Horum omnium pleraque ex Cano delibavimus lib. 12. *de Locis Theologicis* cap. 3.

Loca ergo Theologica, de quibus in distinctis libris singillatim pertractabimus, sunt decem, quæ nunc recensemus. Primus locus est auctoritas Sacræ Scripturæ, quæ continetur in libris Canonicis: secundus traditionum Christi, et Apostolorum, seu verbi Divini non scripti: tertius Ecclesiæ Catholicæ: quartus Romani Pontificis: quintus Conciliorum Œcumenicorum, Sextus, Patrum, Conciliorum non Œcumenicorum et Sacrarum liturgiarum: septimus Theologorum, atque etiam juris Pontificii peritorum: octavus rationis naturalis: nonus Philosophorum, et juris Cæsarei peritorum, seu ipsius Cæsarei juris: decimus humanæ historiæ. In duobus primis locis legitima, et germana Theologiæ principia continentur: in tribus postremis externa, et alie-

na: in quinque intermediis semper magis explicantur, atque elucidantur, licet non auctoritate ejusdem ponderis, legitima et germana principia Theologiæ.

Agere autem instituimus primo de Divino verbo scripto, deinde de tradito, licet istud sit antiquius, eodemque illud nitatur, tum ut sequamur ordinem, quem præstantissimi viri sequuti fuere, tum ut primo loco ostendamus, quam in multis errent hæretici in eo quoque Theologiæ loco, de quo nobiscum conveniunt.

CAPUT QUARTUM.

De Theologicis consequentiis, seu conclusionibus, earumque diversitate.

Lib. 12. *de Locis Theolog.* cap. 5. hoc etiam de argumento Canus sapientissime egit. Quando ergo aliqua de re, quæ spectat ad Theologiam, instituitur disputatio, tum habetur quæstio Theologica: consequentia autem, quando ratiocinatione colligitur, atque determinatur, quid sentiendum sit. Unde consequentia Theologica in se spectata non est revelata a Deo, sed ex uno, aut pluribus decretis fidei revelatis a Deo evidenter mediante argumentatione eruitur. Si enim revelata esset, licet ex aliis capitibus fidei inferri ea posset, jam non foret, si accurate loqui velimus, consequentia Theologica, sed caput fidei, et quidem ejusdem dignitatis, et auctoritatis cum ceteris. Talis consequentiæ plura exempla habemus in Christo, cui plura, quæ sunt propria hominis, tribuenda esse theologica consequentia infertur ex revelato principio veræ humanitatis illius. Non est item locus consequentiæ Theologicæ, dum aliquod fidei caput exponitur, atque explicatius evolvitur, quod intrinsecus in eo continetur. Ad consequentiam ergo Theologicam necessario requiritur, ut quod in principiis Theologiæ implicite tantum continetur, et quodammodo delitescit, per ratiocinationem quasi extrahatur, et in lucem producatur. Quamvis autem tam ad quæstionem, quam ad consequentiam Theologicam ea proprie spectent, quæ ex Theologiæ principiis definiri, atque determinari possunt; tamen in censum quæstionum, et consequentiarum Theologicarum aliæ quoque veniunt, quæ licet ex Theologiæ principiis non proficiscantur, ad explicationem tamen illarum, quæ sunt revera Theologicæ, plurimum conducunt.

Quæstionum itaque, et consequentiarum Theologicarum duo sunt genera: ad cognitionem unum, alterum ad actionem refertur, indeque, uti modo vidimus, Theologia est simul speculativa, et practica. Si quæratur, utrum Pater, et Filius sint unum Spiritus Sancti principium, quæstio est cognitionis: actionis autem, si de necessitate suscipiendi sacramenta disputatio instituatur.

Quæstiones, et consequentiæ Theologicæ, quæ spectant ad cognitionem, sunt quadripartitæ juxta quadruplex genus quæstionum, quas Aristoteles intulit in omnes scientias, nempe utrum res sit, quid sit, qualis sit, et propter quam causam sit. Circa hæc quatuor ea quæ-

stio, adeoque et consequentia versari potest, quæ dicitur cognitionis. Actionis autem sunt duo genera: unum earum rerum, quæ ad salutem consequendam necessariae sunt, alterum illarum, quæ sunt utiles.

Ex hoc consequitur alia divisio quæstionis, et consequentiæ Theologicæ, sive ad cognitionem, sive ad actionem illæ referantur. Nonnullæ enim sunt veræ quæstiones, et consequentiæ fidei, pro quibus Theologus omnino decertare debet: aliæ vero sunt, quæ sine jactura fidei non solum ignorari, sed et negari possunt.

Rursus quæstio, et consequentia Theologica, sive ad contemplationem, sive ad mores spectet, alia est naturalis, alia supernaturalis: quæ est supernaturalis, principia tantum supernaturalia habet, atque ab iis solummodo pendet. Consequentia autem Theologica proprie dici ista non poterit, semel ac in iisdem principiis evidentissime expressa habeatur, quamvis argumentatione quoque ex iis erui possit: si autem implicite contineatur, idque certa argumentatione demonstretur, consequentia proprie Theologica erit. Theologica quæstio, et consequentia, quæ etiam ex naturæ principiis determinari potest, dicitur naturalis. Occurrunt enim multa, quæ licet in Divino verbo revelata habeamus, ratione quoque naturali comprobari, ostendique possunt.

Dantur etiam quæstiones, et consequentiæ Theologicæ, quæ, licet supernaturales, ex principio quoque naturali pendere videntur, et sunt aliæ, quæ partim ex principio supernaturali, partim ex naturali revera pendent. Dixi de illis, quod pendere videantur, quia revera non pendent. Tales sunt eæ quæstiones, atque consequentiæ, quæ licet ex sola Divina revelatione determinari possint, quia naturæ cognitionem excedunt; tamen etiam naturali ratione, non tam suadentur, quam explicantur, ac semper magis magisque enodantur. Id agunt rationes, quæ congruentes vocari consueverunt, quibus etiam dogmata fidei firmantur, et majori lumine clarescunt, et quidem absque ullo detrimento fidei, quum fidem in auditore præsupponant, non vero inducere debeant. Covendum ergo est, ne hujusmodi rationes, quas idemtidem etiam S. Thomas in Summa sua Theologica adfert ad comprobanda dogmata fidei, certarum loco demonstrationum habeantur; tamen nullo modo sunt contemnendæ, quum illud ex iis consequatur, ut fides nostra eo modo, quo fieri potest, naturæ quoque lumine firmetur.

Consequentiæ, quæ partim ex supernaturali, partim ex naturali principio pendent, eæ sunt, quæ inferuntur ex duabus propositionibus, de quarum una solummodo constat lumine fidei, de altera, cum priori omnino connexa, lumine rationis: hujus generis hæc est: Christus habet duas naturas perfectas, Divinam, et humanam: sed natura perfecta habet intellectum, voluntatem, suasque item proprias operationes: ergo sunt in Christo duo intellectus, duæ voluntates, atque operationes propriæ utriusque naturæ. His præmissis de notione, et de divisione consequentiæ Theologicæ, nunc de certitudine ejus.

CAPUT QUINTUM.

De certitudine consequentiæ Theologicæ, habita ratione principiorum, ex quibus infertur.

In memoriam nunc revocari debent, quæ de principiis Theologiæ cap. 3. disseruimus. Primo ergo loco videamus de certitudine consequentiæ Theologicæ, habita ratione eorum principiorum, quæ propia, et germana Theologiae esse diximus.

Prop. I. Quæ ex hoc genere principiorum inferuntur consequentiæ Theologicæ, eamdem ac ea, quæ sunt fidei, certitudinem non habent.

Prob. prop. Ea non eamdem, sed omnino diversam certitudinem habent, quibus propter diversum principium, et causam assentimur; nam assensus pro diverso principio, et causa assentiendi diversus evadit, atque ab illis sumit suam speciem: sed si fidem spectemus, assentiendi principium, et causa est immediate Divina revelatio, quæ ab Ecclesia proponitur omnibus; si autem ad consequentiam Theologicam attendamus, ratio assentiendi consistit in illius cum Divina revelatione per argumentationem manifestata, et detecta connexione: ergo tum eorum, quæ sunt fidei, tum consequentiæ Theologicae non potest esse eadem certitudo, sed longe major est illorum, quam istius, quia certitudo illorum ab infallibili, istius a fallibili principio proficiscitur.

Et re quidem vera duo ad fidem requiruntur: 1. ut, quod creditur, sit revelatum divinitus: 2. ut, de hoc ex Ecclesiæ judicio constet, quia ejus solo judicio Divina revelatio nobis perspecta esse potest. Quare, habito respectu fidei, revelatio est ratio, cur assentiamur iis, quæ sunt fidei: judicium Ecclesiæ est medium, quo Divina revelatio nobis innotescit: objectum autem est aliquid revelatum. Hæc sane Theologica consequentia non habet, neque requirit: ratio enim, ob quam illi assentimur, consistit in connexione ejus, quæ per argumentationem detegitur, cum Divina revelatione: medium est ipsa ratio, quæ hujusmodi connexionem demonstrat: tandem objectum non est aliquid revelatum, sed quidpiam, quod ex revelatione consequi debere, evincitur ipsa argumentatione. Quare sive ratio, sive medium, sive objectum attendatur, sunt sane hæc tria omnino diversa in fide, et in consequentia Theologica. Hæc ergo ab illa omnino differt, diversamque certitudinem habet, et quidem longe minorem.

Dices. In Christo esse Divinam, et humanam voluntatem, quia tam Divinam, quam humanam naturam habet, est consequentia Theologica: sed Monothelitæ, qui hanc consequentiam de duplici voluntate negarunt, hæretici habiti fuere: ergo consequentia Theologica est de fide, eamdemque cum fide certitudinem habet.

R. dist. mi., ob auctoritatem Ecclesiæ definientis, con:, vi, et virtute consequentiæ Theologicae, ne: Quando aliquid spectare ad fidem Ecclesia definit, illudque negantes hærecticos esse decernit, primo

magna, atque diligenti conquisitione facta, perscrutatur, et maturius expendit, utrum in Divino verbo contineatur, quod in quæstione positum est, et ab ipsa definiri debet. Argumenta, ratiocinia, disputationes, et alia id genus prævia definitioni, quibus perspectum fit, utrum hoc, vel illud in Divina revelatione contineatur, vel non contineatur, sunt opus humani studii, et laboris, non vero definitio, quæ ad illa consequitur. Apostoli quando simul in unum convenere, ut viderent, utrum Fideles ad observationem legalium obligandi essent, magnam hac de re conquisitionem fecerunt, sicuti *Actor.* cap. 15. legitur: tamen postea in decreto, quod ediderunt, non ad præcedentem disputationem respexere, sed ad Spiritus Sancti lumen, quo ducebantur, indeque tale fuit decretum eorum: *visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Hujusmodi vero lumen est sane illud, quo Ecclesia dirigitur, quando definit aliquid spectare ad fidem, eoque non manifestatur illi nova quædam revelatio, sed quæ jam facta est, detegitur, legitimusque ejus sensus aperitur juxta illud. *Lucae*, cap. 24. *Dominus aperuit sensum discipulis, ut intelligerent Scripturas.* Quapropter et Fideles assentiuntur veritati fidei ab Ecclesia definitæ, et damnantur hæretici, utpote hujusmodi veritati contradicentes, non quidem vi Theologicæ ratiocinationis, et consequentiæ inde illatæ, sed definitionis, Spiritu Sancto dirigente, ab Ecclesia prolatæ. Quapropter in hujusmodi definitionibus testimonium Ecclesiæ est veluti quædam via, et quidem omnino tuta, atque infallibilis propter superius affulgens lumen Divini Spiritus, qua manifestatur Divina revelatio; tamen Divina revelatio est ea, in qua fides conquiescit. In consequentia Theologica ope ratiocinationis detegitur connexio illius cum doctrina revelatæ: hæc autem ipsa connexio est veluti terminus, in quo sistit Theologus, sicuti in causa, et ratione assentiendi. Unde et nimis latum discrimen inter fidem, atque consequentiam Theologicam intercedit, et longe inferioris certitudinis præ ipsa fide est consequentia Theologica.

Dices. II. cum Heiddegero in *Corpore Theolog. Christ.* loco 1. num. 43. Tale unumquodque est, quale est illud, ex quo sequitur, et in quo continetur: igitur ex revelatis non alia, quam revelata, consequuntur.

R. Cum distinctione: si per se, et aperte contineatur, vel sequatur, conc:, si contineatur implicite, adeoque ipsa argumentatione evincatur contineri, neg: Est axioma receptum ab omnibus: propter quod unumquodque tale et illud magis. Porro consequentia Theologica suam certitudinem ab ea connexione desumit, quæ per argumentationem ostenditur intercedere inter ipsam, et doctrinam revelatam. Si ergo consequentia Theologica a doctrina revelata suam certitudinem mutuatur, hujusmodi certitudo major in doctrina revelata, quam in consequentia Theologica esse debet. Quamvis ergo illud, quod in alio principio continetur, ejusdem cum illo certitudinis esse possit, semel ac per se, atque ita aperte contineatur, ut eamdem naturam præseferat; non tamen quando continetur implicite, sicuti contingit, si ratio habeatur consequentiæ Theologicæ, et doctrinæ revelatæ. Etiam quidam Catholici Theologi propugnant consequentiam Theologicam esse ejusdem cer-

titudinis cum principiis fidei: verumtamen ob diversam rationem, qua hoc idem Heiddegerus quoque tuetur: ipse enim hanc sententiam tuetur, quia quoad dogmata fidei nullam definitionis Ecclesiæ rationem habet.

Auctores tum catholicos, tum acatholicos, qui vel negant, vel tuentur, quæ ex doctrina revelata inferuntur consequentia theologica, habere eamdem certitudinem cum iis, quæ sunt fidei, recensuit Veronius tom. 3. suorum operum par. 5. in sua *Regula fidei* cap. 1. §. 3., quam Walenburchenses tanti fecerunt, ut semel initum a se consilium scribendi de hoc capite doctrinæ deposuerint, atque Veronii *Regulam de fide* tom. 2. in fine suis operibus inserendam curaverint. Veronius autem sententiam nostram tuetur: ad quam si quidam Scholastici attendissent, contra decreta Summorum Pontificum audacter non dixissent, esse hæreticam illam sententiam, quam ipsi oppugnabant.

Prop. II. Consequentiæ Theologicæ illatæ ex illis Theologiæ principiis, quæ primo, et præcipue sunt explicationes primorum, atque germanorum Theologiæ principiorum, non sunt ejusdem certitudinis cum iisdem principiis.

Prob. prop. Principia Theologiæ, quæ a primis, atque germanis proficiscuntur, eorumdemque veluti quædam explicationes haberi possunt, ea primo, et præcipua esse diximus, quæ constituta habemus auctoritate Ecclesiæ, Summorum Pontificum, Œcumenicorumque Conciliorum; secundo autem, et minus principaliter, quæ alicujus Concilii non Œcumenici, nonnullorum Patrum, plurimorum Theologorum, vel juris Pontificii peritorum, aut etiam sacrarum liturgiarum auctoritate sunt comprobata. Vis ergo principiorum, quæ primo, atque præcipue sunt explicationes propriorum, atque germanorum Theologiæ principiorum, in Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum, vel Conciliorum Œcumenicorum auctoritate posita est: vis autem consequentiæ Theologicæ, consistit in connexione ejus cum iisdem principiis, quam revera interesse per argumentationem detegitur: ergo vis illorum omnino diversa est a vi consequentiæ Theologicæ: ergo non est eadem certitudo tam hujusmodi principiorum, quam consequentiae Theologicæ, sed istius longe minor, ac illorum. Quandoquidem illa principia propter auctoritatem longe plus ponderis habent, quam consequentiæ Theologicæ illatae ex iisdem, indeque nunquam fieri potest, ut ipsæ quoque evadant principia Theologiæ, et nemo illis sine discrimine fidei reluctari possit.

Hoc idem dicendum est, quoniam, servata proportione, eadem semper ratio recurrit, de aliis consequentiis Theologicis, quæ secundo loco, et minus principaliter sunt quædam explicatianes primorum, atque germanorum Theologiæ principiorum.

Prop. III. Illæ etiam consequentiæ Theologicæ, quæ inferuntur ex tribus ultimis principiis Theologiæ, non sunt ejusdem certitudinis cum illis.

Prob. prop. Hæc ultima tria principia sunt, sicuti monuimus, ratio naturalis, auctoritas philosophorum, juris Cæsarei peritorum, et huma-

næ historiæ, quæ quidem non sunt propria Theologiæ, sed ab aliis accepta disciplinis. Istæ igitur consequentiæ Theologicæ, non secus ac aliæ omnes, quam habent certitudinem, prorsus omnem mutuantur a certitudine principiorum ob connexionem, quæ inter eas, et sua principia intercedere mediante ratiocinatione ostenditur; indeque est, ut consequentia Theologica sit majoris certitudinis, quo arctiorem ejus cum suis principiis connexionem esse, ipsa ratiocinatione evincitur. Judicium autem hujus rei ad rationem spectat. Ex hoc autem ultro consequitur, principia esse debere magis certa, quam sint ex iisdem illatae consequentiæ Theologicæ.

CAPUT SEXTUM.

De certitudine relativa consequentiarum Theologicarum, earumdem cum suis relativis principiis habita ratione.

Huc usque egimus de certitudine consequentiarum Theologicarum absolute, hoc est, habita solummodo ratione principiorum, ex quibus inferuntur; nunc vero de certitudine earumdem agere instituimus, illarum ad se invicem facta comparatione relate ad illa principia, ex quibus proficiscuntur.

Prop. I. Si ad principia solummodo attendamus, præ aliis omnibus consequentiis Theologicis major certitudo inest iis, quæ ex propriis germanis Theologiæ principiis inferuntur.

Prob. prop. Consequentiæ Theologicæ suam certitudinem accipiunt ab illis principiis, a quibus proficisci, vel cum iisdem connexa esse, per ratiocinationem ostenditur: sed propria, et germana principia Theologiæ, vel prima ea sint, vel secunda, in Divino verbo revelato continentur, nihilque magis certum esse potest hoc Divino verbo, quum ab infallibili veritate proficiscatur: ergo si ad principia solummodo attendamus, præ ceteris consequentiis Theologicis major certitudo inest in iis, quæ ex propriis, et germanis Theologiæ principiis inferuntur.

Prop. II. Sub eodem respectu ad prædictarum consequentiarum certitudinem quam proxime accedunt consequentiæ Theologicæ illatæ ex illis principiis, quæ primo, et præcipue sunt veluti explicationes propriorum, et germanorum Theologiæ principiorum, minus vero proxime aliæ, illatæ ex aliis principiis, quæ minus præcipue sunt explicationes propriorum, et germanorum Theologiæ principiorum.

Prob. prior pars. Hujusmodi consequentiæ Theologicæ, quamvis a Divino verbo revelato, a quo maxima certitudo consequentiæ Theologicæ profluit, immediate non inferantur, tamen inferuntur ex definitionibus Ecclesiæ, Summorum Pontificum, et Conciliorum Œcumenicorum, quæ in rebus fidei, Divino Spiritu regente, factæ sunt, iisque definitum habemus, in Divino verbo contineri, quod iisdem sancitur: ergo propter legem connexorum, si ad principia attendamus, consequentiæ illatæ ex illis principiis, quæ primo, et præcipue sunt explicatio-

nes propriorum, et germanorum Theologiæ principiorum, quam proxime accedunt ad certitudinem illarum consequentiarum, quæ ex iisdem principiis immediate inferuntur.

Proxime, inquam, accedunt, non tamen eam exæquant: nam 1. divino verbo revelato immediate non nituntur, sed definitionibus Summorum Pontificum, aut Conciliorum Œcumenicorum: 2. præsupponunt connexionem sui cum hujusmodi definitionibus: ergo magis distant a Divino verbo, quam prædictæ consequentiæ Theologicæ.

Prob. altera pars. Explicationes minus præcipuæ Divini verbi minus participant de certitudine ejus, quam aliæ, quæ ejusdem Divini verbi sunt primæ, atque præcipuæ explicationes, uti per se patet: ergo, habita ratione principiorum, consequentiæ illatæ ex illis sunt minoris certitudinis consequentiis illatis ex istis. Quæ enim minus de certitudine participant, minus certa esse debent.

Prop. III. Consequentiæ Theologicæ illatæ ex iis principiis, quæ ab aliis disciplinis Theologia mutuatur, sunt præ aliis omnibus inferioris certitudinis, semel ac ad principia attendatur.

Prob. prop. Principia enim, a quibus hujusmodi consequentiæ proficiscuntur, sunt inter alia principia Theologica minoris certitudinis, ut pote quæ nullo modo ex Divina auctoritate, sed a ratione, vel facto suam originem habent: igitur, si ad principia attendatur, etiam consequentiæ illatæ ex illis præ aliis consequentiis Theologicis inferioris certitudinis esse debent.

CAPUT SEPTIMUM.

De certitudine consequentiæ Theologicæ semel ac ad eam connexionem attendatur, quam habet cum suis principiis.

Major, vel minor certitudo consequentiæ Theologicæ non solum pendet a majori, vel minori, certitudine ejus principii, a quo proficiscitur, sed etiam ab illa connexione, quam per argumentationem inesse majorem, vel minorem convincitur inter principium, et consequentiam Theologicam. Hinc contingere potest, atque etiam sæpissime contingit, ut una consequentia Theologica sit certior altera, licet principia istius majorem certitudinem habeant, quam illius. Hoc autem non aliunde consequitur, nisi quia ope argumentationis magis evidenter apparet connexio cum suis principiis prioris illius consequentiæ Theologicæ, quam alterius. Sub hoc ergo aspectu certitudinem consequentiarum Theologicarum nunc expendemus, atque illud præmittimus, criterium de majori, vel minori certitudine consequentiæ theologicæ, habita ratione connexionis, quam ipsa habet cum suis principiis, pendere a recto judicio rationis, quod et nullo præjudicio præoccupatum sit, et vim ratiocinationis accurate expendere valeat.

Prop. I. Certitudo consequentiæ Theologicæ magis pendet a connexione, quam habet cum suis principiis, quam ab ipsa certitudine principiorum.

Prob. prop. Tam ex iis locis, quæ propria, et germana Theologiæ esse diximus, quam ex aliis, quæ vel primo, atque præcipue, vel secundo, et minus principaliter sunt quædam explicationes eorumdem primorum principiorum, tum hæretici, tum Catholici sua argumenta eruunt, atque inferunt consequentias Theologicas: argumenta illorum, quamvis vero principio nitantur, inania sunt, itemque falsæ consequentiæ, quas sua ratiocinatione inde colligunt; istorum autem et firma sunt argumenta, et illatæ consequentiæ participant de certitudine suorum principiorum. Id vero discriminis ex diversitate principiorum, quum apud utrosque esse eadem nunc supponamus, proficisci non potest: ergo ab ea connexione proficiscatur oportet, quæ quidem inest inter principia, et consequentias Theologicas Catholicorum, nullo autem modo inter principia, et consequentias Theologicas hæreticorum: ergo certitudo consequentiæ Theologicæ magis pendet a connexione, quam habet cum suis principiis, quam ab ipsa certitudine eumdem principiorum.

Prop. II. In ferendo itaque judicio de certitudine consequentiæ Theologicæ ad duo simul attendatur oportet, hoc est, et ad principia ejus, et ad connexionem, quam cum iisdem habet.

Prob. prop. Quamvis enim, si ad principia tantum attendamus, consequentia Theologica eo magis certa sit, quo majorem certitudinem habent principia ejus; tamen ut hanc a suis principiis certitudinem ipsa participet, necessario requiritur. Hæc autem participatio fit per eam connexionem, quam inter consequentiam Theologicam, et principia ostenditur inesse: ea ergo si habeatur, tunc sane consequentia Theologica firma, atque certa erit: si autem non habeatur, erit omnino falsa, et inanis, quemadmodum modo vidimus. Ergo fallamur oportet, si in ferundo judicio de certitudine consequentiæ Theologicæ et ad principia ejus, et ad connexionem, quam cum illis habet, simul non attendamus.

Prop. III. Diversus est gradus certitudinis consequentiæ Theologicæ secundum diversitatem tum certitudinis principiorum, tum connexionis, quam cum iisdem habet.

Prob. prop. Quamvis consequentiæ Theologicæ non sint ejusdem certitudinis cum suis principiis, quemadmodum ostendimus in cap. 5., tamen, habita ratione principiorum, sunt illæ sane certiores, quæ inferuntur ex principiis magis certis, sicuti constat ex cap. 6. Non sufficit autem ad certitudinem consequentiæ Theologicæ certitudo principiorum ejus, sed etiam requiritur, ut ratiocinatione ostendatur, revera intercedere connexionem inter consequentiam Theologicam, et principia ejus, sicuti modo palam fecimus: ergo diversitas gradus certitudinis consequentiæ Theologicæ necessario pendet tum a diversa certitudine principiorum ejus, tum a diversa connexione, hoc est, magis minusve certa, quam cum iisdem ipsa Theologica consequentia habet.

Prop. IV. Una consequentia Theologica propter majorem connexionem cum suis principiis potest esse certior altera, quamvis illa habeat principia minus certa ista autem magis certa.

Prob. prop. Dubitari non potest, quin verbum inspiratum divinitus,

Ecclesiæ decreta, definitiones Summorum Pontificum, atque Conciliorum sint principia magis certa, et firma præ iis, quæ Theologia ab aliis disciplinis mutuatur: tamen si, quæ eruitur consequentia Theologica ex prioribus illis principiis, remotissime eruatur; contra vero si, quæ eruitur ex istis aliis, valde proxime eruatur, indeque connexio illius consequentiæ cum suis principiis sit remotissima, istius autem proxima, ac propterea etiam evidens; illud per se ultro consequitur, ut Theologica consequentia, licet eruta ex principiis minus certis, tamen ob arctam connexionem cum illis sit magis certa altera consequentia Theologica, eruta quidem ex principiis certioribus, sed valde remote propter sui remotam connexionem cum illis. Hoc autem inde contingit, quia, sicuti in prima propositione hujus capitis ostendimus, certitudo consequentiæ Theologicæ magis pendet a connexione, quam habet cum suis principiis, quam ab ipsa certitudine principiorum.

CAPUT OCTAVUM.

De quibusdam regulis, quas Theologus ob oculos habere debet, dum judicat de Theologicis consequentiis.

I. Regula. Quoniam principia Theologiæ et sunt plura, et non omnia unius ejusdemque auctoritatis, aliundeque ex certitudine principiorum aliqua ex parte pendet certitudo consequentiæ Theologicæ; ex quibusnam Theologiæ principiis consequentia Theologica eruatur, Theologus advertere debet, ut de certitudine ejus rectum judicium ferre possit.

Diximus enim Theologiæ principiorum alia propria, et germana esse, atque istorum nonnulla prima, et generalia, quædam prima, sed contractiora, aliqua vero secunda, omniaque ista repeti ex verbo Divino scripto, vel tradito: esse quoque alia principia Theologiæ monuimus, quæ ab illis prioribus, sicuti eorumdem quædam explicationes, profluunt, nonnulla quidem primo, et præcipue, alia secundo, et minus præcipue: illa suppeditat auctoritas Ecclesiæ Catolicæ, Summi Pontificis, Conciliorum Œcumenicorum, ista Patrum, Theologorum, juris Pontificii peritorum, atque etiam Sacrarum Liturgiarum. Ab alienis quoque disciplinis Theologiam nonnulla sua principia mutuari diximus, hoc est. ab auctoritate philosophorum, juris Cæsarei peritorum, et humanæ historiæ. Qua ratione Theologus hujusmodi locis uti debeat, quanta sit auctoritas illorum, quomodo Theologia ab eis sua principia accipiat, singillatim mox explicaturi sumus: nunc illud unum sufficit nobis, quod nemo non dare debet, hoc est, propter sui auctoritatem illa principia primum in Theologia tenere locum, quæ a Divina revelatione scripta, ve tradita, utpote ab infallibili veritate profecta, proficiscuntur: secundum quæ proficiscuntur ab auctoritate Catholicæ Ecclesiæ, Summi Pontificis, Conciliorum Œcumenicorum, qua sane nulla major in terris dari potest: tertium; quæ desumuntur ex placitis nonnullorum Patrum, Theologorum, juris Pontificii peritorum, atque etiam ex Sacris Liturgiis: nam

hæc quoque apud bene moratum Theologum quam maximam auctoritatem habere debent : quartum demum; quæ suppeditat ipsa ratio, auctoritas tum philosophorum, tum juris Cæsarei peritorum, atque historia humana: hæc enim, quia in se spectata, aliena sunt ab ipsa Theologia, ultimum locum tenent. Semel ac ergo a certitudine principiorum pendeat, aliqua saltem ex parte, certitudo consequentiæ Theologicæ, quemadmodum revera pendere jam ostendimus, ut rectum de ista judicium feramus, mente prius advertere debemus, ex quibus Theologiæ principiis eruatur, quoniam non omnia sunt ejusdem certitudinis, quemadmodum constat etiam ex ipso lumine rationis.

II. Regula. Theologus diligentissime animadvertere debet, quam connexionem habeat cum suis principiis consequentia Theologica, ut de certitudine ejus recte judicare possit.

Duo sane ad hoc pervidendum necessaria esse decernimus: 1. ut procul absit propositum obstinate defendendi vel proprias opiniones, vel suorum: 2. requiritur rectum criterium rationis; tamen quemadmodum lumen rationis propter pravas cupiditates obscuratur in nobis quoad ea, quæ agenda sunt, indeque ipsa ratio obtenebrata non ab ipsa rectitudine, et honestate, sed a falsa bonitate, apparentique bono sæpe ducitur; ita etiam semel ac nos occupaverit nostras, vel nostrorum opiniones obstinate defendendi propositum, quæ connexio intercedat inter consequentiam Theologicam, ejusque principia, amplius sola ratione non introspicimus, sed ipsa ratio veluti obnubilata quadam inordinata cupiditate tuendi sua, refellendi vero aliena, quæ faciunt pro istis, mature, et pacate non expendit, quæ vero pro illis, ullo sine examine arripit, indeque fit, ut in illis consequentiis Theologicis, quas non sine obstinatione tueri constituit, videat, vel potius videre sibi fingat, eam connexionem, quæ inter ipsas, et principia revera non intercedit: in aliis vero, quas pariter obstinate refellere decrevit, non videat illam connexionem, quæ revera intercedit.

Requiritur etiam rectum criterium rationis ad videndam connexionem, quæ est inter principia, et consequentiam Theologicam. Nam quamvis sint omnes præditi ratione; tamen non omnes eadem aequaliter vident. Unde ex iis quoque, qui studio litterarum operam dedere, et post Philosophicas, disciplinis Theologicis digenter incubuerunt, non omnes sunt æque apti ad illum nexum perspiciendum, qui intercedit inter consequentias Theologicas, earumque principia. Attentio mentis ad ea, quæ ingenii acumen singulariter exposcunt, studia graviora, meditandi usus, indoles quoque ad quamdam moderatam serietatem conformata, ad id valde conducunt: contra vero semel ac quis omnino incumbat aliis, quæ in memoriæ exercitatione sunt præcipue posita, eo litteraturæ genere delectetur, quod minus grave est, meditatione non assueverit perscrutari veritates, atque aliunde quoque indolem habeat in proposito semel suscepto minus firmam, sed amantem varietatis, atque novitatis; tunc sane iste ex sui natura minus dispositus est ad eum nexum videndum, de quo nunc loquimur. Quare et omnis obstinata præoccupatio quoad ea

exuatur oportet, de quibus in scholis juxta propria uniuscujusque placita disputari consuevit, et ingenii acumen serio, atque mature intentendendum est, ut rectum judicium ea de connexione feratur, quæ inter consequentias Theologicas, earumque principia intercedit.

III. Regula. In ferendo judicio de certitudine consequentiæ Theologicæ magis attendi debet ad connexionem illius cum suis principiis, quam ad ipsam certitudinem principiorum.

Est enim cap. superiori prop. 1. animadversum a nobis, propter majorem connexionem cum suis principiis unam consequentiam Theologicam certiorem esse altera, quae licet a principiis magis certis profluat, tamen cum iisdem non æqualem, ac illa, connexionem habet. Ex quo sane consequitur, ut dum agitur de judicio certitudinis consequentiæ Theologicæ, sit potissimum attendendum ad connexionem ejus cum suis principiis.

IV. Regula. Theologus nunquam putare debet, consequentiam Theologicam esse ejusdem certitudinis cum suis principiis.

Consequentias Theologicas non esse ejusdem certitudinis cum suis principiis, quamvis inter utraque maxima connexio sit, cap. 5. singillatim ostendimus, singulariter habita ratione omnium principiorum Theologicorum: si eam ergo certitudinem, quam habent principia Theologica, quis tribuat etiam consequentiis inde illatis, errat ille sane, atque fallitur. Ex hoc autem errore illud sæpe contingit, ut nonnulli Theologi opinionibus aliorum Theologorum eas erroris inusserint notas, quas nullo modo poterant, atque etiam propter ratiocinationem non debebant. Quas, inquam, nullo modo poterant. Nam Clemens XII. die 2. Octobris an. 1733. insistens iis, quæ tum Paulus V., tum alii Prædecessores hac de re decreverant, vetuit sub iisdem poenis, ac illi vetuerant, ne Theologi *vel scribendo*, *vel docendo*, *vel disputando*, *vel alia qualibet occasione*, *notam*, *aut censuram Theologicam* inurerent scholis diversa, ac ipsi, sentientibus; *aut earum sententias conviciis*, *et contumeliis incessere* auderent, donec Sancta Sedes de iisdem controversiis *aliquid definiendum*, *aut pronunciandum censuerit*.

Neque etiam debebant inurere hujusmodi notas, etiamsi solummodo attendatur ad ratiocinationem, qua constat de connexione consequentiæ Theologicæ cum suis principiis. Quum enim ex auctoritate Sacrarum Scripturarum, vel ex definitionibus Summorum Pontificum, atque Conciliorum, sententiam, quam ipsi tuebantur, Theologice consequi putarent, adversariorum autem Theologice contrariam esse iisdem principiis, suam uti Catholicam jactarunt, adversariorum autem sententiæ eas notas inusserunt, quas merentur, qui Divino verbo, aut Ecclesiæ definitionibus non acquiescunt. Profecto si advertissent, quemadmodum debebant, non eamdem esse certitudinem consequentiæ Theologicæ, et principiorum ejus, in tantum malum, et illud quidem plenum offensionis, non incidissent.

V. Regula. Illud Theologus semper meminisse debet, non eadem ratione esse decertandum tum pro iis, quæ spectant ad fidem, tum pro

aliis, de quibus a Catholicis in utramque partem disputatur, ac etiam eas consequentias Theologicas, quæ prius illud doctrinæ caput respiciunt, pluris esse faciendas, quam alias, quæ spectant ad alterum.

Nihil sane gravius iis, quæ spectant ad fidem, in tota nostra disputatione occurrere potest. Talia enim sunt, ut etiam cum discrimine vitæ ea tueri debeamus. Quare ad illorum veritatem tum confirmandam, tum etiam vindicandam, si opus sit, omnes animi vires intendamus oportet. Quae autem sine descrimine fidei et ignorari, et in utramque partem disputari possunt, eodem in pretio nullo modo haberi debent, ideoque non est, cur de iis nimis longa disputatio habeatur. In hoc sane nonnulli scholastici Theologi peccasse videntur: nam si illorum disputationes expendamus, magis cordi habuisse videntur tueri singulares opiniones, quam dogmata fidei. Licet ergo Theologus æquo jure agat etiam de iis, quæ non spectant ad fidem; tamen dum de iisdem agit, quantum potest, et res ipsa patitur, brevitati consulere debet, atque inter cetera potissimum seligere illa, quæ cum fidei dogmatibus majorem connexionem habent. Nam in fidei dogmatibus semper magis magisque firmamur, si ea tueamur, quæ cum illis singularem quamdam conformitatem habent, refellamus vero alia, quæ cum iisdem dogmatibus fidei conciliari nullo modo posse videntur. Tales sunt plurimæ quæstiones de gratia, de libero arbitrio, de Divinis attributis, aliæque similes, de quibus in Scholis disputatum fuisse legimus.

Sicuti vero majori animi contentione decertandum est pro iis, quæ spectant ad fidem, quam pro aliis, de quibus Scholae inter se dissentiunt; ita etiam qnæ consequentiæ Theologicæ inferuntur, dum de illis disputamus, pluris faciendae sunt aliis consequentiis Theologicis, quas colligimus, dum disputamus de istis. Nam priores consequentiæ Theologicæ ab ipsis fidei dogmatibus proficiscuntur, non vero istæ aliæ.

VI. Regula. Quoniam Theologus de iis quoque agere quandoque debet, quæ vel explicari, vel suaderi solummodo possunt, non vero ostendi, atque demonstrari; tunc advertere debet, consequentiæ Theologicæ aliquam tantum probabilitatem, non vero certitudinem inesse.

Etiam in Theologia contingit, ut quandoque de iis disputare debeamus, quorum definitio non a certis, firmisque principiis, sed solummodo a probabilibus peti potest, quæ quidem vel tantum explicent, vel sicuti ipsa sunt, probabilia ea esse, ostendant, quæ ex iisdem eruuntur. Hoc ergo si contingat, ad certitudinem consequentiæ Theologicæ illud quoque non sufficit, ut inter illam et principia ejus arcta connexio intercedat, quum propter hujusmodi connexionem fieri non possit, ut in consequentiam ea certitudo profluat, quæ non inest in principiis. Probabilitas ergo quædam hujusmodi consequentiis inhærebit, nullo autem modo firmitas, seu certitudo.

DISPUTAT. II.

DE LOCIS THEOLOGICIS

De iis ergo omnibus locis Theologicis, quæ superioris Disput. lib. 1. cap. 3. recensuimus, nunc distincte pertractabimus.

LIBER PRIMUS

De Sacra Scriptura.

A primo Theologico loco nunc ordiamur, qui est verbum scriptum divinitus inspiratum. Hoc verbum scriptum simpliciter vocatur *Scriptura*, quia omnes alios libros in dignitate, quam longissime fieri potest, excedit. Hinc Christus *Math.* 21. 42. libros Testamenti Veteris vocat *Scripturas*, et *Joann.* 2. 22. libri sacri dicuntur *Scriptura.* 2. Iidem libri *Biblia Sacra* dici solent, quum sint revera quædam volumina, quæ sacram doctrinam complectuntur. Volumen namque, seu liber significatur voce græca Βιβλίον accepta ab altera voce græca Βιβλίος, qua arbor papyrus, sive ejus internus cortex designatur, quo ducto in longas, tenuissimasque membranas loco chartæ veteres utebantur. 3. Scriptura Sacra Testamentum dicitur, vel pactum, quod initum est inter Deum, et homines.

Ut ergo constet de firmitate, et certitudine hujus primi loci Theologici, videndum est, quamnam auctoritatem habeat. De ea autem nullo modo certius compertum esse potest, quam ex principio, a quo profluit. Quapropter semel ac ostendatur, Sacram Scripturam esse divinitus inspiratam, quum nihil ipsa Divina inspiratione magis certum dari possit, inde sane consequitur, in hoc primo loco Theologico id auctoritatis, quod maxime dari potest, inesse. De Divina ergo inspiratione sacrorum librorum, et quidem in duobus capitibus, agemus; in priori de Divina inspiratione; in altero de modo, et ratione ipsius Divinæ inspirationis disputabimus.

CAPUT PRIMUM.

De divina inspiratione sacrorum librorum.

Duo quam maxime perniciosi errores circa Divinam inspirationem Sacræ Scripturæ refellendi occurrunt: unus est proprius recentiorum Deistarum, qui legem naturæ, et humanam rationem ita extollunt, ut nihil ulterius ad totius nostræ vitæ regimen expetendum esse contendant, indeque et uti inutilem rejiciunt Divinam inspirationem Sacrorum li-

brorum, et tamquam ipsi quoque Deo, sicuti auctori legis naturæ, contrariam aversantur. Alter error est eorum, qui affirmant, Sacros Scriptores, dum referrent illa, quæ viderant, aut audierant, a Deo inspiratos non fuisse, sed relictos suæ humanæ conditioni, atque fragilitati, propter quam errare, et labi poterant.

Si nunc Deistas refutandos aggrederemur, nimis longa disputatio instituenda foret a nobis, qua a nostro proposito omnino avocaremur. Nam Divinitas Sacræ Scripturæ ex sanctitate doctrinæ, ex miraculis, atque prophetiis comprobari oporteret, idque tum quoad vetus, tum quoad novum Testamentum præstandum esset: rursus contra Deistas ostendi deberet, prophetias, et miracula nonnisi a Deo esse posse: hæc vero omnia paucis expediri non possent, tum quia sunt non minus plura, quam gravia, tum quia Deistæ contra ea cavillandi nullum finem faciunt. Quare nunc, omissis Deistis, contra quos in nostra *Theologia revelata* fuse, et copiose egimus, id unum expendemus, hoc est, utrum Sacri Scriptores, uti homines falli, et labi potuerint tum in iis, quæ viderant, vel audierant, tum in aliis quibusdam, quæ non spectant ad fidem. Nam quidam etiam eorum, qui divinam revelationem admittunt, falso putarunt, sacros Auctores aut labi potuisse, aut revera lapsos fuisse in iis, quæ non spectant ad fidem, sed ad historiam, et quasdam circumstantias factorum, quæque ipsi scribebant, quatenus viderant, vel audiverant. Ita Grotius putavit in *voto pro pace Eccl.* tit. *de Can. Script.*, atque in *Riv. Apolog. discuss.*, ita Episcopius lib. 4. *Instit. Theolog.* sect. 1. §. 4., atque Henricus Holden in *Analysi fidei* lib. 1. cap. 5., ita Theologi quoque Batavi in epistola 11. et 12. cujusdam libri gallice editi (a). Eodem in errore Erasmum versatum fuisse in *Adnotatio*: *Matth.* cap. 2., quidam Hispani Monachi eidem objecerunt. Ab eo tamen errore Erasmus se purgare non omisit in Apologia, quam scripsit *adversus Monachos quosdam Hispanos*, idque unum se voluisse in ea affirmavit, *non statim collabi totam Scripturam*, etiamsi Sacri Scriptores lapsi essent *in ordine gestorum*, *aut memoria nominis*, *aut alia re simili*, *quæ non attinet ad vitam Christianam.* Lapsos tamen eos fuisse, se non sentire profitetur.

Prop. Singulæ particulæ librorum Canonicorum, Spiritu Sancto regente, scriptæ fuere, ac propterea nulla omnino falsitas, quæ propter memoriæ lapsum, aut quemvis alium defectum aliquando obrepit, in Sacris libris occurrere potest.

Prob. prop. Illud hac in re primo loco advertatur oportet, Spiritum Sanctum Sacris Scriptoribus præsto esse potuisse: 1. antecedenter: 2. concomitanter: 3. consequenter. Antecedenter quidem se habet Divinus Spiritus, quando inspirat, revelat, atque indicat, quæ dicenda, vel scribenda sunt, ita ut qui loquitur, aut scribit, non aliud loquatur, vel scribat, quam quod Divinus Spiritus inspiraverit. Hinc Pe-

(a) Ita est inscriptus: *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande ec.*

trus in sua II. epist. 1. ult. inquit: »Non enim voluntate humana allata »est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines." Hæc autem inspiratio tribus modis fieri potest: 1. per revelationem in extasi, vel imaginariam, qualis plerumque contigit in Prophetis, vel intellectualem, qualis fuit in Apostolo, uti legitur II. *ad Corinth.* 12. cap. 2. per alloquutionem, vel externam visionem sensibilem, sicuti Abrahamo plures, Moysi in rubo, Josue, Danieli, et aliis divinitus contigisse legimus; vel per sensibilem speciem, uti habetur cap. 10. Danielis 3. denique per internam inspirationem in vigilia, ita tamen, ut Sacri Auctores supernaturali lumine intelligerent, et se a Deo moveri, et eloqui verba Dei. Hic autem modus, et quidem etiam secundum multiplices rationes illius, est Prophetarum fere proprius, atque in iis locum habuit, dum futura, præterita, absentia, arcana cordium, aut sublimia mysteria fidei eisdem vel per proprias species, vel per ænigmata, et species alienas, vel per aliquod superius lumen in intellectu receptum, revelata fuere. De hac antecedenti assistentia ratione Divini Spiritus neque etiam ii dubitare videntur, contra quos modo agimus, quum ad illa referatur, in quibus Sacros Auctores falli non potuisse, ipsi quoque concedunt.

Concomitanter assistit Divinus Spiritus, quando se habet non ad instar eloquentis, et inspirantis, sed ad eum modum, quo scribentem quis dirigeret, ne aliquatenus falleretur. Hac ratione Spiritus Sanctus Sacros Auctores direxit, quando historias conscripserunt, aut dicta, vel facta aliorum, quæque ipsi viderant, vel audierant, retulere. Hoc modo adfuit Spiritus Sanctus in conscriptione Evangeliorum, Actuum Apostolicorum, librorum Machabæorum, ceterorumque historicorum, nisi tamen res ob antiquitatem, vel remotionem temporis incognitæ essent, quemadmodum Moysi contigit. Tunc enim primus modus fuit necessarius.

Hunc assistendi modum adversarii nostri in aliquibus admittunt, in aliis negant: admittunt, si agatur de iis, quæ cum dogmatibus fidei connexionem habent; negant, si cum eisdem connexa non sint.

Tunc consequenter se haberet Divinus Spiritis, quando quæ humano modo absque ulla Divina inspiratione a quopiam scripta forent, idem Sanctus Spiritus postea vera esse testaretur. Hoc enim si contingeret, id totum, quod humanitus scriptum supponeretur, eamdem infallibilem veritatem habiturum esset, quam habent cetera omnia inspirata divinitus. Ego sane non putaverim, hac ratione fuisse Divina auctoritate comprobatum aliquid eorum, quæ continentur in sacris litteris Bonfrerius in suis *Prælogiis in totam Scripturam Sacram* cap. 7. arbitratur, hoc modo fortasse divinitus probatos fuisse illos Sacræ Scripturæ libros, qui perierunt. Verum nos infra de iis.

Nulla inter nos, atque adversarios nostros contentio est, utrum pars aliqua Divinarum Scripturarum ita divinitus confirmata, vel non confirmata fuerit. His præmissis, nunc ad rem nostram.

Christus Dominus, quemadmodum *Joan.* 5. 39. legitur, hortatus

fuit non credentes se a Patre missum esse, ut scripturas scrutarentur, in quibus vitam æternam ipsi quoque reponebant. Apostolus *Roman.* 15. 4. hæc habet: »Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam »scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem scripturarum spem »habeamus." 11. *ad Timoth.* 3. 16. »Omnis scriptura divinitus inspirata »utilis est ad docendum, ad argendum, ad corripiendum, ad erudien»dum in justitia." S. Petrus in II. epist. 4. 16. luget eos, qui depravabant *Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Unde Paulus I. ad *Thessalonicen.* 2. 13. affirmat, se gratias agere Deo, quia Thassalonicenses accepissent verbum illius *non ut verbum hominum*, sed *sicuti est vere*, *verbum Dei.* Ex quibus ita. Tam Christus, quam Apostoli indiscriminatim omnem Sacram Scripturam uti Divinum verbum commendant: tradunt, omnia ad nostram utilitatem scripta esse, iisdemque in justitia nos erudiri: nullam esse Scripturam, quæ non depravetur sine perditione, ac bene esse fidelibus, dum eam, sicuti revera erat, uti Divínum verbum suscipiebant. Hac autem loquendi ratione Divina auctoritas æque tribuitur iis omnibus, quæ continentur in sacris litteris. Sunt erga omnia ejusdem auctoritatis, utpote profecta ab eodem principio. Et sane semel ac tum Christus, tum Apostoli in lectione Divinarum Scripturarum nos decipi non voluerint, oportebat, ut distinguerent inter Scripturas, quæ errori obnoxiæ esse peterant, aut non poterant: sed non distinxerunt, nobisque proposuere cunctas, sicuti unius, ejusdemque divinæ auctoritatis: ergo.

Et re quidem vera semel ac etiam in iis tantum, quæ non habent connexionem cum dogmatibus fidei, errorem subesse posse admittatur, de auctoritate Divinarum Scripturarum omnino actum esse contendo, sicuti Augustinus contendebat contra Manichæos, qui Fausto assentientes non omnes Sacras Litteras recipiebant. »Videtis ergo, (ita Augustinus »*cont. Faustum* lib. 32. cap. 29.) id vos agere, ut omnis de medio Scri»pturarum auferatur auctoritas, et suus cuique animus auctor sit, quid »in Sacra Scriptura probet, quid improbet, id est, ut non auctoritati »Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat: »non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum »legitur, sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te »committis, anima misera, infirma, carnalibus nebulis obvoluta, quo »te committis?" Augustini autem argumentatio suam vim æque habet tam contra Manichæos, quam contra Adversarios nostros, licet ipsi velint, errorem in iis tantum subesse posse, quæ vel non sunt dogmata fidei, vel ad ea quovis modo non referuntur. Quandoquidem, sicuti Canus lib. 2. *de Locis Theologicis* cap. 17. recte animadvertit, »facile »erit cuique res graves, vel leves pro suo arbitratu, ingenioque æsti»mare," adeoque illud quoque etiam definire, hoc vel illud factum, istud, vel aliud historiæ caput nullo modo referri ad dogmata fidei, ac propterea hujusmodi esse, ut fidem infallibilem non mereatur. Hoc autem semel posito, si totius Sacræ Scripturæ auctoritas non evertitur, non video sane, qua ratione everti possit.

Dices I. Divina Revelatio ad ea necessaria non erat, quæ ipsi Apostoli aut per se noverant, aut didicerant ab aliis; sed plura hujus generis occurrunt tum in Evangeliis, tum in Epistolis Apostolorum, ipsique Evangelistæ ad fidem conciliandam iis, quæ referunt, illa se accepisse dicunt ab aliis, *qui viderant*, *et ministri sermonis fuerant*, sicut initio sui Evangelii Lucas facit, aut etiam affirmant, se narrare, quæ per se ipsi viderant, sicuti facit Joannes in suo Evangelio 19. 35., 21. 24., et in I. epist. cap. 1. v. 1. et seq.

R. dist. ma., non erat necessaria Divina inspiratio, qua manifestarentur jam cognita, con., qua fieret, ne Sacri Auctores fallerentur, dum jam cognita manifestarent, nego: ac dist. mi., et ex his colligitur, quæ Sacri Auctores tradiderunt, non omnia Divina inspiratione novisse, con., non scripsisse omnia cum directione Divinæ inspirationis, nego: Cum Cano itaque lib. 2. *de Locis Theologicis* cap. 18. ego quoque »fateor, ut singulas Scripturae particulas, ut a Sacris Auctoribus scriberentur, propria, et expressa revelatione non indignisse: sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti instinctu, afflatuque, vere, et jure contendo," et quidem promissionis ejus habita ratione, quam Christus fecit Apostolis. Nam Christus, sicuti *Joan.* 14. 26. legitur, ita certiores fecit suos discipulos, antequam discederet ab eis: »ille (hoc est Spiritus Divinus) vos docebit omnia, et suggeret vobis »omnia, quæcumque dixero vobis." Unde Paulus et suo, et Apostolorum nomine 1. *Corint.* 2. 12. ita omnes certiores facit: »nos non spiri»tum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut scia»mus, quæ a Deo donata sunt nobis: quæ et loquimur non in do»ctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus." Quemadmodum ergo a Spiritu Dei erant, quæcumque Sacri Auctores ad institutionem rectæ fidei loquebantur: ita etiam quæ scribebant, non ita quidem ut omnia sibi a Deo revelarentur, sed ut in omnibus Dei spiritu regerentur, atque ne memoriæ quidem lapsu, aut quavis alia imbecillitate falli possent, dum scribebant, quæ viderant, vel audierant. Quare quum S. Lucas loquuturus esset de iis, quæ sibi divinitus revelata non fuerant, sed ab aliis omni fide dignis audierat, mirandum non est, si asserat, se relaturum esse, quæ acceperat ab aliis, *qui viderant*, *et ministri sermonis fuerant*. Illud quoque adverti debet, sicuti tradit Origines tom. 1. *Comment. in Matth.* a Luca Evangelium *in gratiam gentilium* conscriptum fuisse: unde eos non auctoritate Divinæ inspirationis, quam ignorabant, ad sibi assentiendum initio suæ enarrationis induxit, sed argumento petito ab humana certitudine. Joannes autem quando, quæ narrat, se audivisse, et vidisse testatur, obtemperat Christo prænuntianti omnibus Apostolis, sicuti *Act.* 1. 8. legitur, eos futuros testes illorum, quæ ipse dixerat, atque fecerat. Unde S. Thomas lect. 6. in cap. 21. *Joan.* explicans illa verba: *et testimonium perhibuit de his*, affirmat. id esse proprium Apostolorum juxta illud *Actorum* 1. 8. *eritis mihi testes.*

C. Multa occurrunt in sacris litteris, in quibus Sacri Auctores ut

divitus regerentur, ab ipsa Dei majestate alienum videtur: ergo quoad hæc Divina inspiratio neque etiam per modum directionis admitti potest. Prob. ant. In cap. 4. 11. et seq. epist. 11. ad *Timot.* hæc leguntur: »Lu»cas est mecum solus: Tychicum misi Ephesum: penulam, quam reli»qui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime au»tem membranas." 2. Idem Apostolus 11. ad *Corint.* 11. 6. sermone imperitum se esse dicit: et 17. se loqui *non secundum Deum*, sed *quasi in insipientia*, et cap. seq. v. 11.: *factus sum* (inquit) *insipiens: vos me cœgistis.* Demum Auctor lib. *Macchab.* lib. 2. cap. ult. a lectoribus veniam deprecatur: sed hæc omnia ab ipsa majestate Dei aliena esse videntur: ergo.

Ad 1. respondeo, neminem æqno jure arbitrari posse, sacros auctores divinitus impediri debuisse, ne in suis litteris ullam mentionem facerent aut de iis, quæ sibi necessaria, aut de aliis, quæ Fidelibus utilia esse putabant, vel demum de nonnullis, quæ non minus fraternæ caritati, quam ipsius amicitiæ legibus conformia erant. Quare mirandum non est, si Apostolus, et ea ad se deferri curavit, quæ sibi aut necessaria erant, aut timebat, ne amitterentur, et de illis quoque, quæ sibi contigerant, Timotheum certiorem fecerit, atque jusserit etiam, ut suo nomine, sicuti in aliis epistolis fecerat, quosdam salutaret. Divina directio quoad hæc omnia, et alia similia in sacris auctoribus in eo tantum operabatur, ut vel memoriæ lapsum non paterentur, vel non scriberent, quæ minus decebant.

Ad 2. resp., S. Apostolum in cap. 11. et 12. II. epistolæ *ad Corint.* ad utilitatem Corinthiorum, hoc est, ne potius pseudo-apostolis, quam sibi, fidem præberent, et labores quos jam pro Christiana religione sustinuerat, et præclara, quae a Deo dona receperat, commemorasse. Unde ad hoc faciendum se ab iis coactum fuisse dicit, et suo raptu usque ad tertium cælum semel exposito, cap. 12. 5. hæc superaddidit: »pro hu»jusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus »meis" et v. 6. »nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem »enim dicam." Unde ergo illa: *in insipientia dico*: *ut minus sapiens dico*? quia scilicet assumpserat personam insipientis, et quasi se ipsum extollere videbatur: id autem facere, est insipientis. Dei tamen sapientia erat, ut Apostolus non sponte, sed coactus, non ex vanitate, sed ob caritatem aliorum gloriaretur, non ad extollendum se, sed ad deprimendos pseudo-apostolos.

Ad 3. dico, Auctorem libri Machabæorum a lectoribus deprecari veniam, non eorum, quæ scripserat, quasi minus vera esse possent, sed ipsius loquendi rationis, qua usus fuerat: unde sibi *concedendum dicit*, si quæ scripserat, non quidem minus vere, aut utiliter, sed *minus digne* scripserat. Utrum vero Divina inspiratio Sacris auctoribus verba quoque suggesserit, res est, de qua in seq. cap. disputabimus.

C. Sed alia sane multa occurrunt in sacris libris, quæ nullo modo esse potuerunt a Divino Spiritu aut afflante, aut regente: ergo. Prob. ant. Repugnat, ut aliquis error deprehendatur in iis, quæ sunt a Divino

Spiritu aut afflante, aut regente: sed plures errores deprehenduntur in Sacris libris: ergo. Prob. mi. Matthæi 2. cap. 23. hæc habentur: »et »veniens (Jesus) habitabit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adim»pleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur." Hæc autem ultima verba non leguntur in libris Prophetarum. 2. Idem Evangelista 27. 9. loquens de agro, qui ea pecunia emptus fuerat, quam proditor Judas retulerat, ait: »tunc impletum est, quod dictum est per »Jeremiam Prophetam dicentem: et acceperunt triginta argenteos, pre»tium appretiati, quod appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in »agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus." Porro hæc prophetia non in Jeremia, sed in Zacharia cap. 11. legitur, non tamen iisdem verbis, sed solummodo dicitur, triginta argenteos ad statuarium fuisse delatos.

R. Ex his colligi nullo modo posse, aliquem errorem latere in Sacris libris. Ad 1. respondet Chrysosthomus *Homil. 9. in Matth.* nu. 4., curiosius inquirendum non esse, quisnam Propheta dixerit, quod Matthæus commemorat, quia multi libri Prophetici perierunt. Hieronymus *in Matt.* lib. 1. cap. 3. hæc animadvertit. »Si fixum de Scripturis posuisset exem»plum, nunquam diceret: *quod dictum est per Prophetas*, sed simplici»ter, quod dictum est per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas »vocans, ostendit, se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum.... »Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat." Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit (a): *exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus conscendet.* »Quid? anne Matthæus respicere non potuit ad hæc verba, quæ *Judicum* 13. 5. leguntur: *erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua*? Licet ergo nos, plurimorum auctoritate nixi, dicturi simus, probabile non esse, periisse libros aliquos Prophetarum; tamen aliunde habemus, unde objectioni satisfaciamus.

Ad 2. illud esse advertendum dicimus, Sacros scriptores Novi Testamenti duo simul testimonia Testamenti Veteris veluti unum aliquando citasse, illudque vel generatim tribuisse Prophetis, vel, omissis ceteris, uni alicui ex Prophetis, seu Sacris scriptoribus, licet non unius tantum, quod laudarunt, sed duorum esset. Id constat tum ex *Matthæi* cap. 21. 2. et 5., tum ex eodem *Matthæi* 13., tum ex *Actibus Apostolorum* 1. 20., tum ex epist. *ad Romanos* 3. 10. et seq., 9. 33. Hoc autem semel posito, dicimus, S. Mathæum, quod alibi fecerat, quodque fecerunt alii etiam Scriptores Novi Testamenti, hic quoque fecisse. Quapropter Matthæus, uti habet S. Thomas in *Matt.* cap. 27. »posuit »sensum quorumdam Scriptorum in Jeremia, quorumdam in Zacharia, »sicut habetur in Marco, quod ponit auctoritatem Isaiæ, cujus una pars »est Isaiæ, alia Malachiæ: sic et Matthæus conjunxit duas sententias »quarum una a Zacharia (b), altera a Jeremia ponitur (c). Quod enim

(a) *Cap.* 11. *v.* 1.
(b) *Cap.* 11. *v.* 12.
(c) *Cap.* 32. *v.* 7.

»est in Zacharia, scilicet, *quod appenderunt* (id est acceperunt) *triginta* »*argenteos*, in Jeremia non invenitur: sed quod agrum emit, quod sig»nabat factum toti populo: *sicut constituit mihi Dominus*: hoc expresse »habetur ex eo, quod præcepit Jeremiæ, ubi supra, quod agrum eme»ret. Ideo secundum primam partem in Zacharia habetur, secundum »secundam in Jeremia." Hanc præ ceteris aliis explicandi rationem, uti magis probabilem, et difficultatibus minus obnoxiam amplectimur: non desunt enim etiam aliæ rationes, quibus hujusmodi nodus solvatur (a). Cur vero Sacri scriptores hanc quandoque rationem sequuti fuerint, certo definiri non potest: illud nobis quoad rem istam satis esse debet, ductos Spiritu Dei fuisse in iis, quæ scripserunt, sicuti jam ostendimus.

C. Quamvis admittamus, nullum errorem latere in sacris litteris; tamen negari non potest, in eis occurrere multa, quæ sibi invicem opponuntur: sed a Divina inspiratione non minus illud prius, quam hoc alterum abhorret: ergo semper verum est &c. Prob. maj. Marcus 2. 25. et 26. hæc a Christo dicta fuisse refert: »numquid legistis, quomodo »David introivit in domum Dei sub Abiathare principe sacerdotum, »et panes propositionis manducavit?" Id autem non sub Abiathare, sed sub Abimelecho patre ejus gestum fuit, ut patet ex lib. 1. *Reg.* 21. II. Lucas 3. 36. et seq. Cainanem medium ponit inter Arphaxad, et Sale, facitque eumdem Cainanem filium Arphaxad, et patrem Sale. Porro Moyses *Genes.* cap. 11., in quo Patriarcharum postdiluvianorum cathalogum texuit, v. 12. et 13. Cainanis nullam mentionem facit, atque tradit, Arphaxad esse patrem Sale. III. Idem Lucas *Actor.* 7. 14. tradit, Josephum accersivisse in Ægyptum omnem suam cognationem in animabus septuaginta quinque. Moyses autem *Genes.* 46. 27. solum septuaginta animas affirmat ingressas fuisse in Ægyptum. Tandem, ut unum tantum ex solo Novo Testamento commemoremus. Marcus 15. 25. dicit, quod *erat hora tertia*, quando Jesum crucifixerunt: Joannes autem 19. 14. affirmat, *hora quasi sexta* Christum in crucem actum fuisse. Dubitandum ergo non est, multa occurrere in Sacris litteris, quæ sibi invicem accomodari non possunt.

Ad 1. cum Beda lib. 1. in cap. 2. *Evangelii Marci* ita respondemus: »quod vero Dominus Abiathar principem sacerdotum pro Abimelech ap»pellat, nihil habet dissonantiæ. Ambo enim fuerunt illic, quum ve»niens David panes petiit, et accepit, Abimelech videlicet princeps sa»cerdotum, et Abiathar filius ejus. Occiso autem Abimelech a Saule, »cum viris domus suæ generis sacerdotalis octoginta quinque fugit Abia»thar ad David, et comes factus est totius exilii ejus. Postea, regnante »eo, summi sacerdotii gradum et ipse accepit, et toto tempore regni »illius in pontificatu perseverans multo majoris excellentiæ, quam pater »suus, effectus est. Ideoque dignus fuit, cujus memoriam Dominus, etiam »vivente patre, quasi summi faceret sacerdotis."

R. ad 2., Cainanem medium poni non debere inter Arphaxad, et

(a) Videatur Calmetius in cit. *Matt. cap.*

Sale, sed expungendum esse, quemadmodum fit in Genesi, putasse multos, qui tamen propter hoc erroris insimulandum esse Lucam Evangelistam noluere, quia editionem LXX. Interpretum sequutus fuit, quam solam noverant gentes, in quarum ille gratiam Evangelium conscripsit. Unde si quis hac in re error subrepserit, LXX. Interpretibus tribuendum dicunt, non vero Lucæ, qui in generationibus ordinandis rationem illorum sequutus fuit. Verum huic responsioni nos acquiescendum non esse putamus, ac propterea cum aliis multis, Cainanem inserendum esse, sentimus, quia non solum in versione LXX. Interpretum, sed etiam in aliis multis, excepta Hebraica, insertus legitur, atque in pluribus antiquis exemplaribus Cornelius a Lapide in cap. 3. Lucæ se illud Romæ legisse testatur. Quid ergo dicemus? fortasse quod erraverit Moyses? Neque *Moyses*, neque Lucas erravit. Nam Moyses generationem Cainan non sine causa, licet ea sit incognita nobis, prætermisit, eam vero Lucas commemoravit. Semel ac constet, sicuti revera constare ostendimus Sacros scriptores divinitus inspiratos fuisse, non possumus sane accusare neque Moysem omittentem generationem Cainan, neque Lucam eamdem commemorantem. Albertus Magnus in Lucæ cap. 3. ductus auctoritate Glossæ affirmat, in quibusdam antiquis hebraicis exemplaribus generationem quoque Cainanis positam fuisse, a quibus LXX. Interpretes suam versionem transtulerunt: in quibusdam autem editionibus posterioribus, e quibus Hieronymus suam versionem transtulit, non occurrisse Cainam, sed quod Arphaxad sit Pater Sale.

R. ad 3. cum S. Hieronymo in lib. *Quæst. Hebraicarum in Genesim*, revera fuisse septuaginta illas animas, quæ ingressæ fuerunt in Ægyptum, e femoribus Jacob: »hanc rem (inquit S. Doctor) ne cui videa»mur, adversum Scripturæ auctoritatem loqui, etiam LXX. Interpretes »in Deuteronomio (a) transtulerunt, quod in septuaginta animabus in»gressus sit Jacob in Ægyptum. Si quis igitur nostræ sententiæ refra»gatur, Scripturam inter se contrariam faciet. Ipsi enim LXX. Interpretes, »qui hic septuaginta quinque animas per πρόληψιν cum Joseph, et »posteris suis Ægyptum ingressas esse, dixerunt in Deuteronomio se»ptuaginta tantum intrasse memorantur." Quemadmodum ergo S. Augustinus lib. 16. *de Civit. Dei* cap. 11. animadvertit, in Genesi non commemoratur Machir filius Manasse, et Galaad ejusdem Machir filius: rursus non commemorantur inter Ephraimi filios Suthalaam, et Taam, et Edem. Hi autem omnes, uti animadvertere pergit S. Doctor »nullo »modo esse potuerunt, quando Jacob in Ægyptum venit, et filios Jo»seph nepotes suos, avos istorum, minores, quam novem annorum pue»ros, invenit. Sed nimirum introitus Jacob in Ægyptum, quando eum »in septuaginta quinque animabus Scriptura commemorat, non unus »dies, vel unus annus, sed totum illud est tempus, quandiu vixit Jo»seph, per quem factum est, ut intrarent." Hoc idem confirmat S. Doctor ex *Genes.* 50. 22. et 23. Quare Moyses *Genes.* 46. 27., ac etiam

(a) *Cap.* 10. *v.* 22.

juxta Hieronymum LXX. Interpretes in Deuteronomio, animas tantum illis enumerarunt, quæ revera cum Jacobo Ægyptum ingressæ fuere: iidem vero LXX. Interpretes, Auctor *Genes.* cap. 46., ac etiam Lucas in suo Evangelio respexerunt, quemadmodum æquo jure poterant, ad illud totum tempus, quo vixit Joseph. Nulla ergo et hic quoque occurrit oppositio.

R. ad ult., Marcum, et Joannem facile inter se duplici ratione conciliari posse, S. Augustino præeunte lib. 3. *de Consensu Evangelistarum* num. 47. Priorem tamen magis probat S. Thomas lect. 3. in cap. 19. *Joan.* Unde S. Doctor ita habet: »prima, et melior est, quod Christus »dupliciter fuit crucifixus: primo linguis, et vocibus Judæorum dicen»tium: *crucifige, crucifige eum*: secundo manibus militum, qui eum »crucifixerunt. Unde quia Judæi crucifixionem imponere volebant Genti»libus; Marcus, qui Evangelium scripsit Gentibus, ipsam imposuit Ju»dæis dicens, quod tunc Christum crucifixerunt, quando Judæi clama»verunt: *crucifige, crucifige eum*, quod fuit in hora tertia. Joannes vero, »qui sequitur ordinem temporis, dicit: *erat quasi hora sexta.* Nam »quando Christus fuit in cruce, jam erat in fine horæ quintæ, et in »principio horæ sextæ, in qua factæ sunt tenebræ per tres horas, scili»cet usque ad horam nonam. Unde quia hora sexta nondum inchoata »erat, ideo dicit: *quasi hora sexta.* Secunda responsio est, (prosequitur »Doctor Angelicus ex Augustino) quia parasceve dicitur præparatio pas»chae: pascha autem nostrum Christus est immolatus: unde præparatio »parasceve est præparatio immolationis Christi: cujus erat hora sexta, et »non diei, quia principium hujus præparationis fuit hora noctis nona, »quando, Christo capto, dicebant *Matt.* 26. v. 66., *reus est mortis.* »Unde si tribus reliquis horis noctis addamus tres horas diei, quando »Christus crucifixus fuit, manifestum est, quod sexta hora parasceves, »id est, præparationis, crucifixus fuit, licet hora diei esset tertia, ut »dicit Marcus."

CAPUT SECUNDUM.

De modo Divinæ inspirationis, seu de ea ratione, qua Sacri Auctores singulariter inspirati fuere.

Omnium Catholicorum una sententia est, indubiæ fidei, utpote revelata divinitus, ea esse, quæ continentur in Sacris litteris. Super illum ergo modum, quo sunt inspirata divinitus, tota dubitatio cadit. Est ergo animadvertum, dici posse, divinitus inspirata fuisse, quia Sacris auctoribus ignotum erat, quod scribere debebant, illudque eis Deus revelavit: 2. quia licet notum esset, tamen et Deo inspirante factum est, ut scriberent, quod noverant, et eodem simul dirigente, et assistente, ne propter lapsum memoriæ, aut quemvis alium defectum laberentur: 3. quatenus Deus Sacris auctoribus singula verba suggesserit. In Divinis litteris occurrere multa, quæ Sacri auctores nonnisi illustrati divi-

nitus noscere potuerunt, res apud omnes comperta esse debet: inter hæc prophetiæ, atque altissima mysteria potissimum locum habent. Rursus Sacros auctores in sanctis libris ea quoque retulisse, quæ ipsi viderant, aut audiverant ab aliis, nullus sane dubitare potest. Hoc enim Evangelistæ, hoc Apostoli, hoc nonnulli scriptores Veteris Testamenti præstiterunt. Nostra ergo difficultas in eo versatur, utrum Deus Sacris scriptoribus etiam phrases, atque verba suggesserit, tam dum scriberent, quæ divinitus noverant, quam quæ ipsi viderant, vel audiverant. Pluribus propositionibus explicare conabimur, quid hac tota in re sentiendum sit.

Prop. I. Sacra Scriptura semper æque est verbum Divinum, sive suggesserit Deus Sacris scriptoribus etiam phrases, atque verba, sive non suggesserit.

Prob. prop. Est enim jam ostensum a nobis, singulas particulas Divinæ Scripturæ inspiratas a Deo fuisse: ex hoc autem consequitur, ut quidquid in Sacris litteris continetur, a Deo sit, adeoque Divinum verbum dici debeat, quocumque tandem modo a Deo sit. Ex hoc autem constat, quare dogmaticæ definitiones Summorum Pontificum, atque Conciliorum Divinum verbum dici non possint, quamvis ad fidem spectent, et regente, atque gubernante Divino Spiritu, factæ fuerint. Non enim in iis Deus ipse loquitur ad homines, sed vel loquitur Pontifex, vel in Conciliis congregati Patres loquuntur, quamvis prout videtur Spiritui Sancto, indeque fit, ut hujusmodi definitiones sint quidem absque ulla dubitatione a Divino Spiritu profectæ, tamen Divinum verbum dici non possint, sed solummodo quædam explicationes illius.

Prop. II. Dicendum est, quamplura esse in Sacris litteris, quæ etiam quoad phrases, et verba fuerunt inspirata divinitus.

Prob. prop. Hac de re constat, si ad prophetias, ac sublimiora mysteria attendatur, eorumque omnium ratio habeatur, quæ Sacri auctores neque per se, neque per alios nosse poterant. Ut enim hæc Sacri scriptores adamussim juxta Divinam inspirationem exprimerent, si non absolute necessarium, saltem quam maxime conveniens, atque omnino ordinatum ad finem fuisse videtur, ut eis divinitus etiam phrases, atque verba suppeditarentur. Animavertit S. Augustinus de *Diversis quæst. ad Simplicianum*, lib. 2. num. 1. ita quandoque Prophetas affici spiritu prophetiæ, ut ne ipsi quoque cognoscant, aut intelligant, quæ prophetant. Et S. Thomas 2. 2. qu. 173. art. 4. »quandoque (inquit) movetur mens Prophetæ ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id, quod »per hæc verba Spiritus Sanctus intendit, sicut David, qui dicebat II. »*Regum* 23. *Spiritus Domini loquutus est per me.* Quandoque autem ille, »cujus mens movetur ad aliqua verba exprimenda, non intelligit, quid »Spiritus Sanctus per hæc verba intendat, sicut patet de Caipha. *Joannis* 11." Quapropter quia dum quis movetur ad eloquenda, vel scribenda, quæ ipse non intelligit, difficile videtur, ut ex propria inventione, iis phrasibus, atque verbis utatur, quæ ad illa exprimenda sint accomodata; dicendum superest, quoad hæc singulari ratione neces-

sarium fuisse, ut Sacris auctoribus phrases, atque verba divinitus suggererentur.

Idem vero dicendum est, si attendatur ad ea, quæ Sacri auctores neque per se, neque per alios nosse poterant. Hæc enim semel clare intellecta, quamvis Divino Spiritu solummodo regente, atque gubernante, ab iisdem recte, et vere exprimi possent, si absolute loquamur; tamen ad magis distinctam, atque accuratam descriptionem eorum omnium, illud convenientius fuisse videtur, ut determinatis phrasibus, et verbis exprimerentur, quæ essent inspirata divinitus.

Prop. III. Sacræ litteræ suadent, quamvis non ostendant, Divinis scriptoribus verba quoque suggesta fuisse, quæcumque tandem scripserint Divina inspiratione ducti. Hoc idem nonnulli Sancti Patres uti rem certam habuerunt.

Prob. prior pars proposit. II. ad *Timot.* 3. 16. dicitur, *quod omnis scriptura divinitus inspirata utilis est &c.* 1. *ad Thessalon.* 2. 13. Apostolus laudat Thessalonicenses, quod accepissent verbum, *non ut verbum hominum, sed sicut vere est, verbum Dei.* Christus *Matt.* 10. 19. ita habet ad Apostolos: *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hic illud 1. adverto, dici ab Apostolo, omnem Scripturam æque esse inspiratam divinitus: 2. Paulum gaudere, Thessalonicenses suum verbum accepisse, non ut verbum hominum, sed sicuti revera erat, ut verbum Dei: 3. Christum Apostolis mandasse, ut non cogitarent, quid loquuturi essent, quia ipse loquuturus erat in eis. Nunc ad rem nostram, Prædicta loca Scripturæ quamvis probabiliter intelligi possint tum de ea Divina inspiratione, qua Sacri auctores ad scribendum adigebantur, tum de assistente Divino Spiritu, ne ullo modo falli possent, dum scriberent; tamen sicuti a nemine negari potest, quum ad majorem plenitudinem Divinæ inspirationis spectet, ut Sacris auctoribus etiam phrases, atque verba suggesta fuerint: quum Divinum verbum magis proprie illud esse dicatur, quod Deus Sacris auctoribus singillatim suggessit, quum promissio, quam Christus fecit Apostolis, magis stricte adimpleta fuerit, semel ac eis, dum loquerentur, Divinus Spiritus etiam phrases, et verba suggesserit; quum demum, hoc semel posito, quod nos modo volumus, Divino verbo semper major auctoritas tribuatur, aliundeque nullum inde absurdum consequatur; illud superest, ut dicamus, ipsis sacris litteris magis conforme esse, ut Divinus Spiritus Sacris auctoribus etiam phrases, atque verba suggesserit.

Prob. altera pars. Basilius *Homil.* in *Psal.* 37. num. 1. »Verba Scripturae (ait) divinitus inspiratæ pro tribunali Christi sistantur." S. Joan. Chrysost. *Homil.* 21. in cap. 4. *Genes.* num. 1. »nihil enim (inquit) hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem Divino »Spiritu afflati Prophetæ loquuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptæ »ingentem in se continent thesaurum." Et post pauca ita habet: »et linguam quidem Propheta commodavit, gratia autem Spiritus Sancti per »illam omnia humanum genus manifeste docet." S. Ambrosius in *Expo-*

sit. Evangel. secundum Lucam, lib. 1. num. 33. explicans illud Lucæ: *quoniam multi conati sunt*, ita habet: »non conatus est Matthæus, non »conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas: »sed Divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministran»te, sine ullo molimine cœpta compleverunt." S. Greg. M. in *Præfat.* lib. in *Job.*: »sed quis (inquit) hæc scripserit, valde supervacue quæ»ritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse »igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit, qui in il»lius opere inspirator extitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos »facta transmisit."

Quæ contra propositionem in medium adduci possent et ex S. Luca *Actor.* 7. et ex Apostolo epist. II. ad *Timot.* 4. 11. ad *Corint.* 11., et ex lib. 11. *Machab.*, nunc omittimus, quia jam soluta sunt a nobis in cap. superiori. Illud sane nostræ sententiæ singulariter opponi posse videtur, quod, ea semel posita, inde consequi deberet, ut in Sacris scriptoribus unus, idemque esset dicendi modus. Unus tamen, idemque non est in omnibus, uti per se patet. Illud quoque accedit, Scriptores Novi Testamenti quandoque attendisse tantum ad veritatem sententiarum, non vero ad conformitatem verborum, dum Testamenti Veteris loca aliqua citarunt. Hoc autem alienum est a singulari Divina inspiratione verborum.

R. Rationi valde esse consonum, Deum captui scriptorum esse attemperasse, ne contra proprium ingenium, propriamque loquendi rationem quasi violenter ad scribendum impellerentur. Unde in Isaia, utpote ex regio semine, politiori, et elegantiori dicendi ratione uti voluit; in Paulo, utpote doctore legis, acutiori, in Joanne autem hujusmodi, quæ amorem singulariter præferret, ad quem ille sua indole naturaliter inclinabatur, atque ita alia in aliis. Verba autem Sacris scriptoribus suggesta fuisse æque dici potest, tam si ea essent secundum eloquendi rationem ipsius scriptoris, quam si non essent.

Id autem, quod superadditur, ad rem nostram facere posse videtur. Nam inde quodam jure colligi potest, Sacris scriptoribus etiam verba suggesta fuisse, quum ipsi rationi sit valde consonum, eos propria auctoritate ordinem Divinorum verborum mutare non voluisse.

CAPUT TERTIUM.

De Canone Divinarum Scripturarum.

Hoc in capite de multis oportet, ut disseramus: de singulis ergo in distinctis §§. ad eorum omnium majorem perspicuitatem agemus.

§. I.

De quibusdam libris qui citantur a Sacris scriptoribus Veteris Testamenti.

Libri, qui citantur a Sacris scriptoribus Veteris Testamenti, sunt novendecim, vel, sicuti nonnulli volunt, viginti. Hos ergo quamvis in canone Judæorum recensitos non habeamus, atque hodie non superesse Catholici, Hæretici, et Judæi fateantur; tamen uti Divinos a Sacris scriptoribus citatos fuisse, putare quispiam potest: unde auctores disputant, utrum hujusmodi libri divinitus inspirati fuerint, sive in suum canonem eos Judæi receperint sive non receperint. Diversæ sunt hac de re opiniones auctorum etiam Acatholicorum, quas praeter alios, in *Prolegom. Biblicis* cap. 8. qu. 14. Serarius, et Turre in *Institut. ad verbi scripti intelligentiam.* Tract. 1. quæst. 4. art. 17. §. 2., recensuere. Nunc quid nobis in re tam obscura magis probabile videatur.

Prop. Probabilius esse putamus, antiquitus non extitisse aliquos libros vel sacros, vel canonicos, praeter illos, quos nunc habemus in Testamento Veteri.

Id autem antequam ea ratione, qua fieri potest, evincamus, illud monemus, nullo modo dici posse hos libros, de quibus nunc agimus, esse eosdem cum aliquibus illorum sacrorum librorum, qui etiam nunc recensentur inter Canonicos. Id enim Bonfrerius in *Prælogutis in totam Scripturam* sect. 4. luculenter ostendit.

Nostra ergo propositio aliunde probatur. In canonem itaque sacrorum librorum numquam relatum fuisse aliquem illorum librorum, de quibus modo agimus, est res omnino comperta auctoritate S. Hieronymi in *Prologo galeato*, S. Greg. Nazianz. carm. 33., S. Joan. Damascen. lib. 4. de *Fide Orthodoxa* cap. 17. Unde ii libri fuerunt numquam canonici quum non habeamus in Sacrum Canonem fuisse aliquando relatos. Utrum igitur Sacri dici possint, nunc videamus. S. August. *Quaest* 42. in *Numer.* expendens hæc, quæ habentur *Numer.* cap. 21. v. 14. (a) *propterea dicitur in libro: Bellum Domini Zoob inflammavit &c.*, hæc habet: »in quo libro hoc scriptum sit, non »commemoravit, neque ullus est in his, quos Divinæ Scripturae Canonicos appellamus." Inde tamen neminem occasionem capere posse dicit libros apocryphos inserendi auribus incautorum, et curiosorum: »quia licet in Sacris litteris quædam »legamus relata ex alio quovis libro, non sequitur, ut ille sit assumen»dus in Sacras Scripturas, quibus Divina commendatur auctoritas. . . . Licet enim Divinæ auctoritati visum fuerit, »unde voluerit, testimonium »sumere; sed non ideo omnia, quæ ibi scripta sunt, accipienda confir»mat." Quare licet *Liber Bellorum Domini* laudatum legamus in Sacris litteris, inde non sequitur, eum habendum esse uti Sacrum.

Verum quidem est, quemodmodum S. August. lib. 18. *de Civit. Dei*

(a) Juxta antiquam versionem Italam.

cap. 38. animadvertit, quod in Scripturis Canonicis »commemorantur »plura, quæ ibi non explicantur, et in libris aliis inveniri dicuntur, »quos Prophetæ scripserunt, et alicubi quoque eorum Prophetarum no»mina non tacentur (a); nec tamen inveniuntur in canone, quem reci»pit populus Dei." Verum id animadvertens S Augustinus, primo hujus rei causam sibi ignotam esse dicit: deinde hæc superaddit, quibus ostendit, se sentire nobiscum: »nisi quod existimo etiam ipsos, quibus »ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, Sanctus utique Spiri»tus revelabat, alia, sicut homines, historica diligentia, alia, sicut »Prophetas, inspiratione Divina scribere potuisse: atque hæc ita distin»cta fuisse, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos »loquenti judicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad uber»tatem cognitionis, hæc ad Religionis auctoritatem."

His omnibus illud quoque in rem nostram observatione sane dignum accedit, librum Pentatheuchi semel amissum tempore Josiæ inventum esse, uti legitur IV. Reg. 22., verum hic fuit ille idem, qui, mandante Moyse, in latere arcæ repositus erat: aliunde vero constat, librum legis apud populum hebraicum in oblivione non fuisse, sicut animadvertimus *Theol. Revel.* lib. 2. qu. 2. art. 2. Et etiam observandum, librum sermonum combustum a Rege Joachim, inspirante Sancto Spiritu, iterum conscriptum a Jeremia fuisse, sicut *Jerem.* cap. 36. legitur, et Esdram post captivitatem Babylonicam, quamvis libros sacros ex integro non conscripserit, sed tantum reparaverit, sicuti nos putamus (b), eos tamen expurgasse ab iis omnibus erroribus, qui tempore Babylonicæ captivitatis irrepserant. In canone autem Esdræ neque liber Bellorum Domini, neque liber Henoch, Samuelis &c. recensentur. Hæc autem omnia, si non ostendunt, saltem aliquo modo suadent, Deum nullo modo permisisse, perire illos Sacros libros, qui Divina inspiratione conscripti essent.

§. II.

De Canone Hebræorum.

Vox ista canon non unam, sed multiplicem significationem continet; eo tamen nunc sensu accipitur a nobis, quatenus determinatum numerum librorum Sacrorum complectitur. Quia vero canonem horum librorum et in eum, qui fuit Hebræorum, et in alterum, quem Ecclesia Catholica tenet, primo loco commode dividi potest; ideo nunc prius de canone Hebræorum agere instituimus.

Quot libros canon Judæorum contineret, non una omnium sententia est: quidam enim 24. libros in eo contentos fuisse volunt, quemadmodum S. Hieronymus tradit in *Prologo Galeato*: 24. recenset etiam

(a) 1. *Paralipomen.* 29. 29. 11. *Paralipomen.* 9. 29.
(b) *Theol. Revel. lib.* 2. *qu.* 2. *art.* 3.

LIBRARY

Melito Sardensis apud Eusebium lib. 4. *Ecclesiast. Hist.* cap. 26. alii vero 27., sicuti S. Epiphanius lib. 1. *Adversus Hæreses Hæresi* 5. num. 6. Valde plures autem communi consensione putarunt, solummodo 22. fuisse libros, qui in hoc canone continebantur: ita Origines apud Eusebium lib. 6. *Ecclesiast. Hist.* cap. 25, S. Gregor. Nazianz. carmine 33., S. Hilarius in *Prologo* in librum *Psalmor.* nu. 15., et S. Hieronymus in *Prologo Galeato.* Est tamen animadvertendum, hanc diversitatem enumerationis inde contigisse, quia eos, quos aliqui sub uno tantum libro recensuerunt, alii uti duos distinctos libros habuere.

Hunc canonem ab Esdra, et Concilio magno post captivitatem Babylonicam confectum fuisse, fere omnes arbitrantur. Utrum autem post eumdem confectus sit alter, in quo Hebræi reposuerint eos libros, de quorum divina auctoritate aliquando dubitatum fuit, hoc est, Tobiam, Judith &c. valde incertum est. Communis opinio negat: inter ceteros tamen id affirmat Genebrardus ad an. 3860. lib. 2. *Chronologiæ*, immo et tertium canonem admittit ad an. 3952.

Judæi suum canonem dividunt in tres partes, hoc est, in Legem, Prophetas, et Agiographa: ad Legem quinque libros Moysis: ad Prophetas octo libros, scilicet Josue, Judices cum Ruth, Samuelem, (sub quo nomine duo libri primi Regum apud nos veniunt) Melachim, seu Reges, duosque ultimos posteriores libros Regum intelligunt, Isaiam, Jeremiam cum lamentationibus, Ezechielem, et librum duodecim Prophetarum, quos nos *Minores* appellamus: ad Agiographos novem spectare dicunt, hoc est, Job, Psalterium Davidis, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Danielem, Paralipomenon, Esdram, Esther. Quo fit, ut universim libri Veteris Testamenti apud Judæos fuerit 22., tot nimirum, quot in suo alphabeto litteras ipsi habent, sicut Hieronymus in *Prologo Galeato* tradit.

Quum non omnes hi Sacri libri, qui recensentur in canone Judæorum, eodem tempore conscripti fuerint, atque Moyses ceteros alios scriptores longo ante tempore præcesserit, inde necessario consequitur, etiam in Ecclesia Judaica id auctoritatis esse debuisse, qua statui posset, quinam libri in Sacrum canonem referri deberent, quinam autem nullo modo possent. Nam a promulgatione Mosaycæ legis sequentibus temporibus varia scripta prodiisse tum ab ipsis Hebræis, tum etiam a Gentilibus, nullo modo dubitari potest. Hæc autem uti Sacra a Judæis habita fuisse, nemo unquam vel levissimo argumento probare poterit. Semel ac ergo in Ecclesia Hebraica fuit aliqua potestas, quemadmodum eam revera fuisse, Divinæ providentiæ ratio neminem dubitare sinit, eamdem residisse penes Pontificem Hebræorum, et Concilium Sacerdotum, atque Seniorum, dici debet. Quum enim spectaret ad Pontificem judicare inter lepram et lepram, atque finire controversias, quæ circa legem suborirentur, quemadmodum. *Deuteronomii*, cap. 17. legitur; dicendum sane est, hac quoque de re omnium gravissima judicium ferri ab eo debuisse. Ex quo colligitur auctoritatem Summi Pontifices. Novæ Legis conficiendi canonem Sacrorum librorum habere suum fundamentum etiam in Lege Veteri.

§. III.

De Canone Ecclesiæ Catholicæ.

Vetus, Novumque Testamentum hoc in canone continetur. : » Scriptura omnis (inquit Lactantius lib. *Div Institut.* cap. 20.) in duo Testamenta divisa est. Illud, quod Adventum Domini, Passionemque antecessit, id est, Lex, et Prophetæ, Vetus dicitur. Ea vero, quæ post resurrectionem scripta sunt, Novum Testamentum nominatur." Utrumque in libros Legales, Historicos, Sapientiales, et Propheticos distribuitur. Libros Legales Veteris Testamenti Pentatheucus complectitur: libri Historici, in quibus res gestæ referuntur, sunt septemdecim, hoc est, Josue, Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ; Tobiæ, Judith, Esther, Job, et duo priores Machabæorum. Libri Sapientiales, in quibus traduntur ea, quæ ad mores bene informandos, veramque Sapientiam comparandam, quam maxime conducunt, sunt Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, et Ecclesiasticus. Libri Prophetici, in quibus futura prædicuntur, octodecim numerantur, hoc est, liber Psalmorum, Isaias, Jeremias, Baruch Jeremiæ scriba, Ezechiel, Daniel, et duodecim Prophetæ, qui vocantur Minores. Sunt ergo quadraginta quinque libri, quos uti Sacros, et Divinos recipit Ecclesia Catholica, sicuti mox ostendemus. Canon itaque Hebræorum potissimum in duobus differt a nostro: 1. eos solum libros complectitur canon illorum, qui hebraice conscripti fuere, alios autem græce scriptos, et juxta Ecclesiam Catholicam æque Sacros, non complectitur: 2. non est eadem, ac in nostro, in canone Hebræorum, divisio librorum Legalium, Historicorum, Sapientialium, et Propheticorum.

Novum quoque Testamentum in libros Legales, Historicos, Sapientiales, et Propheticos dividitur: ad primum genus Evangelia, ad alterum Actus Apostolorum, ad 3. epistolæ Pauli, Joannis, Petri, Jacobi, et Judæ, ad 4. Apocalypsis Joannis Apostoli potissimum spectat.

Non omnes libros, quos canon Ecclesiæ Catholicæ modo complectitur, uti Canonici ab omnibus, etiam Catholicis, semper habiti fuere. Hinc orta divisio in libros Proto-Canonicos, et Deutero-Canonicos. Priores dicuntur ii, de quibus nulla unquam etiam apud Catholicos dubitatio fuit: posteriores autem alii, quos nonnulli quoque Patres in Sacrum canonem non recepere. Nunc autem, ob latum ab Ecclesia hac de re judicium, sunt omnes æqualis auctoritatis.

Hi sunt libri, quos etiam nonnulli Catholici aliquando in dubium revocarunt, et plures hæretici modo quoque revocant: Esther totus, vel saltem ejus septem postrema capita, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Machabæorum libri, epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, epistola Judæ, 2. epistola Petri, Joannis epist. 2. et 3., atque Apocalypsis. His addi debent partes quorumdam librorum, sicut in Da-

niele hymnus trium puerorum cum antecedenti oratione Azariæ, Belis, et Draconis a Daniele interfecti narratio, Marci cap. ultimum, et quæ Lucæ cap. 22. historia legitur de sudore sanguineo Christi, Angelica apparitione, et consolatione. Nunc nos qua fieri majore brevitate poterit de prædictis libris singulariter agemus, ostendemusque hos quoque omnes in Sacrum canonem esse referendos. Quia vero semel ac perspectum sit de horum librorum Canonica auctoritate, etiam de singulis partibus illorum, saltem aliquo modo, idem compertum est; ideo de singulis supradictis partibus peculiariter agere supersedebimus, ut brevitati consulamus: cujus etiam gratia loca Patrum, et aliorum, de quibus a nobis mentio facienda erit, plerumque non exscribemus, sed a nobis jam lecta in Operibus Patrum solum commemorabimus.

Prop. I. Liber Esther in Sacrum canonem jure, meritoque recenseri debet.

Prob. prop. Librum Esther recenset inter *Sanctos* Origines in epist. ad Julium Africanum num. 3. Concilium autem Laodicenum, postquam cap. 59. statuit, in Ecclesia legi non debere libros *præter canonem*, cap. 60. enumerat eos libros, qui legi debent, atque inter istos librum Esther (a). Concilium Carthaginense III. cap. 47. *præter Scripturas Canonicas* in Ecclesia legi non debere alias primo decernit, deinde dum recenset numerum Scripturarum Canonicarum, iisdem librum Esther accenset (b). Innocentius I. (c) epist. 6. ad Exsuperium Episcopum Tolosanum num. 13. dum recenset libros, *qui recipiuntur in canone*, etiam librum Esther enumerat. Gelasius in 1. Concilio Romano 70. Episcoporum etiam librum Esther annumerat libris Veteris Testamenti, quos *Sancta, et Catholica Romana suscipit, et veneratur Ecclesia* (d). S. Cyrillus, *Catech.* 4. de *Divinis Scripturis*, num. 35. illud primo advertit, Sacros libros cum apocryphis non esse commiscendos: antequam vero enumeret libros sacros, et inter istos etiam librum Esther, asserit hujusmodi libros *cum fiducia legi in Ecclesia*, *Apostolos*, *et veteres Ecclesiæ rectores*, *qui eos tradidere*, *fuisse prudentiores*, *et religiosiores*. S. Joan. Damascenus lib. 4. *de Fide Orthodoxa*, cap. 17. libris *in Canone receptis*, adjungit librum Esther, sicuti etiam Rufinus fecerat *Comment. in Symbolum*. S. Augustinus, lib. 2. *de Doctrina Christ.* num. 13. eamdem libri Esther, ac aliorum Sacrorum, rationem habet. Hæc eadem res adhuc pluribus comprobari posset. Verum hæc sufficere putamus.

Librum Esther uti Canonicum Hebræi habuerunt. Eumdem tamen in canone non recenset S. Greg. Nazianz. Carm. 33. *de Veris*, *et Germanis Scripturæ libris*, atque Melito Sardensis apud Eusebium lib. 4. *Hist. Ecclesiast.* cap. 26. sicut etiam libri Esther extrema capita ante Concilium Tridentinum uti Canonica non habuere Lyranus, Dionysius

(a) *Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum.* 791.
(b) *Eodem tomo, colum.* 968.
(c) *Apud Constantium.*
(d) *Tom. 2. Concil. prædict. edit. colum.* 937.

Carthusianus, Cajetanus, et Hugo Cardinalis, quemadmodum Bonfrerius in *Præloquiis in totam Sacram Scripturam* sect. 3. animadvertit. Verum id sane mirandum, etiam post Tridentinum Concilium Sixtum Senensem in sua *Bibliotheca* lib. 1. iisdem accessisse, tradidisseque, sex ultima capita libri Esther *ab incerto Græco Scriptore addita fuisse.*

Hic nonnulla animadvertamus, oportet, quæ non minus ad hujus nostræ primæ propositionis, quam ad sequentium majorem claritatem valde conferunt. Illud ergo apud omnes certum esse debet, etiam nonnullos Ecclesiæ Patres uti Canonicos non suscepisse, vel saltem dubitasse, utrum in Canonem recipiendi forent aliqui illorum librorum, quos Tridentina Synodus accensuit Sacro Canoni, immo tum Summi Pontifices, tum Concilia longo ante tempore accensuerant. Dicendum est ergo, vel non innotuisse hujusmodi Patribus, quod Summi Pontifices, et nonnulla Concilia quoad rem istam definierant, vel si innotuit, putasse eos ad instar cujusdam simplicis enumerationis fuisse a prædictis in Canonem relatos, non vero aliquam sententiam ferendo contra eos, qui eosdem ut Canonicos non haberent. Et re quidem vera ut sistamus in iis locis, quæ citavimus: Concil. Laodicenum an. 372. habitum hæc solummodo habet cap. 66., antequam recenseat libros in Canonem recipiendos: *quæ autem oporteat legi, et in canonem recipi, hæc sunt.* Concil. Carthaginen. III. an. 397. ista præmittit cap. 77. ante enumerationem librorum Sacrorum: *item placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Divinarum Scripturarum.* Innocent. I. an. 495. in epist. *ad Exuperium* num. 13. ita habet: *qui vero libri recipiantur in Canone, brevis annexus ostendit.* Gelasius una cum Concilio 70. Episcoporum an. 494. catalogum quidem Sacrorum librorum contexuit; verum nullam sententiam contra eos tulit, qui aliquem illorum non reciperent. Ex his ergo constat, tum ista duo concilia, tum Innocentium, et Gelasium constituisse Canonem Sacrorum librorum non ad instar regulæ canonicæ, a qua nemo recedere deberet, sed cujusdam simplicis enumerationis, instructionisque Fidelium.

Et re quidem vera licet S. Augustini tempore tum Concilium Laodicenum, et Cartagineuse III. tum Innocentius I. recensuissent libros, qui spectant ad Sacrum Canonem, eosque etiam ipse S. Augustinus eidem Canoni accensuisset; tamen antequam id faceret, hæc præmisit: (a) »in Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint, quæ Apostolicas Sedes »habere, et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in »Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt: in eis vero quæ »non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque »accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. »Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quam»quam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas ha-

(a) *Loco supra cit. num.* 18.

»bendas puto." Quare sive S Augustino innotuerit, quod sane magis probabile est, ille Sacrorum librorum canon, quem prædicta duo Concilia, et Innocentius confecerunt, sive non innotuerit, constet ex his, quæ habet Augustinus, ejus adhuc ætate incertum fuisse, quinam libri in Sacrum Canonem referendi, vel non referendi essent, quamvis ipse eorumdem determinatum canonem contexuerit. Unde mirandum non est, si etiam quidam Patres Divinam auctoritatem aliquorum hujusmodi librorum vel in dubium revocaverint, vel omnino rejecerint.

Alterum quoque nunc a nobis advertatur oportet, hoc est, eos libros, qui primis Ecclesiæ temporibus uti Canonici non recipiebantur, modo autem ab universa Ecclesia recipiuntur, tunc quoque *Ecclesiasticos* vocatos, in Ecclesia legi consuevisse, non tamen pro ferri loca ex eis ad *fidei nostræ assertiones* comprobandas, sicut in *Comment. in Symbolum* Rufinus testatur. Idem affirmat etiam Hieronymus in sua *Præfat. ad Proverbia*. Superaddit autem Rufinus *ceteras apocryphas* scripturas in Ecclesia legi non consuevisse.

Tandem est advertendum numquam desiisse plures, eosque magnæ auctoritatis, qui in Sacrum Canonem eos libros retulerint, quos in eumdem revera esse referendos postea Ecclesia definivit. De libro Esther jam comperta res est ex iis, quæ in medium protulimus: ut de aliis hoc sit æque compertum, infra efficiemus, dum de singulis disputabimus. Quod vero inde colligimus, hoc unum est, latum ab Ecclesia judicium de Canone Divinorum librorum juxta Augustini monitum niti traditione plurimarum, graviorumque Ecclesiarum. Hæc tria habenda sunt præ oculis in hac tota disputatione Sacrorum librorum.

Prop. II. Liber Tobiæ, et Judith in Sacrum Canonem jure, meritoque referri debet.

Prob. prop. Utrumque librum reponunt in Canonem Sacrorum librorum Concil. Carthaginense III. (a), Innocentius I. epist. 6. ad Exsuperium Episcopum Tolosanum, Gelasius in Concilio Rom. 70. Episcoporum (b). S. Cyprianus tum *de Orat. Domin.*, tum de *Opere*, *et Eleemosynis* citat plura loca Tobiæ, uti *Sacram Scripturam*. Idem facit S. Athanasius in *Apologia cont. Arrianos* nu. 11. S. Augustinus lib. 2. *de Doctrina Christiana* nu. 13. et S. Gregorius M. *Regulæ Pastoralis* par. 3. cap. 20. S. Hieronymus pluribus in locis librum Judith sicuti apocryphum primo rejecit; deinde tamen in *Præfatione* in eumdem librum ob auctoritatem Synodi Nicænæ illum adnumerantis ceteris Divinis Scripturis, uti Sacrum admisit. Non negandum sane, quemadmodum in adnotatione Vallarsianæ editionis recte animadvertitur, uti certos ipsum Hieronymum habuisse quosdam indiculos Sacrorum librorum, qui ejus ætate sub nomine Synodi Nicænæ, et Chalcedonensis circumferebantur. At vero ex nullo edito Canone Divinarum Scripturarum, vel ex singulari decreto Concilii Nicæni colligi potest, librum Judith esse

(a) *Tom.* 1. *Concil. edit. Harduini*, *colum* 968.
(b) *Tom.* 2. *prædictæ edit. colum.* 937.

Canonicum, sed solummodo hoc inde erui recte potest, quia ejusdem Concilii Patres etiam ab eodem libro plura testimonia deprompserint, non secus ac ex aliis libris Sacris. Quod sane nunc ostenderemus, si quam constituimus servare brevitatem, inde non prætergrederemur.

Fatendum est autem, præter Hebræos, a Sacro Canone duos prædictos libros ablegasse Melitonem apud Eusebium lib. 4. *Eccles. Hist.* cap. 26. S. Greg. Nazianz. carm. 33. *de Veris, et Germanis Script. libris*, Rufinum in *Expositione symboli*, S. Cyril. Hierosolymit. *Catechesi* 4. nu. 35., Concilium Laodicenum cap. 60. (a), S. Joan. Damascen. lib. 4. de *Fide Orthodoxa* cap. 17.

Quæ in superiori propositione primo loco adnotavimus, hic quoque sunt animadvertenda, immo vero etiam in seqq. propositionibus. Nam tunc nullum ab Ecclesia hac de re certum judicium editum erat: unde mirandum non est, si nonnulli quoque Patrum non habuerint uti Canonicos eos quoque libros, quos deinde Ecclesia declaravit spectare ad Sacrum Canonem. Id autem nunc monuisse sufficiat, neque erit, cur in singulis propositionibus repetamus.

Prop. III. Liber Sapientiæ, et Ecclesiastici spectant ad Sacrum Canonem.

Prob. prop. Sapientiam Sacris Libris annumerant Melito apud Eusebium *Hist. Eccles.* lib. 4. cap. 26., Concilium Carthaginense III. cap. 47. (b), Innocentius I. epist. 6. ad *Exsuperium* num. 13., Gelasius in Concilio Rom. 70. Episcoporum (c), S. Irenæus apud Eusebium lib. 5. *Eccles. Hist.* cap. 8., Origenes Homil. 12. in *Leviticum* nu. 4., Athanasius epist. 1. ad *Serapionem* nu. 16., epist. 3. ad eumdem nu. 4. S. Basilius lib. 5. *advers. Eunomium*, S. Greg. Nazianz. *Orat.* 34., S. Gregorius Nyssemus Orat. 2. *cont. Eunomium*, S. Joan. Chrysost. *de Virginitate* nu. 22., S. Cyprianus epist. 5., S. Hilarius *Tract.* in *Psal.* 136. nu. 11. S. Ambrosius in *Psal.* 118. n. 23., et tandem S. Augustinus lib. 2. *de Doctrina Christiana* num. 13.

Librum Ecclesiastici eodem in censu habent iidem fere omnes, quos modo commemoravimus. Superaddimus eis S. Clementem Alexand. lib 1. *Stromatum* num. 10., S. Epiphanium *Hæresi* 79. nu. 57. Plures tamen hunc librum citant sub nomine Salomonis, sicuti Bonfrerius in *Præloquiis in totam Scripturam* animadvertit.

Tam Sapientiæ, quam Ecclesiastici librum in Sacrum Canonem reponendum non esse, putarunt, qui de libro quoque Tobiæ et Judith idem censuere. Non est ergo, cur nunc ii commemorentur a nobis.

Prop. IV. Liber Baruch, sicut etiam libri Machabæorum e Sacro Canone expungi non debent.

Prob. prop. prior pars. Inter ceteros libros Canonicos Baruch quo-

---

(a) *Tom. 1. Concil. edit. Harduini, colum.* 791.
(b) *Tom. 1. Concil. edit. Harduini, colum.* 968.
(c) *Tom. 2. præd. edit. colum.* 937.

que liber recensetur a Laodiceno Concilio cap. 60. (a), a S. Cyrillo Hierosolym. *Catech.* 4. nu. 35. Sub Jeremiæ nomine citat librum Baruch, uti Divinum, S. Basilius *adversus Eunomium* lib. 4. in illud: *ut cognoscant te solum Deum verum*, sub nomine autem *Divinæ Scripturæ* S. Clemens Alexandrinus *Pædagogi* lib. 2. cap. 3., Origenes in *Psal.* 123., S. Joan. Damascenus *Orat.* 1. *de Imaginibus* nu. 1. Ut autem ad Latinos veniamus Baruch sub nomine Jeremiæ a Tertuliano laudatur in *Scorpiaco*, a S. Cypriano lib. 2. *adversus Judæos* cap. 6., a S. Hilario *de Trinit.* lib. 4. num. 42., a S. Ambrosio *de Fide* lib. 1. cap. 3. num. 27., a S. Petro Chrysologo *Serm.* 38., a S. Gregorio M. in lib. 1. *Regum* lib. 1. cap. 2. num. 15., a S. Bernardo *Serm.* 2. *in Assumptionem B. Virginis* num. 1. aliisque, quos non est, cur in medium proferamus. Hosce autem data opera recensuimus, ut ex antiquitate constaret, non minus de hujus libri Divina inspiratione dubitandum esse, quam ceterorum, qui in Canonem relati fuerunt.

Nonnulli quidem ex antiquioribus, qui contexuerunt canonem Scriptorum Divinorum, in eum non retulerunt librum Baruch, inter quos præter Innocentium, Gelasium, et nonnullos alios: unus est S. Augustinus, qui lib. 2. *de Doctrina Christiana* num. 13. inter ceteros Sacros libros non recensuit librum Baruch. Verum, uti jam monuimus, commune fuit pluribus antiquis sub nomine Jeremiæ citare librum Baruch. Exemplo nunc sit idem Augustinus, qui lib. 18. *de Civit. Dei* cap. 23. num. 1. et *Contra Faustum* lib. 12. cap. 43. sub nomine Jeremiæ loca quædam Baruch in medium profert.

Prob. altera pars. S. Cyprianus ex 1. Machabæorum unum locum, uti *Scripturam Divinam* in medium adducit *de Exhortatione martyrii* num. 5. et in eodem opere num. 11. alterum ex II. Machabæorum. S. Hilarius in lib. *cont. Constantium* num. 6. Divinam auctoritatem lib. Machabæorum agnoscit. Innocentius I. epist. 6. ad Exsuperium inter libros Canonicos recenset utrumque librum Machabæorum. Liber unus Machabæorum, alias libri duo, sicuti in margine legitur (b), Sacro Canoni accensentur in I. Concilio Romano sub Gelasio: accenset quoque S. Augustinus lib. 2. *de Doctrina Christiana* num. 13., et Eugenius in decreto pro Jacobitis (c).

Fuere sane nonnulli, qui libros Machabæorum non receperunt uti Canonicos; verum hoc nihil refert, unumque modo sufficit nobis, Ecclesiam fultam auctoritate Veterum definiisse, hos quoque libros uti Canonicos esse recipiendos.

Prop. V. Epistola ad Hebræos et D. Paulo tribui debet, et est Divinæ auctoritatis.

Prob. prop. Utramque vero partem ejus simul comprobabimus. S. Irenæus lib. 2. *cont. Hæreses* cap. 30. num. 9., lib. 3. cap. 6. num. 4., et

(a) *Tom.* 1. *Concil. edit. Harduini*, *colum.* 791.
(b) *Tom.* 2. *Concil. ejusd. edit. colum.* 937.
(c) *Tom.* 9. *Concil. ejusd. edit. colum.* 1024.

alibi, eodem modo, quo ex aliis Sacris libris, etiam ex hac epistola plura loca in medium adducit. Idem facit S. Clemens Alexand. in *Cohortatione ad gentes* num. 9., *Stromatum* lib. 2. num. 20., et lib. 4. num. 20., in quo sub nomine Apostoli citat, quæ habet Paulus *Hebræor*, cap. 12. v. 13. Idem servat Origenes in librum *Jesu Nave Homil.* 8. num. 6., et in Psal. 7. v. 6.: Alexander Episcopus Alexandrinus apud Socratem *Hist. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 6., S. Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 11. num. 4., S. Basilius *adversus Eunomium* lib. 4. num. 2., S. Gregorius Nazianz. Orat. 17. prope finem, S. Epiphanius *Hæresi* 70. num. 4. S. Joan. Chrysosthomus in *Genesim* Serm. 8. num. 2., S. Cyrillus Alexand. *contra Julianum* lib. 4.

Nunc ad Latinos veniamus, atque eorum quoque aliquos commemoremus. S. Clemens in sua 1. Epist. *ad Corinth.* num. 12. 16. 17. 36., et 58. appellat ad plura testimonia hujus Epistolæ, non secus ac aliarum epistolarum D. Pauli, licet, uti plerumque solet, nulla ejusdem Apostoli facta mentione. Tertullianus lib. 2. *adversus Marcionem* cap. 8. et 9., *adversus Judæos* cap. 14., in *Apologetico adversus gentes* cap. 16. plura depromit ex epistola ad Hebræos, non secus ac ex aliis Sacris libris, sicuti etiam S. Cyprianus epist. 11., S. Hilarius *Tract. in psal.* 124. num. 4., S. Ambrosius *de Fuga seculi* lib. unico cap. 3. num. 16. *de Pœnitent.* lib. 2. cap. 2. num. 6., Synodus Romana sub Damaso congregata hanc quoque ad Hebræos ceteris Epistolis Paulinis accenset (a). S. Optatus Milevitanus lib. 7. *cont. Parmenianum* hujus epistolæ urget auctoritatem, et Philastrius Episcopus Brixiensis *de Hæresibus Hæresi* 89. singularem esse tradit hæresim illorum, qui epistolam ad Hebræos Pauli esse inficiantur. S. Hieronymus, quamvis non semel tantum dicat, hanc Epistolam non recipi a Latinis uti Canonicam; ipse tamen non solum in lib. 2. *Comment.* cap. 1. Epistolæ ad Galat., et in *Cathalogo Ecclesiasticorum Scriptorum in Paulo*, hanc epistolam tribuit Paulo, atque uti Canonicam laudat, sed etiam lib. 2. *adversus Jovinianum* plura loca profert ex epistola ad Hebræos, quam Paulo tribuit, et uti Divinam agnoscit. Utrumque sæpe facit S. Augustinus in suis passim operibus. Eadem vero sententia fuit, ut multos alios omittam, S. Petri Chrysologi *Sermone* 72.. S. Gregorii Turonensis *Hist. Francorum* lib. 6. num. 40., S. Gregorii M. *Regulæ Pastoralis* par. 2. cap. 6., atque Isidori Hispalen. in *Præfatione* librorum Novi Testamenti.

Multa sane contra opponunt, qui nobis adversantur: nos gratia brevitatis ex iis omnibus unum seligemus solvendum, quod præcipuum est, et ex cujus solutione etiam alia facile enodantur.

Dices. Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 3. cap. 3. hæc habet: »eidem »(hoc est Pauli Epistolæ ad Hebræos) ab Ecclesia Romana, tamquam »quæ Pauli non sit, contradici." Idem affirmat lib. 6. cap. 14. Multos Latinorum de ea dubitasse, etiam S. Hieronymus *Comment.* in cap. 26. Matthæi; et Epist. 124, num. 3., alias Epist. 129. refert, et putasse

(a) *Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum.* 937.

plures, esse vel Barnabæ, vel Clementis. Ipse quoque arbitratus fuit, incertum esse, utrum hæc epistola Paulo tribuenda foret, sicuti constat ex ejus *Comment.* in cap. 8. Amosii. Quosdam negasse esse Pauli, testis est etiam S. Augustinus lib. 16. *de Civitat. Dei* cap. 22. num. 1., Philastrius *Hæresi* 89., S. Isidorus Hispalen. *de Ecclesiasticis Officiis* lib. 1. cap. 11., Rabanus *de Institut. Clericali* lib. 2. cap. 54., et alii idem tradunt. Hinc vero, sicuti Erasmus affirmat sub finem adnotationis in epist. ad Hebræos, existimatum fuit, *ante ætatem Hieronymi eam Epistolam non receptam fuisse inter Sacras.*

R. Falsum esse, de auctore, atque auctoritate hujus Epistolæ primis duobus Ecclesiæ sæculis, vel saltem ante finem secundi sæculi apud Latinos disputatum fuisse. Hoc autem inde primo colligimus, quia apud Ecclesias tum Græcas, tum Occidentalem, de auctore, atque Canonica auctoritate, hujus Epistolæ dubitatum non fuit, et Clemens Romanus Pontifex plura hujus epistolæ testimonia laudavit, sicuti tradit etiam Eusebius lib. 3. *Ecclesiast. Hist.* cap. 8. immo, eum interpretem illius Epistolæ habitum fuisse, affirmat S. Clemens Alexand. apud Eusebium *Ecclesiast. Hist.* lib. 6. cap. 14. Et re quidem vera ex Romanis scriptoribus Ecclesiasticis Cajus Romanæ Ecclesiæ presbyter primus omnium, tertio ineunte sæculo, Epistolam ad Hebræos a ceteris Paulinis segregavit occasione cujusdam disputationis, quemadmodum citato loco Eusebius refert, quam habuit adversus Proclum propugnatorem hæresis Cataphrygarum. Cataphrygæ enim, quamvis falso, reponebant fundamentum sui erroris in Epistola ad Hebræos. Contigit ergo, ut quum Cajus difficultatibus ex eadem epistola petitis satisfacere nesciret, contra auctoritatem suorum majorum eam Pauli esse negaverit. Hæc vero controversia de epistola ad Hebræos, tertio inclinante sæculo, rursus agitari cœpit occasione Novatianorum, qui, uti tradit S. Epiphanius *Hæresi* 59. num. 1. et 2. in confirmationem sui erroris auctoritate Epistolæ ad Hebræos abutebantur. Patres Apostoli verba intelligenda dicebant de impossibilitate renovationis baptismatis, non vero pœnitentiæ, quemadmodum Novatiani contendebant. Verum quum nonnulli id imperite non advertissent, de hujus epistolæ auctore, atque Divina auctoritate dubitandum censuere. Hinc Philastrius *Hæresi* 89. inter ceteras rationes, propter quas a quibusdam existimatum dicit, Epistolam ad Hebræos S. Paulo tribui non debere, hanc adfert, hoc est, quod faveret Novatianis. Quemadmodum autem Novati, ita etiam Arrianorum error in causa fuit quarto Ecclesiæ sæculo, cur aliqui in eumdem errorem inciderint, sicuti citato loco Philastrius asseverat. Nam etiam Arriani suum errorem ex illis Apostoli verbis: *qui quum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, confirmare nitebantur. Verum S. Hilarius Latinorum disertissimus lib. 1. *de Trinitate* Apostoli dicendi rationem explicandam suscepit, et ab omni, vel levissima, suspicione erroris vindicavit, remque eamdem nonnulli græci Patres præstitere.

Quopropter Eusebium, et S. Hieronymum non de primis Ecclesiæ temporibus loquutos fuisse, dicendum est, sed vel de sua ætate, vel de

es, quæ eosdem perumper præcesserat. Dum autem affirmant: *ab Ecclesiis Romana et contradicit: multos Latinorum de ea dubitasse*, ita accipi debent, ut respexerint ad quosdam Latinæ Ecclesiæ, qui quidem, habita ratione contra sentientium, non multi, sed pauci erant. Et re quidem vera Eusebius *Eccl. Hist.* lib. 3. cap. 3. postquam dixit: *Ab Ecclesia Romana et contradici*: hæc superaddit: *nam ad hanc usque diem apud quosdam Romanos non existimatur esse Pauli.* Cæterum ipse quoque Euseb. *Præparat.* lib. 12. cap. 13. uti Divinum, et sub Apostoli nomine deprompsit testimonium desumptum ex epist. *ad Hebræos* cap. 8. v. 5. Quum vero etiam S. Hieronymus idem fecerit, sicuti jam ostendimus, dicendum est, tam ab Eusebio, tam a S. Hieronymo probatam non fuisse sententiam illorum, qui hanc epistolam uti Divinam, et Pauli Apostoli non admittebant, et fortasse etiam nimis, quam par erat, sua loquendi ratione eosdem auxisse numerum eorum, qui hac de epistola dubitabant.

Quosdam autem in dubium revocasse et auctorem, et Divinam auctoritatem hujus Epistolæ, non tamen primis duobus Ecclesiæ sæculis, et nos quoque assentimur.

Prop. VI. Epistola Jacobi est revera illius, atque Divinæ auctoritatis.

Prob. prop. Hujus ergo Epistolæ auctorem esse dicimus non Jacobum fratrem Joannis, sed Jacobum fratrem Domini, minorem vocatum, qui fuit Episcopus Hierosolymorum, et a S. Paulo in Epist. *ad Galatas* 2. 9. inter columnas recensetur. Eum vero suum nomen Epistolæ non præposuisse dici potest, vel quia aliunde Judæis, qui susceperant fidem Christi, notus erat, quia tenebat cathedram Hierosolymorum, vel ne nimis sibi tribuere videretur, quum scriberet ad eos, qui ministerio aliorum Apostolorum fidem Christi receperant. Hac etiam fortasse de causa neque Joannes, neque Judas in suis Epistolis se inscripserunt Apostolos, quia vel non soli, vel non primi omnium iis, ad quos scribebant, suasores fuerunt, ut fidem Christianam amplecterentur. S. Petrus se vocavit Apostolum, quia erat caput omnium Ecclesiarum, idemque, una excepta epistola ad Hebræos, fecit etiam S. Paulus, tum ut sibi majorem auctoritatem vindicaret, tum ut omnibus significaret, se non esse amplius Ecclesiæ persequutorem, sed Apostolum. Nunc quod volumus.

Patres tum primis Ecclesiæ temporibus, tum etiam sequentibus ex hac quoque epistola eodem modo, quo ex aliis Canonicis, et sæpe etiam Jacobi mentione facta, in confirmationem suorum dictorum varia loca in medium protulerunt. Id fecit S. Clemens in sua 1. epist. *ad Corinthios* num. 31., S. Ignatius in epist. *ad Ephesios* num. 5., Irenæus lib. 4. *cont. Hæreses* cap. 16. num. 3. S. Clemens Alexandr. *Stromatum* lib. 5. num. 14., Origenes lib. 1. *de Principiis* num. 6., Athanasius orat. 3. *cont. Arrianos* num. 61., S. Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 7. num. 5., S. Basilius *Tractatu de Consolatione in adversis* num. 2. S. Epiphanius *Hæresi* 31. num. 34. S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 2. num. 5. in 1. caput *Geneseos*. S. Hieronymus lib. 1. *adversus Luciferianos* num. 39., S.

Augustinus epist., etiam alias, 193. num. 3., S. Gregorius Magnus lib. 12. *Moralium* num. 38. Hinc mirandum non est, si et ab Innocentio I. epist. 5. ad Exsuperium num. 13., et a Concilio Laodiceno cap. 60. (a), et a Gelasio in Concilio Rom. 70. Episcoporum (b) inter libros Canonicos hanc quoque epistolam recensitam fuisse, legamus.

Prop. VII. Epistola II., quæ S. Petro tribuitur, revera est illius, atque Divina.

Prob. prop. Hac in Epistola inscriptum legimus non solum nomen Apostoli, sed etiam Simonis, quo sane S. Petrus in Evangelio designatur. Deinde auctor hujus epistolæ 1. 16. ita habet: »non enim doctas fabulas »sequuti notam fecimus vocis Domini nostri Jesu Christi virtutem, et »præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis." Profecto S. Petrus fuit unus eorum; qui transfigurationi Christi interfuerunt. Postremo ad alteram epistolam, quam ad eosdem dederat, appellat S. Apostolus his verbis 3. 1. »hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, »in quibus vestram excito in commonitione sinceram fidem." Dubitari ergo non potest, utramque a S. Petro scriptam fuisse, et propterea etiam utramque esse Divinæ auctoritatis.

Et re quidem vera etiam ab antiquioribus Ecclesiæ Patribus talis habita semper fuit. Id constat ex S. Clemente epist. I. *ad Corint.* num. 11., S. Irenæo *cont Hæreses* lib. 5. cap. 23. num. 2., S. Clemente Alexand. in *Cohortat. ad Gentes* num. 10., et *Pædagogi* lib. 3. num. 12., Origene *Homil.* 4. *in Liviticum* num. 4., S. Athanasio *Orat.* 1. *cont. Arrianos* num. 16., S. Cyrillo Hierosolymit. *Catechesi* 22. num. 3., Concilio Laodiceno cap. 60. (c), Concilio Carthaginensi III. cap. 47. (d), Gelasio in Concilio Romano 70. Episcoporum, Innocentio I. in epist. 6. ad Exsuperium num. 13., S. Epiphanio *Hæresi* 66. num. 64., S. Hieronymo lib. 2. *adversus Juvinianum* num. 3., S. August. in Psal. 30. *Enarrat.* 3. num. 6., S. Gregorio M. in *Ezechiel.* lib. 2. *Homil.* 6. num. 11.

Non eadem quidem dicendi ratio in ista secunda Epistola adhibetur, ac in altera, quæ eidem S. Apostolo tribuitur: verum sola diversa ratio dicendi per se non sufficit, ut liber aliquis ab eo auctore abjudicetur, cui vulgo adjudicatur, si aliunde de vero auctore illius constet argumentis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Quum ergo constet et ex iis, quæ in hac epistola continentur, et ex testimoniis Veterum jam demonstraverimus, hanc quoque epistolam S. Petro tribui debere, non est, cur quispiam amplius rem istam in dubium revocet. Unde recte Millius in *Prolegom. ad Novum Testamentum* par. 1. num. 129. ita habet: »verum »frustra ex dissimilitudine styli diversorum eas esse colligitur, quas »unius, ejusdemque auctoris esse aliis luculentis indiciis constat. Neque »vero valet argumentum a sermonis diversitate ductum, quum multis

(a) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum.* 791.
(b) *Tom. II. prædict. edit. colum.* 937.
(c) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum.* 791.
(d) *Eodem tomo colum.* 968.

»modis fieri possit, ut idem scriptor alio, atque alio dicendi charactere »utatur" Hanc diversam dicendi rationem, quæ occurrit in duabus Epistolis Petri, S. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam qu. 2. repetit a diversitate Interpretum, quibus Apostolus pro diversitate temporum usus fuit.

Falso autem Grotius initio *Adnotat.* in hanc alteram epistolam non solum ex diversa dicendi ratione se colligere posse putat, eamdem S. Petro tribui non debere, sed etiam quia multæ Ecclesiæ illam non receperunt, et ea scripta fuit post excidium Hierosolymitanum, quemadmodum ex cap. 3. constare ipse putat.

Quamvis enim aliquæ Ecclesiæ statim hanc Petri epistolam non receperint, quia apud eas dubitabatur, utrum revera esset illius; tamen etiam ante Concilium Laodicenum a multis Ecclesiis tum in Oriente, tum in Occidente receptam fuisse, constat ex testimoniis Patrum antiquiorum, quæ supra retulimus. Horum autem auctoritatem per se quidem gravissimam quum ceteræ de nde omnes Ecclesiæ sequutæ fuerint, non video sane, cur eamdem Grotius cum paucis quibusdam aliis et ipse non sequatur.

Hanc vero Epistolam scriptam fuisse post excidium Hierosolymitanum, Grotius inde falso autumat, quia S. Petrus cap. 3. hortatur omnes, ut cum patientia, et longanimitate expectent judicii diem. Quid? nonne, ut nunc alia prætereamus, Christus de ultimo die judicii multa prædixit, licet Hierosolyma nondum excisa esset?

Prop. VIII. Secunda, et tertia Epistola, quæ tribuuntur S. Joanni, sunt revera illius, atque Divinæ auctoritatis.

Prob. prop. Has duas Epistolas esse ejusdem auctoris, ac priorem, immo tum eas, tum Evangelium, quod secundum Joannem inscribitur, eidem auctori tribui debere, inde primo evincitur, quia unus, idemque modus dicendi, atque etiam eædem phrases adhibentur. Rem notam loquimur, quæ ex sola lectione unicuique comperta esse potest: quare non est, cur nos illam comprobare studeamus. Extrinsecis itaque argumentis nunc pro re nostra decertemus.

Quum ergo hæc duæ epistolæ posteriores ad Electam, et Gajum, in Asia commorantes directæ fuerint, S. Irenæus bis de secunda, non secus ac de Divino verbo, mentionem fecit, hoc est, et in lib. 1. *cont. Hæreses*, cap. 16. num. 3., et lib. 3. cap. 16. num. 8. Traditio Divinæ auctoritatis harum Epistolarum ab Asia in Ægyptum cito transmeavit: nam Eusebius *Ecclesiast. Histor.* lib. 6. cap. 14. refert, S. Clementem Alexandrinum eas quoque Epistolas, uti *Catholicas*, admisisse. Id etiam ab ipso S. Clemente comprobatur, dum *Pædagogi* lib. 2. cap. 7. laudat, uti *Divinum Verbum*, testimonium depromptum ex Epist. III. S. Joannis. Clementem Alexand. sæc. 4. sequutus fuit S. Athanasius: nam apud Socratem *Hist. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 3. in epistola, quam scribit *ad fratres, qui sunt ubique gentium*, secundam Epistolam Joannis, uti Divinam, et Canonicam laudat, ipsique Joanni tribuit. Etiam in Africa primis Ecclesiæ temporibus hæc duæ epistolæ Divinam auctoritatem ha-

buerunt, uti constat ex Tertulliano *de Præscriptionibus* cap. 12., et 33. Quin etiam ab Ecclesia Hierosolymitana uti Divinas receptas, S. Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi* 4. num. 36. fidem facit. Idem contigit apud Cyprios, sicuti constat ex testimonio S. Epiphanii *Hæresi* 27. num. 25, et apud Syros ex testimonio S. Ephræm tom. 3. *Paræneticis Parænesi* 47. Tandem quoad Italiam res eadem comperta est ex Lucifero Episcopo Calaritano in lib. de *Non conveniendo*, et S. Ambrosio in *Comment.* in *Psal.* 36. num. 60.

Quod autem aliqui has duas epistolas alteri cuidam Joanni Presbytero, nuncupato, inde tribuant, quia auctor harum duarum Epistolarum, nullo alio superaddito, se *Seniorem*, seu *Presbyterum* inscribit, sine ulla ratione id faciunt. Vox enim Senior, seu Presbyter, quid valde præcellens significat, quod nostro Apostolo quam maxime convenit, qui erat plusquam nonagenarius, et omnibus Ecclesiis Asiaticis præsidebat.

Alterum quidem Joannem vocatum Presbyterum, Ecclesiæ Ephesinæ Episcopum ab Apostolo Joanne præfectum fuisse, *Constit. Apostolic.* Auctor lib. 7. cap. 46. tradit: verum omnibus Ecclesiis Asiaticis iste non præfuit, et hac de causa habere non potuit in illas eam auctoritatem, qua S. Joannes epist. 3. se usurum comminatur. Papias apud Eusebium *Hist. Ecclesiast.* lib. 3. cap. 39. duos quidem Joannes eodem tempore vixisse tradit; verum ab altero, quam a Joanne Apostolo, has epistolas scriptas fuisse, non affirmat.

Neque est, cur testimonium S. Hieronymi in *Catalogo Ecclesiast. Script. in Joanne*, quis opponat: non suam enim, sed opinionem aliorum hoc loci refert. Nam in epist. 85. *ad Evagrium* utramque epistolam ipsi Joanni ipse tribuit, et in *Comment.* 1. Epist. *ad Titum* citat Epistolam S. Joannis ad Gajum.

Ex hisce omnibus facile refelluntur, quæ Grotius initio *Adnotat.* in 2. Epist. Joannis opponit, hoc est, has duas Epistolas Joanni tribui non debere, tum quia simul extitere duo Joannes, unus Apostolus, et alter Presbyter, tum quia auctor harum Epistolarum se non vocat Apostolum, tum demum quia apud plures gentes non receptæ illæ fuerunt. Quod vero addit, probabile non esse, extitisse aliquem, qui resisteret Apostolo, sicuti revera Diotrephes fecit, nullius momenti est: non solum enim ceteris quoque Apostolis, sed etiam ipsi Christo multi contradixere.

Prop. IX. Epistola, quæ tribuitur Apostolo Judæ, est revera illius, atque Divina.

Prob. prop. Auctor hujus Epistolæ, quemadmodum ex inscriptione illius compertum habemus, est Judas frater Jacobi Apostoli, sive Thaddæus Apostolus filius Alphæi: quem enim Matthæus, atque Marcus Thaddæum vocant, is hic a Luca tum in Evangelio, tum in Actis Apostolorum Judas Jacobi dicitur. Initio Epistolæ sua pia desideria exponit S. Apostolus, atque ad scribendam illam sollicitudine sui muneris se compulsum dicit. Unde monet illos, ad quos scribit, ut sint memo-

res (a) *verborum*, *quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi*. Quum ergo doceamur auctoritate Evangelistarum, Judam tratrem Jacobi fuisse Apostolum, et auctor hujus Epistolæ fratrem Jacobi sese inscribat, tam de auctore, quam de auctoritate illius unicuique constare debet.

Utrum hæc Epistola Canonica esset, dubitatum fuisse a nonnullis, Eusebius *Eccles. Hist.* lib. 2. cap. 23. tradit; tamen in eodem loco hæc habet: „ex iis autem, quæ in dubium revocantur, a multis tamen „commemorari videmus, est epistola, quæ dicitur Jacobi et Judæ." Uti Canonicam eam sane laudavit, et Apostolo Judæ tribuit S. Clemens Alexandr. *Stromatum* lib. 3. num. 1., et *Pædagogi* lib. 3. cap. 8. Origenes tom. 13. in *Joannem* num. 37., et in *Matthæum* tom. 13. num. 27., S. Cyrillus Hierosolym. *Cathechesi* 15. num. 10., S. Ephrem Syrus tom. 3. *de Timore Dei*, *de Pœnitentia*, *et adversus Hæreticos*.

Quamvis autem non eadem tempore ab Occidentalibus, et ab Orientalibus scriptoribus hanc Epistolam Judæ laudatam fuisse inveniamus; tamen etiam in Occidente primis Ecclesiæ temporibus recepta fuit. Nam si illud acephalum fragmentum, quod Cajo Romano Presbytero tribuendum esse, Muratorius in *Italicis Antiquitatibus* medii ævi tom. 3. Dissert. 43. probabiliter conjecit, eidem Scriptori revera tribuatur; tunc dicere possumus, tertio ineunte sæculo, etiam in Latinis Scriptoribus hujus Epistolæ sub nomine Judæ, atque uti Canonicæ, mentionem factam fuisse. Quæcumque autem hac de re Criticorum sententia sit, illud certum est, Luciferum Episcopum Calaritanum, qui juxta S. Hieronymum an. 370. vivere desiit, in lib. *de Non Conveniendo* hanc Epistolam laudasse sub nomine *Judæ gloriosi Apostoli*. Idem deinde fecit S. Ambrosius *Comment.* in cap. 8. *Lucæ* lib. 6. num. 43., S. Hieronymus tum in Epist. 17. ad *Marcellam*, tum in *Catalogo Script. Ecclesiast.* in *Juda*, S. Augustinus lib. 2. *de Doctr. Christ.* num. 13., et Innocentius I. in epist. 6. ad Exsuperium num. 13.

Dices. S. Judas quum in medium adducat testimonium, et quidem veluti propheticum, desumptum ex libro apocrypho Henoch, argumento id esse debet, hanc epistolam revera neque illius, neque Divinam esse.

R. Ab Apostolo non citari librum, sed prophetiam, quæ verbo tantum, et voce prolata esse potuit, eamque ad S. Judam mediante traditione devenisse. Profecto hujusmodi prophetiam ab Henoch prodiisse, propter auctoritatem Judæ firmissime tenendum est, quomodo vero prodierit, certo definiri non potest. Propter hoc tamen nemo auctoritatem Epistolæ æquo jure in dubium revocaverit. Legatur hac de re S. Augustinus tum lib. 5. *de Civatate Dei* cap. 23., tum lib. 18. cap. 18.

Prop. X. Apocalypsis et S. Joannem Apostolum auctorem habet, et est liber Divinitus inspiratus.

Prob. prop. Et 1. est illud quidem animadvertendum, Cajum Romanæ Ecclesiæ presbyterum hujus libri Divinam auctoritatem in sua di-

(a) *Vers.* 17.

sputatione contra Proclum principem Cataphrygarum primum omnium inde rejecisse, uti Eusebius refert *Eccl. Hist.* lib. 7. cap. 25., quia falso puavit, hos hæreticos ex libro Apocalypsis fabulam sui regni millenarii facile adstruere posse. Dionysius Alexandrinus, sicuti idem Eusebius refert lib. 7. *Eccles. Hist.* cap. 25., quamvis hujus libri Divinam auctoritatem admiserit, eum tamen Apostolo Joanni tribuendum negavit. Præter recentiores, nonnulli alii antiqui hæretici fuere, sicuti ex Tertulliano lib. 4. *cont. Marcionem* novimus, qui Apocalypsim ut librum divinitus inspiratum non habuerunt. At vero hoc utrumque, quod nos modo volumus, compertum est ex ipsa traditione Ecclesiarum.

S. Clemens in sua I. Epist. *ad Corinthios* num. 34., S. Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone* num. 81., S. Irenæus lib. 4. *cont. Hæreses* cap. 20. num. 11., lib. 5. cap. 28. num. 2., S. Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 6. num. 6., Origenes in *Exodum* Homil. 11. num. 1., S. Athanasius *Orat.* 1. *cont. Arrianos* num. 11., S. Cyrillus Hierosolymit. *Cathechesi* 15. num. 22. S. Basilius *advers. Eunomium* lib. 4. num. 2., S. Gregorius Nyssenus Orat. 35., Tertullianus lib. 4. *cont. Marcionem* cap. 5., S. Cyprianus Epist. 31., S. Optatus Milevitanus lib. 2. *de Schismate Donatistarum*, S. Hilarius *Tract.* in *Psal.* 118. num. 3., S. Ambrosius *Exposit.* in Psal. 118. serm. 2. num. 24., S. Hieronymus *advers. Jovinia.* lib. 1. num. 18., S. Augustinus epist. 43. num. 22., alias epist. 162., tandem S. Gregorius M. lib. 4. *Dialogorum* num. 42. vel testimonia depromunt ex Apocalypsi, non secus ac ex aliis Sacris libris, vel non solum id faciunt, sed etiam Apocalypsim Joanni Evangelistæ tribuunt. Rem eamdem habemus confirmatam auctoritate Innocentii I., Gelasii, Concilii III. Carthaginensis locis supra citatis. Concilium autem Toletanum IV (a) cap. 17. ann. 633. ita statuit: »Apo»calypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, et Synodica Sancto»rum Præsulum Romanorum decreta Joannis Evangelistæ esse præscri»bunt, et inter Divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plu»rimi sunt, qui ejus auctoritatem non recipiunt, eumque in Ecclesia Dei »prædicare contemnunt, si quis deinde aut non receperit, aut a Pas»chate usque ad Pentecosten missarum tempore in Ecclesia non prædi»caverit, excommunicationis sententiam habebit."

Dices. S. Joannes Evangelista tum in Evangelio, tum in Epistolis suum nomen non inscripsit, sicuti facit auctor Apocalypsis, seque Joannem esse manifestat. 2. Licet suum nomen indicaverit; tamen non dixit, se esse illum Joannem, qui supra pectus Domini recubuit. Et re quidem vera in Græcis codicibus erat titulus Joannis Theologi. 3. Longe diversa ratio dicendi occurrit in Apocalypsi. ac in ceteris scriptis Joannis.

R. Ad 1., dubitari non posse, Joannem Evangelistam fuisse Prophetam: unde mirandum non est, si ipse quoque, sicut alii Prophetæ fecerunt, Apocalypsi suum nomen apposuerit.

Ad 2. non est opus, ut respondeamus, quum ex traditione Ecclesia-

(a) *Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 584.

rum jam evicerimus, eum, qui scripsit Apocalypsim, esse Joannem Evangelistam. Nihil vero obstat in Græcis codicibus nomen Theologi appositum fuisse: in quem enim melius, quam in Joannem Evangelistam, hoc nomen cadere potest?

Ad 3. respondemus, sicuti alias monuimus, solam diversam dicendi rationem argumento esse non posse, cur cuidam auctori opus aliquod non tribuatur, quando ei esse tribuendum aliunde constat multiplici ratione. Hoc autem tunc potissimum attendi debet, quando pro diversitate argumenti diversam quoque dicendi adhiberi rationem, conveniens valde fuit. Quum ergo argumentum Apocalypsis sit longe diversum ab argumento Evangelii, et Epistolarum S. Joannis, aliundeque constet, S. Joannem esse auctorem Apocalypsis, non est, cur curemus hanc diversam dicendi rationem.

Contra alteram partem duo præcipue opponunt: 1. Apocalypsim dedisse occasionem errori de regno millenario: 2. multa obscura in ea contineri, quæ vix, ac ne vix quidem intelligi possunt. Verum non ipsa Apocalypsis hujusmodi errori occasionem dedit, sed ex ea male intellecta errandi occasionem nonnulli accepere. Quare non suam sententiam accomodarunt Apocalypsi, sed suæ sententiæ Apocalypsim accomodare studuerunt. Quo sane vitio semper factum fuit, ut Sacræ litteræ in confirmationem erroris adhiberentur.

Non solum Apocalypsim, sed etiam alios Sac. Scripturæ libros obscuros esse in multis locis, et nos quoque fatemur: variæ autem sunt, atque multiplices causæ hujusmodi obscuritatis, de quibus non est nunc disserendi locus. Sua tamen est in ipsa obscuritate etiam quoad nos utilitas, quemadmodum plures Sancti Patres, et inter ceteros S. Augustinus, locupletissime comprobarunt (a).

Hic autem in fine hujus capitis ex iis, quæ præmissa sunt a nobis, nonnulla breviter animadvertenda esse, censemus. Primo ergo loco illud esse animadversione dignum arbitramur, Ecclesiam in novissimo generali Tridentino Concilio sess. 4. ductam Spiritu Divino, et æquo jure recensuisse omnes libros, quibus inest Canonica auctoritas, et sub pœna anathematis statuisse, ut iisdem Canonica auctoritas a cunctis deferretur. Ex iis enim, quæ usque modo singillatim disseruimus, hac de re omnino perspectum est. Non solum enim eorum omnium librorum, quos Tridentini Patres recensent, Divinam auctoritatem agnoverunt, eosque propterea inter Canonicos adnumerarunt Summi Pontifices Gelasius in I. Rom. Concilio 70. Episcoporum, Innocentius I. in Epist. 6. ad Exsuperium num. 13., et multo post tempore etiam Eugenius in Decreto pro Jacobitis, sed etiam plures Ecclesiæ omni sæculo eosdem libros, uti Divinum verbum susceperunt, ac veneratæ fuere, quemadmodum jam nos palam fecimus.

Secundo loco animadvertendum, arbitramur, a nemine æquo jure

(a) Causas obscuritatis Sacr. Script. recensuit Bonfrerius in *Præloq. in totam Script. sect.* 4.

Divinam auctoritatem quorundam Sacrorum librorum inde aut contemni, aut non recipi posse, quia non semper ab omnibus, etiam Catholicis, uti Canonici recepti fuere. Nam qui hoc in errore versaretur, nihili, et quidem non sine maximo piaculo, faceret auctoritatem Ecclesiæ definientis hos quoque libros esse Sacro Cannoni accensendos.

Quamvis autem nonnulli quondam contra putaverint, inde non consequitur, ut Divina auctoritas illorum alicui suspecta esse possit. Nam Ecclesia antequam illos libros, de quorum inspiratione Divina aliqui dubitabant, Sacro Canoni accenseret, omnem prius diligentiam adhibuit, ut sibi de illorum Divinitate constaret: hoc autem semel comperto, suum deinde judicium tulit. Ab eo autem ferendo eo usque abstinuit, quo circa hanc rem antiqua, et numquam interrupta traditio sibi innotuit. Quandoquidem nulla alia ratio afferri potest, et revera adfuit, ob quam Ecclesia hisce libris eamdem auctoritatem tribuendam esse judicaverit, ac aliis omnibus, quos uti Canonicos venerabatur, nisi quia de eorumdem Divina inspiratione omnis dubitatio paulatim sublata fuit. Hoc autem factum est, traditione Ecclesiarum diligentius semel inspecta, qua nos quoque supra ostendimus, constare de Divinitate hujusmodi librorum. Quin immo quod Ecclesia hos libros in Sacrum Canonem referre distulerit, id omnibus certo argumento esse debet, ea de re tam gravi tunc solum interposuisse suum judicium, quando nullus amplius supererat dubitationi locus.

Tandem animadvertendum est, non obstare auctoritati Divinarum Scripturarum, quædam, quæ apocrypha erant, a nonnullis aliquando loco Divini verbi habita fuisse. Nam error iste et paucorum fuit, et numquam Ecclesiæ auctoritate comprobatus. Immo vero jam primis temporibus Romani Pontifices solliciti fuere, ne quæ apocrypha erant, atque etiam sub nomine quorumdam Apostolorum circumferebantur, uti Scripturæ inspiratæ divinitus haberentur. Talia enim plura Innocentius I. Epistola 6. ad Exsuperium, facta prius enumeratione librorum Canonicorum, recensuit eaque, uti revera erant, apocrypha esse, declaravit.

§. IV.

De Canone Hæreticorum.

Vetus est error hæreticorum, a Sacro Canone aliquos Divinos libros excludere. Jam inde a tempore Veteris Synagogae Sadducæi, et Samaritani præter Pentateuchum nullum alium librum Sacrum recipiebant: Nazaræi autem, teste S. Epiphanio *Hæresi* 18. num. 1., etiam Pentateuchum non admittebant. Vetus testamentum esse a malo Deo, Manichæi effutiere, sicuti constat ex S. Epiphanio *Hæresi* 66. num. 74. et seq., et ex S. Augustino in lib. *cont. Faustum*, ac *cont. Adversarium Legis, et Prophetarum.* Alii ab aliis Hæreticis Divini libri e Sacro Canone expuncti subinde fuerunt, quos etiam recentiores sequuti sunt, et multi eorum uti apocryphos habent aut omnes, aut plerosque illorum,

qui a Catholicis Deutero Canonici dicuntur. Verum mirandum non est, si longe a vero aberrarunt non minus in interpretatione Divini verbi, quam in ejus determinatione Canonis. Quod utrumque nullam certam regulam habent, sed propriis judiciis utuntur, indeque ipsi quoque inter se hac tota in re dissentiant, oportet. Ut eos nunc simul omnes refellamus, et radicem erroris simul præcidamus, cujusnam auctoritate Canon Divinarum Scripturarum constituendus sit, definiendum aggredimur.

CAPUT QUARTUM.

De ea auctoritate, qua est præfigendus Canon Divinarum Scripturarum.

Intrinseca Divinarum Scripturarum auctoritas, *qua vacillante, titubabit fides*, uti inquit S. Augustinus lib. 1. *de Doctrina Christ.* num. 41., ex Deo revelante proficiscitur. Hæc autem auctoritas nobis perspecta sit, oportet, ne uti Sacram scripturam habeamus, quod non est a Deo revelante; vel quod est a Deo revelante, uti Scripturam Sacram non recipiamus. Quomodo ergo hujusmodi auctoritas nobis perspecta esse non possit, et quomodo possit, pluribus propositionibus nunc definiemus.

Prop. I. Canon Divinarum Scripturarum sola earumdem auctoritate nullo modo constitui potest.

Prob. prop. Hæreticis sane damus, auctoritatem aliquorum Divinorum librorum comprobari posse auctoritate aliorum Divinorum librorum, v. g. libros Moysis auctoritate Evangelii. Verum enim vero unde Evangelii auctoritas comprobabitur? Fortasse ex epistolis Apostolorum? At eadem difficultas semper recurrit: unde enim de harum epistolarum Divina auctoritate constabit? Semper ergo quod est in quæstione positum, habebitur loco certi principii: quod sane non est nodum solvere, sed magis magisque constringere. Deinde vero quamvis libri Moysis auctoritate Evangelii comprobari possint, non tamen singuli singillatim quasi omnes suas partes: licet aliqui Sacri libri pro se habeant auctoritatem aliorum Sacrorum, hanc tamen, qui postremo scripti fuere, nullo modo habere possunt.

Et re quidem vera, quemadmodum cap. superiori monuimus, Hæretici non solum a Catholicis, sed etiam a se invicem dissentiunt, semperque hac tota in re dissenserunt. Testatur S. Augustinus lib. 2. *Retract.* cap. 16., fuisse aliquos, qui Evangelio fidem adhibere inde renuerunt, quia illud non a Christo conscriptum fuerat, sed ab ejus discipulis, quos putabant Christo divinitatem *errore tribuisse*. Auctoritas sane Evangelii nam ad comprobandos libros Moysis nihil valebit contra istos. Idem etiam quoad alios multos hæreticos ostendi posset: verum nimis in longum progrederemur, si quæ occurrunt, nunc in medium afferre omnia vellemus. Quousque ergo ad dijudicandum de Canone Divinarum Scripturarum aliud principium, præter Divinas Scripturas, non habeatur, nullum certum de eo judicium proferri poterit, quia

tunc singuli aspernabuntur eos libros, quorum auctoritate comprobari videbunt alios libros, quos ipsi negant.

Frustra opponitur illud ex II. *ad Timot.* cap. 3. 16. *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*, sicut etiam inscriptio aliquorum librorum, uti v. g. *Evangelium S. Matthei*: *visio Isaiæ*. Nam quo argumento constet de hujus, vel alterius Sacri libri Divina inspiratione, semper quærendum superest. Ut autem inscriptio alicujus libri, aut principium ejus sicuti Divinum habeatur, vel prius credatur oportet, totum librum esse Divinum, vel aliunde ostendendum est, inscriptionem, aut principium esse Divinum.

Prop. II. Ipsi quoque rationi repugnat, ut quilibet homo privatus conficiendi Canonem Divinarum Scripturarum potestatem sibi tribuat.

Prob. prop. In re omnino perspicua versamur, quæ multa argumentatione non eget. Semel ac enim omnia per tumultum non agantur, nulla, non dicam, in republica, sed etiam in civitate, immo vero ne parvo quidem aliquo in oppido permittitur, ut homo privatus constituat, quænam leges, uti a Supremo legislatore profectæ, recipiendæ sint, quænam autem repudiandæ, uti non profectæ ab eodem principio. Si autem ea de lege agatur, quæ non in una civitate, provincia, aut regno, sed ubique gentium, uti certa firma, atque infallibilis recipienda sit ab omnibus, nihil magis stultum confingitur, quam ad quemvis hominem spectare posse, constituere quænam sit hujusmodi lex, quænam vero non sit. Hisce positis, quæ rationi uniuscujusque non obvia esse non possunt, evidenter constat de veritate nostræ propositionis.

Prop. III. Non solum privati hominis, sed neque etiam alicujus communitatis, seu cœtus singularis esse potest conficere Canonem Divinarum Scripturarum.

Prob. prop. Cum summa veneratione recipi debere ab omnibus eos libros, qui sunt inspirati divinitus, nemo unquam negavit: semel ac ergo de eorum Divina inspiratione constet, nullus eos non suscipere debet. Porro quando conficitur Canon Sacrarum litterarum, præstituitur numerus librorum divinitus inspiratorum, ac propterea eorum librorum, quos nemo unus summa veneratione non recipere debet. Quapropter si omnes hujusmodi canonem recipere debent, ille canon sit constitutus oportet auctoritate ejus, cui nemo subjectus non sit. At vero singulari communitati, vel cœtui, non sunt subjecti homines, qui ad illam communitatem, vel cœtum non spectant, non sunt subjectæ aliæ singulares communitates, vel cœtus, subjecti non sunt omnes ubique homines: ergo conficere Canonem Divinarum Scripturarum ad singularem communitatem, vel cœtum nullo modo spectare potest. Si autem id spectare posse semel admittatur, inde necessario futurum erit, ut tot sint admittendi canones, quot erunt singulares cœtus, a quibus conficientur: indeque mirandum non est, si Hæretici in suo Canone sistant.

Prop. IV. Ad eam tantum Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, et re-

vera est, spectare potest constituere, et determinare Canonem Divinarum Scripturarum.

Prob. prop. De Ecclesiæ auctoritate nunc non disputamus, sicuti revera non est disputandi locus: disputabimus sane, sed tempore. Illud ergo unum modo sufficit nobis, ut Ecclesiæ Catholicæ nomine intelligatur omnium fidelium ordinata congregatio, quæ a legitimis pastoribus sub uno primo capite regitur, atque Sacramentorum unitate continetur. Modo quod volumus. De numero Sacrorum librorum ea auctoritate constitutum sit, oportet, quæ apud omnes certa esse debeat: profecto ea auctoritas apud omnes certa esse debet, qua nulla major dari potest. De prioris veritate propositionis ex se constat: de re namque omnium gravissima agitur, hoc est, de summa, et omnium prima regula totius nostræ fidei, retinendique agendi, quæ quidem regula sicuti infallibilis proponitur, utpote profecta a Deo. Altera quoque propositio evidens est, quia si auctoritas, qua nulli major dari potest, non sit ista, de qua loquimur, nulla sane erit. At vero Ecclesiæ Catholicæ auctoritas est sane illa, qua nulla *major* hic in terris dari potest: ejus ergo tantum esse debet determinare canonem Divinarum Scripturarum. Quæ sunt Ecclesiæ sejunctæ a Catholica, falsoque et ipsæ quoque Ecclesiæ nomine gloriantur, tantum apud suos auctoritatem habere possunt, non apud universam Ecclesiam, immo vero neque etiam apud alias Ecclesias singulares a Catholica præcisas, sicut ipsæ sunt, quum communione fidei intet se separentur. Contra vero Catholica Ecclesia omnes Fideles ubicumque existentes, omnesque illorum legitimos pastores complectitur, atque Sacramentorum, et unius supremi capitis unitate continetur: ergo in Ecclesia Catholica est illa Suprema auctoritas, qua nulla major hic in terris dari potest. Hinc recte S. Augustinus *cont. Faustum* lib. 11. cap. 2. Faustum negantem, quæ ex Apostolo contra se faciebant, illum provocat ad prodendam originem, vetustatem, et seriem successionis ejus libri, quam ipse proferebat. Hoc autem quum nullo modo præstare posset, eumdem monet, ut advertat, quid hac in re Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet "Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur." Idem urget S. Doctor in eodem lib. cap. 5., lib. 13. cap. 4., lib. 28. cap. 4., lib. 13. cap. 9. Unde illud pervulgatum Augustini dictum *cont. Epist. Manichæi* num. 6., et ab eo habitum loco firmissimæ veritatis: *ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Quo autem argumento S. Augustinus Faustum, eodem etiam Tertullianus lib. 4. *cont. Marcionem* pressit eumdem, qui quoddam Evangelium obtrudebat, ei autem, quod ab Ecclesia recipiebatur, fidem præstandam negabat.

Prop. V. Ab Ecclesia, si pro universo cœtu fidelium ea accipiatur, nullum hujusmodi judicium expectari potest, vel debet.

Prop. prop. Quam sint Fideles ubique propagati, atque dispersi, fieri nullo modo potest, ut non solum singulorum, sed etiam majoris

ST ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

partis sententia exquiratur. Deinde quamvis concedatur, de sententia singulorum, vel majoris partis Fidelium perspectum esse posse, quisnam tandem, dum tamen utatur recta ratione, hac de re gravissima omnium, quæ totius Christianæ fidei est fundamentum, a maxima multitudine imperitorum hominum sententiam exquisierit, aut aliquam illorum judicii rationem habeuit? Hoc ergo judicii genus tale, est, ut haberi non possit, et semel ac haberi posset, nihili faciendum esset. Unde Apostolus *Ephes.* 4. 11. et seq. unumquemque monet in Ecclesia a Deo positos aquosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum."

Prop. VI. Quinam sint libri Canonici, æquo jure definitur etiam ab universæ Ecclesiæ Præsulibus in Concilio Œcumenico simul congregatis.

Prob. prop. Tunc enim fit, ut simul in unum collectus cœtus ille habeatur, cui Christus suam Ecclesiam pascendam, regendam, gubernandamque tradidit: nemo ergo, qui ipsi Christo aperte repugnare noluerit, istorum judicio omnino acquiescere non debet. Et re quidem vera judicium plurimorum pastorum simul in unum congregatorum valde grave, magnique momenti per se esse unicuique debet: illorum autem, qui universam Ecclesiam representant, omnes quam maxime venerentur, oportet. Quod ergo istorum gravissima auctoritate de libris Canonicis constitutum est, unusquisque fidelium suscipiat, ac veneretur, necesse est. De Concilii Œcumenici auctoritate infra.

Prop. VII. Supremi Ecclesiæ capitis est præcipue constituere, quinam libri in Sacrum Canonem referri debeant.

Prop. prop. Quando in Veteri lege de re dubia agebatur, standum ab unoquoque esse imperio Sacerdotis, qui ministrat Deo suo, et decreto judicis. *Deuteronom.* 17. 12. Dominus præcepit. Illud ab Eusebio lib. 2. *Eccles. Hist.* cap. 15. traditum habemus, Evangelium, quod conscripserat Marcus, postulantibus Romanis, a S. Petro probatum fuisse, atque traditum Ecclesiis, ut in eis legeretur. Id ipse tum Clementis, tum Papiæ Episcopi Hierapolitani testimonio confirmat. Et re quidem vera si definire, quinam libri Canonici sint, quinam vero non sint, non est præcipue illius, qui est constitutus totius Ecclesiæ Supremum caput, cujusnam tandem esse debebit? Profecto ad hoc supremum caput procul dubio spectat, quid pro certa lege in re gravissima omnium habendum sit, quid vero non habendum. Verum id modo indicasse satis sit: hac enim de re infra uberius. Nunc illud certum maneat apud omnes, spectare singulariter ad Summum Pontificem statuere de auctoritate, ac numero Canonicorum librorum.

Prop. VIII. Quæ quoad rem istam quondam in Ecclesia fuit, semper etiam perstitit auctoritas.

Lutherani in confessione Wirtembergica, cujus Brentius fuit auctor præcipuus in tit. *de Sac. Script.* sicuti legitur in *Corpore*, *et Syn-*

tagmate Confessionum fidei, affirmant, eos tantum libros esse Canonicos, *de quorum auctoritate numquam in Ecclesia dubitatum fuit*: unde pro Canonicis non habent eos omnes, quos Ecclesia subsequentibus temporibus in Canonem reposuit.

Prob. modo nostra prop. Uti nemo non novit, dum Ecclesia librum aliquem in Sacrum Canonem sua auctoritate reponit, atque illum uti Canonicum ab omnibus habendum esse statuit, non facit esse divinitus inspiratum, quod revera talis non est, (stultum namque foret id auctoritatis in Ecclesia confingere) sed solummodo declarat, atque decernit, illum, vel alterum librum revera esse inspiratum divinitus. Hoc dum statuit, Spiritu Sancto sane regitur, quum de eo agatur, quod est caput fidei, atque fundamentum; verumtamen in hoc eam sequitur rationem, quam sequi posse, atque debere, S. Augustinus in libris *cont. Faustum*, sicuti proposit. 4. animadvertimus, inculcare non destitit. Quapropter hoc toto in judicio prius expenditur, utrum liber autoritatem acceperit in Ecclesiis Christi constitutis ab ipsis Apostolis, indeque ad posteros firmata commendatione transcurrerit. »Si autem »alios, (ita S. Augustinus *cont. Faustum* lib. 13. cap. 4.) quos dicat Apostolorum nostrorum codices, protulerit, quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab »ipsis Apostolis constitutas »non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurre»rit." Quare idem S. Doctor, Fausti erroribus omnibus refutatis, ita in fine lib. 33. et ultimi omnes monet: »Si auctoritatem Scripturarum »omnibus præferendam sequi vultis, eam sequamini, quæ ab ipsis »præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apostolorum, et cer»tas ab eorum sedibus successiones Episcoporum, usque ad hæc tempo»ra toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit." Profecto Ecclesia hujusmodi examen instituit, et semel ac ex eo compererit, librum, de quo inquiritur, per Apostolos, et certas ab eorum sedibus successiones Episcoporum, usque ad nos pervenisse, illum esse Canonicum definit, atque, regente Divino Spiriritu, definit, alioquin in totam Ecclesiam error gravissimus redundare posset.

Eam, quæ quondam fuit, semper in Ecclesia potestatem hac de re perstitisse, perspicuum ex se est; nam et est in illa Spiritus Christi, juxta promissionem ejus, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, et non minus potuit prioribus temporibus, quam subsequentibus possit, hujusmodi examen instituere.

Id ergo animadvertatur, oportet, quod succesores Apostolorum, licet Divinum Spiritum cum ea plenitudine non habeant, cum qua Apostoli habuerunt; tamen hæc diversitas non respicit illa, quæ proxime, et necessario fidem attingunt. Id constat ex ipso fine ministerii in Ecclesia relicti, qui sane finis semper est unus, atque idem, ac propterea Divinus Spiritus Ecclesiæ nunquam defecturæ, juxta promissionem Christi, semper adest. Nunc ergo Ecclesia docetur, et statim post Apostolos semper edocta fuit per veros Pastores, et Doctores, non tamen per Prophetas, sicuti in Veteri lege, neque per Apostolos, et Evangelistas, sicut

statim post Christum. Pastores, et Doctores Ecclesiæ neque sicuti Prophetæ, neque quemadmodum Apostoli, ex Dei immediata revelatione loquuntur, (hoc enim istorum tantum fuit) neque tamen uti Philosophi insistunt solummodo rationi, sed quoties aliquid circa fidem discutiendum occurrit, rem maturius expendunt, adhibent media omnia, quæ veritatem manifestare possunt, deindeque, regente Divino Spiritu, suum judicium proferunt; indeque certum, atque infallibile, quia in eo ferendo Superiori virtute reguntur.

Quapropter semel ac agatur de Divina inspiratione aliquorum librorum, Ecclesia vel statim de ea examen instituit, vel in aliud tempus differt, quia nihil periculi latet in mora: si prius faciat, atque libri Divinitas sibi comperta fiat, suum judicium statim profert: si alterum; aut non statim libri Divinitatem perspiciat, quamvis intendat in examen illius; tunc opportuno tempore aut examen instituit, aut jam factum iterum expendit, reque ipsa probe perspecta, judicium suum profert. Hac vero ratione contigit, ut subsequentibus temporibus hos, vel illos libros divinitus inspiratos esse defiuierit, de quorum Divina inspiratione ex decretis Ecclesiæ non omnino certo constabat.

Quoniam vero alicui videri potest etiam nonnullos Catholicos in ea sententia fuisse, ut putaverint, non semper in Ecclesia perstitisse eam auctoritatem, quam primis temporibus circa rem istam habuit; ideo nunc de iis videamus. Durandus in III. *Sentent.* dist. 24. qu. 1., Joan. Driedo lib. 4. cap. 4. *Ecclesiast. Script. et Dogm.*, Thomas Waldensis tom. 1. lib. 2. *De Doctrina fidei* cap. 20., Stapletonius *De Canone Script. consignando* controver. 5. lib. 9. cap. 12., id sensisse videntur. Verum si prædictorum Auctorum loquendi modus cum ea, quam jure merito potest, distinctione accipiatur, idem sane cum aliis ipsi quoque sentiunt. Si enim dum dicunt, post Apostolorum tempora Ecclesiam alios libros uti Sacros, et Canonicos probare non posse, hoc solum velint, nunc Ecclesiam non posse, aut temporibus antecedentibus non potuisse, uti Sacros, et Canonicos habere eos libros, quos uti apocryphos semel rejecit; id sane affirmant, quod nemo non affirmare debet; et hic esse videtur sensus Thomæ Valdensis, qui singillatim Thomæ Evangelium commemorat. Si autem velint Ecclesiam post tempora Apostolorum, immo post longum tempus ab Apostolis, statuere non posse, eos libros esse Canonicos, de quibus, utrum Canonici essent, dubitatum fuit; sane ferri non debent, quia, uti jam vidimus, tunc Ecclesia, antequam tale judicium ferat, traditionem consulit, eaque semel perspecta, Spiritu Dei regente, sententiam profert, ac propterea non decernit, esse inspiratum divinitus, quod revera non est, sed uti Divinum recipiendum statuit, quod tale revera esse ab ipsa traditione, novit. In eo igitur tam Durandus, quam Driedo reprehensione digni esse videntur, quod Ecclesiæ primitivæ majorem fidem inde tribuendam esse dicant, quia in ea Apostoli testes fuerunt illorum omnium, quæ Christus dixit, atque fecit, ac propterea suo testimonio probare poterant Scripturam, in qua facta, et dicta Christi continentur. Quandoquidem firmitas testimonii in Apostolis non ex visu, vel auditu pendet, sed ex virtute re-

gentis Divini Spiritus, quæ eos ita infallibiliter docuit, ut quæ viderant, vel audiverant, fideliter crederent, scriberent veraciter, firmiterque testificarentur. Hæc autem virtus regentis Divini Spiritus adest etiam Ecclesiæ, licet Christum neque viderit, neque audierit. Ceterum neque ipsi Apostoli oculis conspexere ea omnia, quæ scripserunt: nam Matthæus, licet Apostolus, scripsit multa, quæ ante vocationem ejus contigerant. Marcus autem scripsit, quæ a Petro didicit, non que ipse viderat, indeque a Patribus dicitur *Interpres Petri*. Lucas demum se ab his, qui viderant, suum Evangelium didicisse testatur.

Prop. IX. Quamvis spectet ad Ecclesiam constituere, et determinare Canonem Scripturarum, tamen inde non consiquitur, ut Divina humanæ auctoritati subjiciatur.

Antequam veritatem nostræ propositionis ostendamus, duo advertantur, oportet: primo loco illud opponitur ab Hæreticis, ex sententia Catholicorum consequi, ut quæ divinitus inspirata sunt, subjiciantur judicio hominum: quod sane perversum est. Id urget Calvinus *Institut.* lib. 1. cap. 7. §. 5., urget inter alios Pareus Heidelbergensis Academiæ Professor in *Exegeticis Prolegom.* 2. in Oseam quæst. 2. Deinde animadvertendum, Hæreticorum sententiam esse, lucem illam quæ juxta eos ex Divinis Scripturis ipsa per se nobis affulget, testem unicuique esse illius Divinitatis, quam Sacræ litteræ in se habeut, adeoque *arcanum Spiritus testimonium*, uti Calvinus dicit loco supra citato §. 4., esse sufficiens ad cognoscendum quænam sit Scriptura inspirata divinitus. Huc sane omnes, qui Ecclesiæ auctoritatem hac in re contemnunt, impingere debent. Hinc et in *Confessione Gallic. Ecclesiarum* Carolo IX. an. 1561. exhibita num. 4., et in altera *Ecclesiar. Belgicarum* in Synodo Dordrechtana num. 5. probata, recensitis libris Divinarum Scripturarum, statuitur standum iisdem, tamquam fundamento, non tam propter auctoritatem Ecclesiæ, quam propter *comprobationem*, quam habent in se ipsis, quamque vel ipsi cæci deprehenduut (a).

Prob. prop. et primo quidem ita. Lutherani, atque Calvinistæ contendunt, obvium per se unicuique esse, videre, quinam libri sint, et inter ceteros Calvinus affirmat lib. 1. *Instit.* cap. 7. §. 2., quod »non »obscuriorem veritatis suæ sensum ultro Scriptura præsefert, quam co»loris sui res albæ, ac nigræ." Quapropter, ipsis sentientibns, pessime quidem, et non solum contra Scripturas, sed etiam contra ipsam rationem, uniuscujusque judicio Sacræ litteræ subjiciuntur: pugnant ergo contra se, dum nobis opponunt, verbum Dei a nobis subdi testimonio hominum, semel ac Ecclesiæ judicium quoad Canonem Divinarum Scripturum attendendum esse dicamus.

Verum ipsi reponuut: Spiritus Dei ille sane est, qui unicuique attestatur de Divinitate Scripturarum: unde, sicut inquit Calvinus lib. 1. *Instit.* cap. 9. §. 2., »ne sub titulo suo Satanæ spiritus obrepat, in

(a) Videatur *Corpus, et Syntagma Confessionum fidei* editum Genovæ an. 1654.

»sua imagine, quam Scripturis impressit, vult a nobis recognosci." At semper sibi magis contradicunt: quæro enim ab eis, utrum hic spiritus sentiri, vel non sentiri ab homine debeat? certe sentiri debet: rursus quæro, quisnam judicare oporteat, utrum sentiatur, vel non sentiatur? profecto ille, qui sentit: ergo judicium de istiusmodi spiritu subjicitur judicio hominum: sed ab hoc spiritu pendet judicium de Divinitate Scripturarum: ergo Divinitas Scripturarum ultimo pendet a judicio hominum. Semper ergo magis magisque implicantur.

Quapropter si, ab hominibus testimonium de Divinitate Scripturarum, oportet, ut habeamus; neque enim ad id nova revelatio expectanda est; videant sane Lutherani, atque Calvinistæ, quam aperte agant non solum contra Divinam auctoritatem, sed etiam contra ipsum lumen rationis, dum unicuique de Divinitate Scripturarum judicium tribuunt, Ecclesiæ autem universæ denegant, contenduntque, Dei spiritum etiam quibuscumque de plebe hominibus hac in re præsentem esse, nullo autem modo universæ Ecclesiæ.

Verum ad omnem tollendam ambiguitatem, quod initio hujus capitis monuimus, hic iterum inculcamus. Quando dicimus spectare ad Ecclesiam judicium de Canone Scripturarum, non id volumus, judicio Ecclesiæ fieri, ut hic, vel alter liber Divinam auctoritatem habeat: hoc enim solummodo a Deo esse potest. Quemadmodum ergo Ecclesia non constituit nova dogmata fidei, quando declarat, hoc spectare ad fidem, illud esse contra fidem, sed decernit, quid contineatur in doctrina revelata divinitus; ita etiam dum, hunc, vel alterum librum in Sacrum Canonem referendum esse, statuit, librum aliquem non sacrum ipsa sacrum non facit, sed quemadmodum prop. 4. monuimus, præmisso examine, qui est liber revera divinitus inspiratus, eum uti talem, regente Divino Spiritu, ab omnibus habendum esse, decernit. Hoc dum facit, superædificat super fundamentum Apostolorum, atque Prophetarum.

Nunc paucis, et pressius quod nos modo volumus. Si ad naturæ ordinem attendamus, Deus ex visibilibus uti totius naturæ auctor nobis innotescit, ita ut invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, habeanturque propterea quæ facta sunt loco cujusdam firmimissimi testimonii, quo nobis certissime comperta fiunt invisibilia Dei: anne inde consequitur invisibilia pendere a visibilibus? ergo neque etiam Divinitas Scripturarum pendet a judicio hominum, licet ex ipso judicio hominum de ea compertum nobis sit. Deinde anne dici potest, auctoritatem Divinarum Scripturarum pendere a contestatione hominum, quia Deus opera hominum usus fuit ad conscribendum suum Divinum Verbum, illudque nobis tradidit ministerio hominum? Quorumdam sane Paganorum ea dementia fuit, ut Christum, sicuti hominem tantum, licet sapientissimum, habuerint, quia ipse Christus de se nihil scripsit, discipuli vero ejus *magistro suo amplius tribuerint*, *quam erat*, *ut eum filium Dei dicerent*, tradit S. Augustinus *De Consensu Evangelist.* lib. 1. num. 11., qui etiam hoc loci refutavit errorem illorum. Si ergo, etiam sentientibus adversariis nostris, Divinæ auctoritati Scri-

pturarum nihil derogatur, nulloque modo fit, ut ea pendeat ab auctoritate hominum, quamvis homines et Sacras litteras conscripserint, et eas Ecclesiæ tradiderint: ita etiam idem consequatur oportet, quamvis constet testimonio hominum, quinam libri sint inirati divinitus.

His ita constitutis, nunc necesse non est, ut solvamus, quæ Calvinus citato loco, et Pareus in *Exegeticis Prolegom.* 3 in *Oseam* quæt. 1. et 2. una cum aliis contra opponunt: eo enim omnia tendunt, ut suadeant, Canonem Sacrorum librorum ab Ecclesiæ judicio pendere non posse, quia tunc consequeretur, ut verbum Dei penderet a judicio hominum. Hæc enim difficultas undequaque jam explosa est a nobis. Illud ergo unum tantum solvendum nunc est, quod de vitioso circulo opponunt, dum asserimus, de Divinitate Scripturarum ex testimonio Ecclesiæ nobis compertum esse, et ex Divinitate Scripturarum de certitudine, atque infallibilitate hujusmodi testimonii. Hoc enim argumenti genus inter alia urget etiam Pareus citato loco.

At ab istis hominibus illud nunc ego quæro: unde, aut qua de causa credant, Scripturas esse Divinas, aut illas, et non alias, in Sacrum Canonem esse referendas? respondent ipsi sane, quia arcanum Spiritus Sancti testimonium hac de re iisdem attestatur. Belle sane; de falsitate hujusmodi arcani testimonii infra uberius: nunc quod volumus. Iterum ergo ab eis quæro, unde sibi constet de arcano testimonio hujus Spiritus? ex Scripturis sibi constare reponunt, et quamvis alia multa deessent, quæ sane non desunt, esse de eo compertum ex illis verbis *Joan.* cap. 10. v. 27 *oves meæ vocem meam audiunt.* Igitur, ego infero, Divinitatem Scripturarum probant ex arcano testimonio Divini Spiritus: hoc arcanum testimonium Divini Spiritus probant auctoritate Scripturarum. Eo igitur vitioso circulo, quem nobis opponunt, ipsi sane implicantur.

Nunc videamus, utrum hujusmodi circulus vitiosus æquo jure nobis opponatur. Est sane unum ex revelatis, quæ in verbo Divino continentur, Ecclesiam errare non posse, indeque judicium ejus attendendum esse, dicimus, quoad Canonem Scripturam. Ecclesia profecto est magis nota, quam sit Scriptura, et non solum in lege naturæ substitit Ecclesia ullo sine adjumento Scripturarum, sed et nunc sunt, et semper fuerunt in Ecclesia veri Fideles, licet omni, aut saltem aliqua distincta notione Scripturarum prorsus distituti. His accedit, auctoritatem Ecclesiæ innotescere per proprias ejus notas, (de quibus singillatim agemus, sed tempore) quæ quidem sunt adeo perspicuæ, ut iisdem auctoritas Ecclesiæ unicuique perspecta fiat. Ministerio itaque Ecclesiæ fit, ut Fideles in cognitionem veniant Divinorum mysteriorum, quorum tamen fidem non in ipsam Ecclesiam ultimo refundunt, sed in Divinam auctoritatem. Ut autem ab his, quæ sunt notiora, ad ea procedamus, quæ sunt minus nota, et doctrinæ ordo postulat, et recta ratio requirit. Hoc vero est, quod nos facimus, dum Ecclesiæ auctoritate esse constituendum dicimus Canonem Scripturarum: Ecclesiæ auctoritate, quæ omnibus magis comperta est, utimur ad adstruendum certum, determinatumque numerum Sacrorum

librorum, qui sané non solum omnibus esse compertus non potest, sed multis omnino ignotus, plerisque vero, Ecclesiæ auctoritate sublata, prorsus incertus esse debet.

At semper illud verum est, de auctoritate Ecclesiæ constare ex Sacris litteris? sane verum: attamen quæ de auctoritate Ecclesiæ constant ex Sacris litteris, ea semper adimpleta fuisse, et modo etiam adimpleri videmus: illud autem æquo jure est usitatum apud omnes, ut a magis notis ad minus nota progrediamur, vel ex effectibus magis notis ad causæ minus notæ cognitionem assurgamus. Quum igitur de infallibilitate Ecclesiæ, aliisque prærogativis illius constet ex Sacris litteris, easque omnes Ecclesiæ inesse, oculis quodammodo conspiciamus, recte utimur auctoritate Ecclesiæ ad Sacrorum librorum Canonem constituendum. Propter hoc autem non versamur in vitioso circulo, sed facimus quemdam regressum, in eo sane positum, ut a posteriori magis perspecto regrediamur ad prius minus perspectum, et ex majori luce, quæ ex illo affulget nobis, istud quoque magis distincte videamus.

Tota igitur hac in re longe diversa est nostra a ratione hæreticorum: ipsi in comprobationem Divinorum librorum arcanum, et privatum Spiritus Sancti testimonium unicuique proprium in medium adducunt: illud, contra omnem experientiam, a Deo esse, auctoritate Scripturarum comprobare contendunt: contra omnem, inquam, experientiam: quia, quæ a Deo sunt, sibi conformia esse debent, non vero contraria, quemadmodum sibi invicem est hoc illorum testimonium, quum velint, illud esse singulare unicuique, eoque duce, unusquisque facultatem habeat judicandi de Sacris libris, ac propterea hujusmodi judicium tam multiplex; et diversum esse possit, ac sunt ipsi homines. Nos in comprobationem Divinorum librorum Ecclesiæ auctoritatem assumimus, quæ ex Divinis eloquiis unicuique perspecta esse debet, ejusque prærogativæ non in arcano quodam testimonio consistunt, sed omnibus sese conspiciendas exhibent, semperque exhibuere, ac propterea judicium de Divinis libris non deferimus omnibus hominibus privatis (quo uno semel posito, ne ulla quidem forma judicii expectari potest) sed cœtui præstantissimo omnium; cui si depositum fidei non est commissum, quæ credenda, quæ non credenda, incertum erit apud omnes fideles, sicuti revera est apud hæreticos.

Prop. X. Arcanum Spiritus Sancti testimonium contra ipsam experientiam confingitur a Protestantibus, et quamvis ita non confingeretur, tamen nullo modo idoneum esse posset ad judicium ferendum de numero Sacrorum librorum.

Prob. prior pars proposit. Arcanum testimonium Spiritus Sancti, semel ac sit revera illius, unum, idemque semper esse debet, neque unquam rem unam in uno, alteram in altero sine contradictione sui ipsius testificari potest; at vero longa experientia multorum annorum comprobatum habemus, eos, qui hoc arcanum Spiritus Sancti testimonium sibi adesse jactant, inter se dissentire etiam in determinando Canone Divinarum Scripturarum. Nam uti constat ex ipso facto hæreticorum, et quidem ab ipsis primis Ecclesiæ sæculis ad hæc usque nostra tempora,

quemadmodum Stapletonius *De Canone Script. consignando* controv. 5. lib. 9. cap. 5. plurimorum auctoritate comprobavit, Protestantes inter se hac quoque in re dissenserunt, et modo etiam dissentiunt, immo, Ecclesiæ judicio semel excluso, nunquam futurum est, ut non dissentiant. Est ergo perspicuum, etiam contra experientiam confingi a Protestantibus hujusmodi arcanum Spiritus Sancti testimonium.

Ex his est omnino perspecta veritas alterius quoque partis. Nam hoc testimonium est arcanum, atque privatum, et si daretur, is solummodo de eodem certus esse posset, qui illud experiretur: quomodo ergo alii omnes æquo jure præbere illi fidem, immo non sine maxima insipientia in re omnium gravissima, poterunt? hoc testimonium est omnino varium, atque incertum ob multiplicitatem illorum, in quibus, et quidem in uno independenter ab alio, inest: item est sibi contrarium, quemadmodum demonstrat factum, omnium sæculorum experientia comprobatum: igitur quis non videat, aperteque perspiciat, illud nullo modo idoneum esse posse ad judicium ferendum de Canone Divinarum Scripturarum?

Mirandum ergo non est, si Patres hæreticis a Canone rejicientibus quosdam libros Sacros Ecclesiæ auctoritatem semper objecere. Unum S. Augustinum, gratia brevitatis, urgentem hoc argumenti genus contra Faustum in medium proferemus. Ita ergo ipse contra Faustum negantem illud *Roman.* 1. *de filio Dei ex semine David secundum carnem* lib. 11. cap. 2. »Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te »fuerit, non est verum. Quod si alius simili insania, sed tamen qua »tua duritia confringatur, existat, et dicat: immo illud quod pro te so»nat, falsum est: hoc autem, quod contra te est, verum est: quid actu»rus es, nisi forte alium librum prolaturus, ubi quidquid legeris, se»cundum tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliqua »ejus particula, sed de toto audies contradicentem, et clamantem, falsus »est. Quid ages? quo te convertes? quam libri a te prolati originem, »quam vetustamen, quam seriem successionis testem citabis? Nam si »hoc facere conaberis, nihil valebis: et vides in hac re quid Ecclesiæ »Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apo»stolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum »serie, et tot populorum consensione firmatur." Hoc idem argumenti genus urget S. Augustinus in eodem lib. *Cont. Faustum* cap. 5., lib. 13. cap. 4., lib. 28. cap. 2., et lib. 1. cont. *Adversarium legis, et Prophet.* num. 39.

Prop. XI. Semel ac admittatur arcanum testimonium Sancti Spiritus eo sensu, quo admittitur a Protestantibus, auctoritas Divinarum Scripturarum e medio prorsus tollitur tam quoad integros libros illarum, quam quoad præcepta fidei, et morum.

Protestantes, qui in tanta opinionis absurditate versantur, necesse non esse concedunt, ut quispiam adhibeat inquisitionem ad intelligenda ea, quæ divinitus revelata sunt. Hanc enim agendi rationem *absurdam*, *ridiculam*; *impossibilem*, *supra cognitionem imperitorum* esse

fatentur. Quare ex eo quod ipsa veritas per se mentem nostram perstringat, quæ divinitus revelata sunt, ulla sine inquisitione intelligi posse autumant, ac propterea affirmant, rectam fidem gigni ab ipsa veritate, quæ mentem eo modo percellit, quo lux oculos corporeos. Unde examen, quod vocant *attentionis*, *et applicationis*, quodque solum juxta eos ad ea, quæ sunt inspirata divinitus, intelligenda requiritur, nihil est aliud, quam quidam *gustus animæ*, sicuti ipsi dicunt, quo ipsa anima bonum a malo, verum a falso distinguit, sicuti palatum dulce ab amaro (a). His positis.

Prob. prop. Protestantes juxta sua principia concedunt, immo et contendunt, uniuscujusque esse, judicium ferre de revelatis, indeque decernere, hunc librum esse Canonicum, non vero alium: at hoc si ponatur, auctoritas Scripturarum e medio prorsus tollitur, tum quoad integros libros illius, tum quoad omnia præcepta fidei, atque morum: ergo. Prob. min. Quoad utrumque nulla amplius firmitas reliqua esse potest, semel ac ea pendeat a maxima diversitate, atque etiam contrarietate judiciorum, sententiarum, et opinionum ipsorum hominum, quorum singuli hac super re eamdem auctoritatem habeant: sed hoc est, quod ex sententia Protestantium necessario consequitur: sua igitur revelatione Deus neque certam legem nobis tradidisset, neque fidei, et morum certa præcepta constituisset, sed certitudinem veritatis occultasset, effecissetque, ut in re gravissima omnium semper fluctuaremur. Hos tandem in scopulos, necesse est, ut ii impingant, qui a via veritatis semel deflexere.

Ab hac tota difficultate se extricare posse, falso putant Potestantes, semel adhibita distinctione articulorum fundamentalium, et non fundamentalium, juxta sensum tamen ipsorum, hoc est, ut fundamentales articuli sint ii, quos unusquisque suscipere, admittere, firmissimeque tenere debet: non fundamentales, quos si quispiam recipiat, vel non recipiat, ad substantiam fidei non spectat (b). Verum nihil Deo revelanti magis injuriosum confingi potest: nam omnes articuli fidei eamdem Divinam auctoritatem habent, æqualiterque a Deo revelante processerunt: igitur nullus omnino est, quem quispiam et sine detrimento fidei, et sine maxima injuria Dei revelantis, æque admittere, et rejicere possit. Deinde quo tandem judicio constabit, quod omnino certum esse debet, ne tota fides sit incerta; quo, inquam, judicio constabit de hujusmodi articulis fundamentalibus, et non fundamentalibus? Profecto non Ecclesiæ, quia sententiam ejus Protestantes non recipiunt, immo aspernantur: constabit igitur arcano judicio cujusvis hominis privati: ergo ille istos, iste alios esse fundamentales, aut non fundamentales in systemate Pro-

(a) Videatur Bossuetius *Avertissemens aux Protestans* Avertiss. 6. part. 3. nu. 23. et seqq.

(b) Ita Jureus apud Bossuetium *Avertissemens aux Protest. Avertissem.* 6. part. 3. num. 33. et seqq.

testantium æquo jure afirmare poterit. Semper ergo in eumdem scopulum fortius impingunt.

Reponunt Protestantes, nullo modo consequi hujusmodi incertitudinem, quia articuli fundamentales habent suas notas certas, ob quas distinguuntur a non fundamentalibus. Prima nota est, inquiunt, Divina revelatio: altera; maxima utilitas, atque gravitas: tertia; quarumdam colligatio veritatum cum gloria Dei, et sanctificatione hominum: quarta; obsequium, quod sibi vindicant naturaliter ob sui majestatem, et antiquitatem: quinta; generalis consensus omnium Christianorum in aliquem articulum (a). Postremo, inquiunt, errores, qui sunt damnabiles, facile ab aliis deteguntur, qui non sunt damnabiles, indeque etiam veritates fundamentales a non fundamentalibus distinguuntur: si causa erroris sit aliquis defectus voluntarius, qui evitari possit; tunc error crimini verti debet: nullo autem modo verti potest, quando est involuntarius, et ex infirmitate humanæ naturæ contingit (b).

Verum ad hæc omnia eadem semper difficultas, et quidem æque gravis, recurrit. Et primo quidem breviter aliqua de notis generatim. Qua ergo auctoritate hujusmodi notæ constitutæ sint, a Protestantibus quærimus; nam juxta systema illorum qua auctoritate unus has notas, eadem alter rejicere eas, et alias constituere poterit: quandoquidem nullum publicum, omnibusque commune magisterium ipsi habent in hoc toto negotio Divinarum Scripturarum, sed singuli reguntur interiori arcano testimonio Divini Spiritus. Quare sicut hoc testimonio fulti vident singuli Divinitatem Scripturarum, videntque earumdem unumquemque librum, eodem etiam notas articulorum fundamentalium videant oportet: ergo quum hoc testimonium sit æque commune omnibus, omnesque eodem jure æqualiter illo uti possint, et nemo unus testimonio alterius obtemperare teneatur; illud ultro consequitur, nullas certas notas ad dijudicandum de articulis fundamentalibus ab hujusmodi testimonio proficisci posse. Certas ergo notas, et quidem in re gravissima, ullo sine certo principio statuunt, immo ex sui origine in se tales, quales et unusquisque rejicere, et alias condere potest.

Singillatim unamquamque earum breviter nunc expendamus. Per id, quod est omnino æqualiter commune duobus, unum ab altero distingui non potest: sed Divina revelatio est æque communis articulis tam fundamentalibus, quam non fundamentalibus: ergo Divina revelatio haberi non potest loco cujusdam notæ certæ, ob quam articuli fundamentales distinguantur a non fundamentalibus. Semel ac ergo non negent, articulos non fundamentales in Divina revelatione contineri (et si id negent, quod sane non faciunt, tunc amplius inter articulos fidei comparatio non erit) ipsi quoque fateantur, oportet, propter hanc primam notam articulos fundamentales a non fundamentalibus distingui non posse.

(a) Jureus apud Bossuetium cit. loco.

(b) Hoc ultimum superaddit Chilling-Wortius Anglus in Opere inscripto: *La Relig. des Protestans une voie sûre aux salut.* cap. 3. num. 52.

De secunda nota videamus. Etiam apud Protestantes neque datur, neque dari potest certa auctoritas, qua firmiter constituatur, in hoc articulo majorem utilitatem inesse, quam in altero, illud propter sui utilitatem pertinere ad essentiam fidei, non vero istum, quamvis uterque sit divinitus revelatus. Nam juxta principia eorum unusquisque, prout ab arcano testimonio Divini Spiritus sibi significari confinget, hunc, et non illum articulum esse magnæ utilitatis eodem jure contendet. Igitur hæc quoque nota est omnino inanis, et vana.

Idem vero dicendum est non solum de gravitate, sed etiam de colligatione quarumdam veritatum cum ipso fine Religionis. Nam judicium quoque de hisce duobus juxta principia Protestantium varium, incertum, atque omnino vagum esse debet.

Quod de majestate, et antiquitate dicunt, æque futile est, ac sunt alia. Profecto quam articuli fidei majestatem, atque antiquitatem habent, totam a Divina revelatione habent: sed omnes articuli fidei sunt æque revelati divinitus: ergo propter majestatem, atque etiam antiquitatem inter se distingui non possunt: licet enim non omnes eodem tempore revelati fuerint, omnes tamen ex Divina revelatione eamdem auctoritatem habent. Unde obsequium, quod ipsi repetunt a majestate, et antiquitate, inepte confingitur.

Consensus generalis Christianorum, qui sunt in Catholica communione, omnes articulos divinitus revelatos æque complectitur: licet enim cuncti non explicite credant cunctos articulos, nemo tamen est, qui non credat cunctos, saltem implicite, atque nullus Catholicorum arbitratur, parum referre, utrum aliqui articuli revelati divinitus credantur, vel non credantur. Si vero sermo sit de Christianis, qui a Communione Catholica defecerunt, horum consensus circa ea, quæ credenda sunt, est incertus, atque varius juxta varios errores, quos tuentur. Præter omnem ergo rationem Protestantes hac in re ad consensum recurrunt.

Tandem, ut ad ultimum respondeamus, nos dicimus, articulos dici debere fundamentales respectu fidei, quatenus scilicet in iis consistit fundamentum totius fidei, non vero respectu credentium, quia, hoc semel posito, juxta diversitatem credentium diversi quoque essent articuli fundamentales. At vero semel ac dicatur, aliquem errorem non esse damnabilem, ideoque veritatem oppositam non posse dici fundamentalem, quia quispiam de inquirenda veritate sollicitus fuit, atque ad eam assequendam omnem diligentiam adhibuit; contra vero alterum errorem damnabilem esse, ideoque veritatem oppositam dici debere fundamentalem, quia non fuit quispiam de veritate inquirenda sollicitus, neque ad id omnem diligentiam adhibuit; necessario consequitur, veritates dici fundamentales respectu credentium, non vero respectu ipsius fidei. Constat igitur non minus de ceterarum, ac hujus ultimæ notæ manifesta falsitate. Nam ob eam fit, ut etiam apud Protestantes articulorum fundamentalium nulla sit regula certa, iidemque articuli respectu unius sint fundamentales, respectu alterius non fundamentales.

CAPUT QUINTUM.

De Auctoritate Vulgatæ.

De variis, multiplicibusque Divinarum Scripturarum ex una in aliam linguam translationibus nunc non est disserendi tempus, aut locus. De ea ergo editione Scripturæ nunc agere instituimus, quæ Vulgata dicitur, eaque pro Authentica habetur a Catholicis. *Vulgatam*, seu *Editionem Vulgatam*, aut *Vulgatam Latinam* nos dicimus illum Sacrarum Scripturarum textum Latinum, quem Tridentina Synodus præ omnibus aliis Latinis Authenticum esse sess. 4. declaravit. Ut ergo ab ejus exordio incipiamus, animadvertendum est, omnes Sacros libros tum Veteris, tum novi Testamenti partim Hebraïca, partim Græca lingua fuisse primitus exaratos, deinde in Græcam linguam fuisse translatos eos omnes, qui ad Vetus Testamentum spectantes hebraïce conscripti fuerant, atque inde est, ut versio Græca sit ipsa Latina longe antiquior. Quum tamen Christiana Religio incœperit eo tempore, quo florebat Romanum Imperium, et lingua Latina potissimum in usu erat, quamvis in omnibus provinciis illius, atque etiam Romæ, Græca prorsus non obsolevisset; hinc factum fuit, ut Sacræ litteræ ad instructionem illorum fidelium, qui latine loquebantur, in linguam Latinam transferrentur. Quo potissimum tempore, vel cujus opera id factum primo fuerit, definiri non potest: æquo tamen jure quispiam affirmaverit, jam inde a primis Ecclesiæ sæculis hanc translationem in linguam Latinam factam fuisse, quæ sane multo ante Augustini tempora in Ecclesia adhibebatur. Sunt qui volunt, et quidem non immerito, hujusmodi translationem factam fuisse tempore Apostolorum, eorumque auctoritate probatam (a).

Multæ sane Latinæ editiones primis Ecclesiæ sæculis in lucem prodiere, ita ut, sicut S. Augustinus lib. 11. *De Doctr. Christiana* cap. 11, tradit, numerari ii possint, qui Sacras litteras in idioma Græcum transtulerunt, non vero alii, qui in Latinum. Tamen una solum in communi Ecclesiarum usu fuit, quæ a S. Augustino cit. loco num. 22. dicitur *Itala*, a S. Hieronymo epist. 57. ad Pammachium, alias epist. 101., *Communis*, et *Vulgata*; a S. Gregorio M. *Vetus* in fine Epistolæ ad Leandrum, quæ præfigitur libris Moralium. Hæc sane est, quamvis aliæ plures Latinæ editiones circumferrentur, quæ S. Augustini judicio (b) ceteris præferenda erat. Facta vero illa fuit ex versione LXX. interpretum sicuti affirmat S. Augustinus lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 43.

(a) Consulatur Waltonus Prolegom. 5. ad suam Polyglottam num. 5. et super Vulgatam Dissert. Gallice scripta, atque præmissa Sacræ Scripturæ edit. Parisien. an. 1748, et Petidier in *Præfat. Bibl. Sac. Lat. Versionis antiquæ* num. 22. et 23.

(b) *Loco supra cit.*

inquiens: »ex hac LXX. interpretatione etiam in Latinam linguam in»terpretatum est, quod Ecclasiæ Latinæ tenent."

Nunc pauca de ea Vulgata editione, quam esse authenticam Tridentini Patres definiere. Hæc ergo altera, et secunda Vulgata dici potest, quum quoad omnes suas partes non sit eadem cum illa, quæ primis Ecclesiæ sæculis circumferebatur, atque apud Ecclesias in usu erat. In hanc enim quum plures errores irrepsissent sive vitio temporis, sive oscitantia amanuensium, sive etiam ignorantia, et malitia nonnullorum, hac de causa S. Hieronymus Vetus Testamentum ex hebräico transtulit, quemadmodum ipse testatur *De Script. Ecclesiasticis* in fine, et constat ex ejus epistolis, atque etiam præfationibus, quas libris a se translatis præmisit. Eo tamen ordine, quo in Veteri Testamento legimus, non transtulit S. Hieronymus ejusdem Sacros libros, sed prout a quibusdam singulariter afflagitabatur, modo unum, modo alterum, licet iste prior, ille posterior ordine esset. Quamvis plures hac in re contradictores S. Hieronymus habuerit; tamen versio ejus sensim recipi cœpit, atque legi in Ecclesiis, et S. Gregorius M. *Præfat.* in lib. *Moralium* testatur, in Ecclesia Romana receptam et Veterem Vulgatam ex LXX. Interpretibus, et Novam Hieronymi ex habräico idiomate translatam, atque affirmat, se modo Veterem, modo Novam sequutum esse, quia *Sedes Apostolica utraque utitur*. Magis magisque, apud Ecclesias Novæ Vulgatæ semper crevit existimatio, eaque usas *omnes Ecclesias usquequaque*, tradit S. Isidorus lib. 1. *De Officiis Ecclesiast.* Quod quidem licet ab eo dictum de Ecclesiis tantum Hispanis affirmari possit; tamen aliunde compertum est, Versionem S. Hieronymi ubique receptam fuisse (a).

Libros Regum primo, deinde vero Prophetas Majores, et Minores ex hebræo transtulit in gratiam Paulæ, et Eustochii filiæ ejus. Eodem ferme tempore Sophronio obtulit Psalterium ex hebræo a se translatum. Subinde ad priora Canonis se convertens librum Geneseos, et reliquos Pentateuchi vertit ex hebræo, obsecrante Desiderio. Denique versionem libri Josue, Judicum, Ruth, atque Esther Eustochio virgini negare non potuit, sicut nec Paralipomenorum Chromatio (b). Librum autem Job ad Marcellam nobilem Romanam direxisse videtur.

Hæc omnia, prout transtulit S. Hieronymus, in nostra Vulgata nunc habemus, excepto Psälterio. Quæ autem rationes S. Hieronymum, ut novam versionem conficeret, eædem fortasse etiam Ecclesiam impulerunt, ut, veteri versione relicta, quæ ex LXX. interpretibus facta fuerat, hanc S. Hieronymi amplecteretur. Prima ratio esse potuit, quod versio LXX. Interpretum multis in locis vitiata esset, sicuti pluries indicat S. Hieronymus, et potissimum in *Præfat.* in lib. *Paralipomenon*: altera; quia ea

(a) Vide Bonfrerium in *Præloquiis in totam Sac. Script.* cap. 15. sect. 1., et Dissert. gallice scriptam super Vulgatam, illamque præmissam Sac. Scrip. edit. Parisien. an. 1748.

(b) Legatur Martiany *Prolegom.* 2. in tom. 1. novæ edit. Parisien. Op. S. Hierony. num. 2. et seqq.

versio esset diminuta, quemadmodum advertit etiam S. Hieronymus *Præfat. in Job*: tertia; quia conantibus Christianis, ex Scriptura probare mysteria Christianæ Religionis contra Judæos, hi, quæ contra se afferebantur, non haberi in judaico codice malitiose reponebant, sicuti advertit S. Hieronymus in *Præfat. in Josue*: quarta; quia post Christum impletis prophetiis, oracula Prophetarum magis clare exprimi poterant, quam antea, quando nondum impleta erant: id quod sane monet S. Hierony. *Præfat.* in *Pentatheucum*.

Dixi, excepto Psalterio. Nam etiam Psalterium S. Hieronymus ex Hebræo in Latinum transtulerat, et quidem non una tantum, sed pluribus vicibus hac in re laboravit; ejus tamen translationem Ecclesia Romana rationabili de causa non recepit, quia Veteri editioni omnes Ecclesiæ assueverant, et plerisque psalmos memoria fortasse concinentibus nimis difficile fuisset, novæ translationi, quæ in aliquibus ab antiqua diversa erat, assuescere, sicuti animadvertit S. Hieronymus in *Præfat. ad Damasum*. Putant tamen nonnulli, psalmos, qui in nostra nunc Vulgata leguntur, non esse eosdem cum iis, qui in antiqua legebantur, sed in se habere aliqua ex versione S. Hieronymi accepta (a). Antiqua Italica editio Psalmorum, prout in se erat, servata fuit in Ecclesia Romana usque ad tempora Pii V. qui Vulgatam introduxit. Tamen Romanum antiquum Psalterium modo etiam in usu est et apud Ecclesiam Vaticanam, et S. Marci Venetiarum.

Libri Sapientiæ, et Ecclesiastici, duo libri Machabæorum, Baruch prophetia, epistola Jeremiæ, additionesque, quæ leguntur in fine libri Esther, et canticum trium puerorum adhuc sunt omnia eadem cum iis, quæ erant in antiqua Vulgata, sicut etiam cap. 13. et 14. Danielis (b).

Ex hisce vero omnibus constat, de quibus, quam paucis fieri poterat, usque modo disputavimus (c), de origine nostræ Vulgatæ Veteris Testamenti. Nunc pauca superadamus de Vulgata Novi Testamenti.

Certus numerus constitui non potest translationum Novi Testamenti ex Græco: illas fuisse multas, indicat S. Hieronymus *Præfat. 4. in Evangelia*, et inter alias unam fuisse, tradit, et fortasse magis usitatam, in quam varii errores irrepserat. Hanc ipse S. Hieronymus jussu Damasi Papæ, facta collatione multorum exemplarium græcorum, correxit, at-

(a) Videatur Dissert. quæ præfixa est libris Psalm. in Script. Sac. edit. Parisien. an. 1788.

(b) Videatur Bonfrerius *in Præloq. in totam Sac. Script.* cap. 15. sect. 2., Serarius in *Prolegom. Biblicis* cap. 19. quæst. 2., et Dissert. *De Vulgata*, quæ præmittitur initio prædict. edit.

(c) Hoc totum, de quo egimus, nonnulla in se continet, quæ ad sui majorem elucidationem requirerent singularem dissertationem: verum nos, prout nostri instituti ratio ferebat, quæ veritati magis consentanea esse, adhibito diligenti examine, deprehendimus, simpliciter enarravimus, ne nimis effunderemur in iis, quæ nos a proposito nostro quodammodo avocarent.

que in ptistinam veritatem restituit. Ipsa nunc Romana Ecclesia utitur, semperque usa est a temporibus S. Hieronymi usque ad hæc nostra: quam sane eamdem cum ea esse, quæ ante Hieronymum Vulgata dicebatur, inde compertum fit, quemadmodum Bonfrerius in *Præloquiis in totam Sacr. Script.* cap. 16. sect. 2. recte animadvertit, quia loca Scripturarum Novi Testamenti, quæ citantur a Patribus, S. Hieronymo antiquioribus, sunt eadem cum illis, quæ in Versione nostra leguntur.

Nostram Vulgatam, qua Ecclesia Latina utitur, antequam ostendamus ubique locorum pro authentica habendam esse, quid vox ista *Authentica* significet, immo quid hac in re nostra significare debeat, prius explicemus, oportet. Primo itaque nostra Vulgata inde *Authentica* dicitur, quia anteponi debet omnibus Latinis versionibus, quæ hactenus prodierunt, atque etiam illi priori, quæ eodem modo, ac nostra, primis Ecclesiæ temporibus Vulgata dicebatur: iis, inquam, omnibus anteponi debet, utpote quæ verius, atque fidelius Divini Spiritus loquentis in Sacris litteris sententiam exprimat. Deinde quia nihil in ea fraudulenter vel additum, vel substractum, vel immutatum est, aut ambigue, vel obscure versum ad occultanda mysteria fidei. Tandem quia nihil in ea continetur, quod repugnet fidei, aut bonis moribus, vel ex quo aliquis perniciosus error nasci possit. Hæc sane sunt, quæ vox ista *Authentica* complectitur, immo quæ secundum acceptionem nostram complecti debet. Ceterum eadem voce non significatur, nostram Vulgatam omnino immunem esse etiam a quibuscumque levioribus defectibus, et ab omnibus levioribus erratis, ex quibus tamen nihil detrimenti in fidem, aut in bonos mores enascatur. Hisce positis.

Prop. I. Quænam editio Divinarum Scripturarum *Authentica* sit, Ecclesiæ auctoritate constituatur, oportet.

Prob. prop. Quemadmodum libri Sacri interius authentici inde haberi debent, quia sunt inspirati divinitus; ita etiam quæ postea eorum versiones, aut editiones factæ fuerunt, suam auctoritatem desumunt ab ea conformitate, quam habent cum iis, quæ Sacri auctores primitus exararunt. Præter hanc auctoritatem, quæ est intrinseca versionibus, editionibus, atque exemplaribus, exterius quoque altera accedere potest ab ipsa Ecclesia, dum statuit, atque definit, hanc aut versionem, aut editionem præ aliis authenticam esse. Qua sane definitione fit, ut tunc Ecclesiæ auctoritate declaretur, in illa versione, aut editione nihil esse, quod repugnet fidei, aut bonis moribus, vel contra illam, aut istos facere videatur, adeoque præter errandi periculum adhiberi posse tum in dogmatibus fidei, tum in regulis morum, publiceque in Ecclesia legi, atque explicari. Hujusmodi ergo judicium ab Ecclesia proficisci debet, ut certum sit, quænam versio, seu editio Divinarum Scripturarum præ ceteris authentica sit.

Si prima illa exemplaria etiam nunc haberemus, quæ Sacri auctores exararunt, aut aliunde certum esse posset apud omnes, hanc, vel illam versionem, aut editionem, Divina singulari ope protegente, omnino conformem esse iisdem exemplaribus, hoc, de quo loquimur, Ecclesiæ ju-

dicium non requireretur. Verum prima illa exemplaria perierunt: quæ vero firmissimæ rationes suadent, ad Ecclesiæ solummodo judicium spectare posse, definire, quinam libri Canonici sint, eædem illud quoque ostendunt, spectare ad Ecclesiam decernere, quænam versio, seu editio præ ceteris authentica sit. Hujusmodi rationes in superiori capite fusius exposuimus, neque est, cur nunc iterum inculcare aggrediamur.

Quandoque quidem tale judicium Ecclesiæ ex ipsius communi consensione manat, quandoque autem proficiscitur a Patribus in Concilio Œcumenico congregatis. Prioris generis fuit illud judicium Ecclesiæ, quo ante Tridentinum Concilium nostra Vulgata apud omnes Ecclesias summo in honore, et pretio fuit, atque prælata ceteris omnibus editionibus Latinis, quæ circumferebantur: alterius autem fuit illud, quod de nostra editione Vulgata Ecclesia in Œcumenico Tridentino Concilio protulit. Hugo Victorinus lib. *De Script.* cap. 9. affirmat, Ecclesiam Christi *per universam latinitatem decrevisse*, ut sola Hieronymi versio legeretur. Verum neque ipse indicat, neque umquam indicatum fuit ab alio, quo tandem tempore, aut a quibus hoc decretum editum fuerit. Quapropter, quoad rem istam, decretum, quo omnes simpliciter cogerentur, a Concilio Tridentino primum prodiit.

Prop. II. Recte, Sapienterque Tridentini Patres definierunt, eam editionem, quæ Vulgata dicitur, esse authenticam, atque omnibus aliis editionibus Latinis omnino præferendam.

Prob. prop., atque ante omnia in medium afferamus decretum Concilii Tridentini sess. 4. editum: »insuper eadem Sacrosancta Synodus con»siderans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex om»nibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, »quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit, et declarat, »ut hæc ipsa vetus, et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu »in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, »prædicationibus, et expositionibus habeatur; et ut nemo illam rejicere »quovis prætextu audeat, vel præsumat." Tridentini itaque Patres, Vulgatam ab omnibus pro authentica habendam esse, inde constituerunt, quia *longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata erat*: sed et hæc ratio verissima est, et hæc una in hoc genere judicii suam vim, atque efficaciam habere potest: ergo. Prob. prior pars. Anno 397. Patres Concilii III. Carthaginensis cap. 47. loco Canonicorum, et Divinorum librorum esse habendos statuunt eos omnes libros, qui et nunc quoque in nostra Vulgata recensentur, nullaque alia ratione id statuunt, nisi quia, sicut ipsi inquiunt, a *Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda* (a). Anno 405. Innocentius I. in epist. 6. ad Exsuperium eosdem, quos in Vulgata habemus, libros Canonicos, atque Divinos recenset. Idemque fecit etiam Gelasius an. 494. in Concilio Romano 70. Episcoporum (b). Nos vero dum de Divinitate librorum Deutero-Canonicorum ageremus,

(a) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum.* 968.
(b) *Tom. II. prædictæ edit. colum.* 957.

ostendimus, singulos ab Ecclesiis fuisse receptos, atque habitos uti Canonicos. Semper autem hac de re Ecclesiæ Catholicæ idem judicium perstitisse, an. 1439. testem amplissimum habemus Eugenium, qui in decreto pro Jacobinis (a) affirmat, quod Ecclesia Catholica *suscipit, et veneratur eos libros, qui titulis sequentibus continentur* : recenset autem omnes eosdem Divinos libros, qui habentur etiam in nostra Vulgata. Jure ergo, meritoque Tridentini Patres asseruerunt, Vulgatam longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probatam fuisse.

Verum, non solum ipsorum Divinorum librorum habita ratione, id recte decrevit, sed etiam sententiarum, omniumque capitum doctrinæ illius, quam in iisdem libris traditam habemus. Id unicuique inde compertum esse debere, contendimus, quia Patres, Concilia, Romani Pontifices tam ad tuenda dogmata fidei, et hæreses contrarias refellendas, quam ad constituendas rectas regulas morum, contrariosque errores confutandos, ex Sacris litteris talia testimonia depromunt, qualia in nostra Vulgata leguntur. Id nunc singillatim ostendere velle, nimis longum esset; immo etiam supervacaneum, quia id unusquisque poterit experiri, semel ac unius, aut alterius opera Patris consulere voluerit. Et re quidem vera in iis omnibus Patrum tum Græcorum, tum Latinorum locis, quæ nos supra citavimus ad ostendendam Divinitatem librorum Deutero-Canonicorum, referuntur testimonia Scripturarum, prout ea in nostra Vulgata legimus. Et hæc quoad priorem partem : nunc descendamus ad alteram.

Ecclesia sane nullam aliam regulam, præter istam, hoc est, adprobationem tot sæculorum, habet, aut habere potest, quam in hoc judicii genere ipsa sequatur. Profecto sua auctoritate facere non potest, ut Canonici sint ii libri, qui revera non sunt, aut non sint alii, qui revera sunt. Quapropter ex antiqua, et nunquam interrupta traditione videre debet, quinam sint revera Canonici, propterea que expendere, quosnam Ecclesiæ et potissimum Apostolicæ, uti Canonicos ab ætate Apostolorum ad hæc usque tempora receperint. Hinc, uti jam vidimus, in Concilio Carthaginensi III. Patres definierunt, eas Scripturas esse Canonicas, quas a Patribus traditas receperunt. Eusebius vero *Eccles. Hist.* lib. 3. cap. 25., in quo et Canonicas, et Apocryphas Scripturas recensuit, affirmat, veras Scripturas esse *ex Ecclesiæ traditione, et omnium consensu* probatas, atque ita ipse quoque traditionem uti certam quamdam regulam habet, qua Scripturæ Canonicæ dignoscantur. S. Augustinus, ut alios Patres rem eamdem confirmantes nunc ommittamus, lib. 11. *Cont. Faustum* cap. 5. affirmat, quod »distincta est a posteriorum »libris excellentia Canonicæ auctoritatis Veteris, et Novi Testamenti, »quæ Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum, »et propagationes Ecclesiarum, tamquam in sede quadam sublimiter »collocata est." Ecclesia igitur, Vulgatam ab omnibus habendam esse uti

(a) *Tom. IX. Concil. prædict. edit. colum.* 1023.

Authenticam, inde recte decrevit, quia *longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata erat.*

Dices. Licet versio Vulgata Ecclesiæ longo usu comprobata sit, tamen et scatet pluribus erroribus, et nullo modo comparari posse videtur cum fontibus Hebraicis, et Græcis, quemadmodum etiam nonnulli Sancti Patres opinantur, qui passim docent, fontes Hebraicos, et Græcos esse consulendos.

R. Patrum Tridentinorum non fuisse sententiam, in nostra Vulgata aliquem errorem, ne in iis quidem occurrere, quæ nullo modo spectant, aut spectare possunt ad fidem, vel bonos mores. Quandoquidem hujus generis plura errata primo Sixtus V., deinde Clemens VIII. in nostra Vulgata post Concilium Tridentinum correxerunt, ipsique Tridentini Patres decrevere, ut quam emendata fieri posset, Vulgata nostra ederetur. »Et quamvis jam (uti habet Bonfrerius in *Præloq. in totam Script. Sac.* cap. 15. sect. 3.) »Pontificum auctoritate Bibliorum nostræ Vulgatæ editionis emendatio sit facta, fatentur tamen et ipsi Emendatores Præfatione ad Lectorem Bibliis præfixa, se menda quædam, et errata reliquisse quæ alioquin videbantur immutanda, ad offensionem populorum vitandam: et sunt forte nonnulla, quæ bonum est ab Interpretibus annotari, ut si quando aliquam contingat fieri Bibliorum correctionem, loca hæc a correctoribus diligentius inspiciantur." Nonnulla vero talia nunc quoque superesse, constat ex cathalogo locorum, quæ adhuc corrigenda videntur, a Luca Brugensi edito, et superaddito editioni Bibliorum Plantinianorum.

Quod autem spectat ad codices Hebraicos, vel Græcos, dicimus, nullam inter eos, et Vulgatam nostram Patres Tridentinos instituisse comparationem, sed solummodo inter Vulgatam, et alias Latinas editiones, illamque istis omnibus omnino præferendam decrevisse. Quapropter Tridentini Concilii decreto nihil est de ea auctoritate detractum, quam Hebraici, et Græci Sacrorum Bibliorum codices semper in Ecclesia habuerunt, et modo etiam habent. Profecto ipsis fontibus rivuli postponantur oportet: quam enim rivuli puritatem habent, a fontibus habent. Tamen illud quandoque contingere potest, ut quæ in fontibus puritas non persistit, adhuc servetur in rivulis amplius non communi cantibus cum suis fontibus: et tunc proculdubio rivuli præferendi sunt fontibus. Ex hoc autem consequitur, tunc fontes Hebraicos, et Græcos cuicumque versioni esse simpliciter præferendos, quando nullum errorem in eos irrepsisse constaret. Id autem revera contigisse, a nemine affirmari posse, arbitror.

Illud ergo nunc animadvertere operæ pretium esse, putamus, haud tam facile, atque sine prævio diligenti examine unam versionem hac, vel illa in re alteri esse præferendam, etiamsi comparatio sit inter versionem Vulgatam, et codices Hebraicos, atque Græcos. »Si quando con»contingeret (ita recte Salmeronius *Prolegom.* 3. *De Sacra Script.*) »ut »aliud legatur in Vulgata, et Latina editione, aliud vero in Hebraicis, »et Græcis codicibus, si non contradicunt, sed tantum sunt diversa, utra-

»que lectio est recipienda, et Catholico sensu explicanda: si vero con»tradicant sibi invicem, sicut affirmatio et negatio, quod per rarum »esse solet; adhibenda est diligentia, et omnis opera ponenda, si qua ra»tione possimus ostendere in speciem tantum, et non reipsa sibi adver»sari... Ubi vero nulla possit iniri concordia, illi lectioni magis est stan»dum quæ magis cum præcedentibus, et subsequentibus consonaret, »aut quæ magis conveniret cum Apostolicis, et Evangelicis litteris, aut »quæ antiquiora, et probatiora exemplaria pro se haberet, aut quæ a »pluribus Patribus agnita est, et probata, sive sit Hebraica, sive Græ»ca, sive Latina." Hæc omnia consona sunt iis, quæ hac de re tradit S. Augustinus lib. 11. *Cont. Faustum* cap. 2.

CAPUT SEXTUM.

De diversis Sacræ Scripturæ sensibus.

Sacræ Scripturæ sensus est et litteralis, et spiritualis, et hic dividitur in allegoricum, moralem, et anagogicum. Fundamentum hujus distictionis in eo positum est, quia Deus est auctor Sacræ Scripturæ, qui sane habet in sua potestate non solum voces accomodare ad significandum, sed etiam res ipsas significatas per voces; ac propterea Sacræ Scripturæ proprium est, ut ipsæ res significatæ per voces aliquid significent. »Illa ergo »prima significatio. (inquit S. Thomas 1. p. quæst. 1. ar. 10.) qua vo»ces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus histo»ricus, vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatæ per vo»ces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super »litteralem fundatur, et eum supponit. Hic sensus spiritualis est triplex, »sicuti diximus, habita ratione illorum, quæ per res significantur in »Sacris litteris." Nam, sicuti prosequitur S. Thomas, »secundum quod »ea, quæ sunt Veteris legis, significant ea, quæ sunt Novæ legis, est »sensus allegoricus; secundum vero quod ea, quæ in Christo facta sunt, »vel in iis, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere »debemus, est sensus moralis; prout vero significant ea, quæ futura »sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus."

Sensus parabolicus, seu metaphoricus ad sensum litteralem reducitur, quum innitatur vocum significationi acceptæ secundum metaphoram. Unde horum verborum: *vicit leo de tribu Juda*, sensus proprius, et immediatus litteræ a Spiritu Sancto intentus est metaphoricus, seu similitudinis, Nam si litteraliter verus leo intelligeretur, hujusmodi sensus esset falsus. Oportet ergo, ut in parabolis, atque metaphoris, sensus litteralis, sicut inquit S Thomas cit. art. ad 3. »sit id, quod est figura»tum. Non enim, quum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis »sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale, sed id, quod »per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa."

Utrum unius loci Sacræ Scripturæ sint aliquando plures sensus litterales, disputatur a multis. Negativam sententiam inter alios recentio-

res tenet Sebastianus Siemillier Canonicus Regularis par. 2. cap. 2. §. 3. suarum *Instit. ad interpretat. Sac. Scrip.* Augustæ Vindel. editarum ann. 1779. Verum in pluribus suis operibus contra sensit S. Augustinus, videlicet, lib. 3. *De Doctr. Christ.* num. 38., lib. 1. *De Genesi ad litt.* num. 38., lib. 11., *De Civit. Dei* cap. 19. Idem sensit etiam S. Thomas 1. p. quæst. 1. ar. 10. et alibi. De veritate hujus rei omnino constat ex Scriptura: nam illud Apostoli *Hebræor.* 1. v. 5. *ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium*, quod quidem 11. *Reg.* 7. 14. secundum litteram intelligitur de Salomone, idem Apostolus in sensu litterali refert ad Messiam. Verum non solum iste locus, sed etiam cetera, quæ in Novo Testamento desumpta ex Veteri sive a Christo, sive ab Evangelistis, sive ab Apostolis ad aliquid probandum in medium proferuntur, duplicem sensum litteralem habent, unum præcipuum alterum minus præcipuum: minus præcipuus est ille, qui verificabatur in Veteri-Testamento, uti v. g. quod Salomon, quous que non recesserat a Deo, esset adoptivus filius illius: præcipuus est alter, qui adimpletus est in Novo Testamento, videlicet quod Christus figuratus per Salomonem sit vere filius Dei, tamquam figuratum superexcedens figuram. Alia non superaddimus, quia hac de re disputatione instituere nolumus.

Inter varios sensus Scripturæ recenseri solet etiam accommodatitius. Hic non est intentus a Spiritu Sancto neque per verba, neque per res ipsis verbis significatas, sed est ab illo, qui verba Scripturæ, quæ rem unam significant, accommodat ad significandam rem alteram propter aliquam uniformitatem ipsius cum priori. Hac ratione, quæ legimus scripta in Sacris litteris in laudem alicujus Sancti viri Veteris Testamenti, non solum Oratores quibusdam Sanctis viris Novi Testamenti accommodare consueverunt, sed etiam Ecclesia omnibus Sanctis Confessoribus generatim accommodavit.

Prop. I. Quatuor sunt sensus, quibus Sacræ Scripturæ verba accipi possunt, hoc est, litteralis et spiritualis, atque hic quidem vel est allegoricus, vel moralis, vel anagogicus.

Prob. prop. In Sacris litteris et plures historiæ simpliciter enarratæ, et plura præcepta secundum litteralem significationem nobis indicta, et multa etiam dogmata fidei propriis vocibus proposita leguntur. Id a nemine negari potest. Est ergo in Sacris litteris sensus litteralis. Est etiam in eis sensus allegoricus, sicuti constat ex Apostolo, qui ad *Galat.* 4. 22. et seqq. hæc habet: »scriptum est enim, quod Abraham duos filios »habuit, unum de ancilla, et unum de libera, sed qui de ancilla, se»cundam carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. »Quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta." Est autem advertendum cum S. Augustino lib. 15. *De Trinit.* num. 15. allegoriam esse posse tum in vocibus, sicuti est in illis verbis I. *ad Thessal.* 5. 6. *itaque non dormiamus, sicut et ceteri, sed vigilemus &c.*; quæ sane allegoria est in verbis, et spectat ad sensum litteralem, tum etiam in ipsis rebus gestis litteraliter enarratis, videlicet quando ipsa res gesta litteraliter enarrata ex Divina institutione rem alteram signifi-

eat, sicuti habemus ex Apostolo *ad Galat.* 4. 12. sensum moralem esse in Sacris litteris, nemo dubitat, et ipse Christus docuit *Joan.* 3. 14. dicens: »sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet »filium hominis, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat »vitam æternam." Quibus verbis docuit, quod sicut olim, qui percussi erant a serpentibus aspicientes in serpentem æneum sanabantur; ita nos conversi ad Christum, qui in figura serpentis, hoc est, peccatoris pendebat in cruce, salutem a morsu peccati consequeremur. Non omnia tamen, quæ in Sacris litteris ad mores nostros referuntur, sub sensu morali contineri dicendum est: nam quando dixit Christus: *diligite inimicos vestros*, sensui litterali est tantummodo locus. Hinc S. Thomas quodlib. 7. quæst. 6. ar. 15. ad 2. advertit, »quod moralis sensus non dicitur omnis »sensus, per quem mores instruuntur, sed per quem instructio morum »sumitur ex similitudine aliquarum rerum gestarum." Tandem esse in Sacris litteris sensum anagogicum, constat ex Apostolo in ep. ad Heb. cap. 9., qui docet, tabernaculum Veteris legis fuisse exemplar illius tabernaculi, in quod Christus per proprium sanguinem semel introivit, æterna redemptione inventa.

Licet vero Patres hujus quadruplicis sensus nullam mentionem plerumque faciant; tamen, sicuti monet Bannesius in explicatione ar. 10. quæst. 1. par. 1. Summæ S. Thomæ, eorum rationem habuisse in interpretatione Scripturæ, dubitari non potest, quum aliqui eorum potissimum sensus litteralis explicationem fuerint prosequuti, alii sensus spiritualis, tum allegorici, tum moralis, tum anagogici, eorumque fere nullus omiserit modo in litteralis, modo in spiritualis, vel allegorici, vel moralis, aut anagogici explicatione versari. Quod vero spectat ad distincta nomina horum sensuum, adverti debet, Patres sub nomine allegorici sensus sæpe comprehendisse non minus allegoricum, quam moralem, et anagogicum.

Dices. semel ac ponatur, in iisdem verbis Scripturæ latere plures sensus, inde sequitur æquivocatio, propter quam modo uni, modo alteri sensui sit locus. Deinde quod esse potest occasio erroris a Scriptura removere debemus: sed si præter litteralem alii sensus admittantur in Scriptura, datur occasio erroris, quia tunc quisque conformiter ad suam opinionem explicabit Scripturam: ergo.

R. ad 1. cum S. Thoma quodlib. 7. quæst. 6. ar. 14. »quod varietas »sensuum, quorum unus ab alio non procedit, facit multiplicitatem lo»quutionis: sed sensus spiritualis semper fundatur super litteralem, et »procedit ex eo. Unde ex hoc, quod Sacra Scriptura exponitur litteraliter, et spiritualiter, non est in ipsa aliqua multiplicitas." In corpore ejusdem art. hæc animadvertit, quæ ad omnem difficultatem præcludendam valde conducunt: »dicendum, quod Sacra Scriptura ad hoc divini»tus est ordinata, ut per eam nobis manifestetur veritas necessaria ad »salutem. Manifestatio autem, vel expressio alicujus veritatis potest fieri »de aliquo rebus, et verbis, in quantum scilicet verba significant res, »et una res potest esse figura alterius. Auctor autem rerum non solum

»potest verba accomodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest »disponere in figuram alterius. Et secundum hoc in Sacra Scriptura ma»nifestatur veritas dupliciter: uno modo, secundum quod res significan»tur per verba: alio modo, secundum quod res sunt figura aliarum re»rum: et in hoc consistit sensus spiritualis; et sic Sacræ Scripturæ plu»res sensus competunt."

Ad 2. respondemus cum S. Augustino lib. 1. *De Doctr. Christia.* n. 14. *in iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniri illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet, et caritatem.* Deinde, sicuti inquit idem S. Doctor lib. 3. *De Doctrina Christia.* num. 14. *quidquid sermone Divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.* Illud tandem est animadvertendum, quemadmodum habet S. Thomas *Quodlibeto* 7. quæst. 6. art. 14. ad 3. »quod, sicut dicit Augustinus in lib. *De* »*Doctrina Christiana*, nihil est, quod occulte in aliquo loco Sacræ Scri»pturæ tradatur, quod non alibi manifeste exponatur. Unde spiritualis »expositio semper debet habere fulcimentum ab al qua litterali exposi»tione Sacræ Scripturæ, et ita vitatur omnis erroris occasio." Quapropter ita recte S. Augustinus lib. 2. *De Doctr. Christ.* num. 24. »in ea, quæ »obscura sunt, aperienda, et discutienda pergendum est, ut ad obscu»riores loquutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et »quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem ab incertis »auferant."

Prop. II. Scriptura secundum sensum litteralem vim majorem habet ad res fidei comprobandas, erroresque contrarios refellendos, quam secundum sensum spiritualem.

Hic litteralem cum sensu spirituali, a quo distinguitur, comparamus habita solummodo ratione efficaciæ, quæ ad probanda dogmata fidei, et contrarios errores refellendos in utroque inest, non vero illius præcellentiæ majoris, quæ in uno præ altero considerari potest, atque revera consideratur a multis.

Prob. prop. Sensus litteralis est ille, quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta immediate significant ex intentione Spiritus Sancti loquentis: ergo in se acceptus est magis nobis obvius, magisque etiam perspicuus, quam sensus spiritualis, qui sane non ab ipsis verbis proficiscitur, sed a rebus significatis per verba.

Deinde, quemadmodum jam a nobis animadversum est, sentiunt Patres, sensum spiritalem niti litterali, et hunc illius fundamentum esse: ergo si quæ efficacia inest (maxima autem inest) in Sacris litteris juxta sensus diversos, quibus accipi possunt, ad probanda dogmata fidei, erroresque contrarios refellendos, quam maxima potissimum in eo sensu esse debet, qui est fundamentum cetetorum.

Tandem semper æque firmum argumentum ad probanda dogmata fidei ex litterali sensu eruitur: e spirituali autem tunc tantum eruitur firmum argumentum, quando vel ex aliis Scripturæ locis de eo compertum est, vel Patrum auctoritate constat.

Dices. Juxta Apostolum II. *Corint.* 3. 6. *littera occidit, spiritus autem vivificat*: sed quod occidit, ad probanda dogmata fidei aptum esse non potest: ergo.

R. Paulum non respicere ad sensum spiritualem, et litteralem, sed ad utrumque Testamentum, vel utramque legem. Licet enim lex Vetus, sicut ait Apostolus *Roman.* 7. 14. esset *spiritualis*, spiritum tamen, et gratiam non largiebatur: at contra lex Evangelica spiritum, et gratiam sua virtute impertitur. Unde Apostolus *Roman.* 2. 27. legem Moysis vocat *litteram*, legem vero Evangelicam I. *Corint.* 2. 13. *spiritum.* Qua ratione Joannes 1. 17. dixit: *Lex per Moysem data est: gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Quam enim Joannes legem vocat, hanc Apostolus litteram dicit, et quam ille *gratiam*, et *veritatem* appellat, hoc loci Paulus *spiritum* nominat. Unde littera dicitur occidere, quatenus non reprimit concupiscentiam, sed quodammodo, data occasione, auget, prout in rem prohibitam ipsa concupiscentia ferventius ducimur.

Prop. III. Etiam sensus spiritualis suam efficaciam habet ad probanda dogmata fidei, et errores contrarios refellendos, quum ipse quoque sit a Spiritu Sancto præintentus.

Prob. prop. Semel ac enim etiam spiritualem sensum a Spiritu Sancto præintentum esse, ostendatur, nullum dubium amplius superesse potest, utrum ille quoque ad demonstranda dogmata fidei vim suam habeat: ideo illud nunc evincere conabimur, singulos spirituales sensus juxta suam propriam speciem a Spiritu Sancto esse præintentos. Apostolus illud *Deuteron.* 25. 4. *non alligabis os bovi trituranti* tum I. *Corint.* 9. 9., tum 1. *ad Timoth.* 5. 18. tropologice, seu moraliter accipit, atque ad concionatores, et promulgatores Divini verbi refert. Unde in priori loco ita habet: »nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? nam »propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui »triturat, in spe fructus percipiendi." Illis autem verbis: *nunquid de bobus cura est Deo?* non negat, Deum sensu litterali de bobus esse loquutum, et Judæis dedisse præceptum de non alligando ore bobi trituranti, sed vult, Deum respexisse aliud longe præstantius, quod per boves, et non alligandum os iis triturantibus significatur, hoc est, subministrationem eorum, quæ necessaria sunt ad sustentandos doctores, et concionatores. Sensu allegorico interpretatur idem Apostolus in epist. *Ad Hebræos* 1. 5. illud II *Regum* 7. 14. *ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Hoc enim loci ista secundum litteralem sensum de Salomone intelliguntur; Apostolus tamen hæc eadem spiritualiter refert ad Christum, atque probat ex iis, Christum esse filium Dei, atque majorem Angelis. Sensu anagogico ab eodem Apostolo accipitur et illud *Psal.* 94. 11. *si introibunt in requiem meam*, et alterum *Genesis* 2. 1. de sabbatismo: nam anagogice refert ad requiem, et sabbatismum populi Dei in cælo. Unde post hæc, et alia, quæ ex Veteri Testamento retulit, ita concludit in epistola *ad Hebræos* 4. 9. *itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.*

Illud ergo generatim, atque universe statuendum est, a Spiritu Sancto esse illum sensum, in quo Scriptor Sacer accipit locum aliquem Divinæ

Scripturæ : sed Paulus, aliunde Scriptor Sacer, accipit loca Scripturæ in sensu tropologico, allegorico, et anagogico : ergo hi omnes sensus sunt præintenti a Spiritu Sancto.

Et re quidem vera semel ac aliquid prophetatum in Veteri lege, impletum in Nova fuisse dicatur, illud impletum fuisse, affirmari debet, vel juxta sensum litteralem, vel juxta spiritualem, et si juxta litteralem non possit, ad istum recurrendum est. Hujusmodi est ille locus, qui *Matthæi* 2. 15. ab Osea 11. 1. acceptum refertur : *ex Ægypto vocavi filium meum* : qui quidem juxta litteram respicit Israëliticum populum eductum ex Ægypto, quum in citato loco Oseæ dicatur : *quia puer Israël, et dilexi eum : et ex Ægypto vocavi filium meum* : juxta sensum vero spiritualem, ipsum Christum. Item in eodem 2. cap. *Matt.* v. 18. adducitur illud *Jeremiæ* 31. 15 *vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Quæ sane juxta litteram intelligi debent de cæde puerorum, quæ contigit, urbe expugnata a Babiloniis; at secundum allegoriam de cæde infantium, Herode præcipiente, facta. Alia multa ejusdem generis in medium afferre possemus : verum ista abunde sufficere posse, putamus. Nunc quod ostendendum proposuimus. Ille sensus, qui est intentus a Spiritu Sancto, nonnisi certus, et infallibilis esse potest : sed etiam sensus spiritualis est intentus a Divino Spiritu : ergo etiam sensus iste est certus, et infallibilis : sed ex sensu certo, et infallibili efficax argumentum procul dubio sumitur ad comprobanda dogmata fidei, erroresque contrarios confutandos : ergo.

Dices. Hæc propositi cum nostra priori pugnare videtur : semel ac enim sensus tum litteralis, tum spiritualis a Deo sit, æqualiter efficax ad probanda dogmata fidei uterque esse debet : sed nos in præcedenti propositione majorem efficaciam sensui litterali tribuimus : ergo.

R. dist. min. Sensui litterali tribuimus, respectu nostri conc. in se considerato, et si ille absolute comparetur cum spirituali, neg. Statuendum utique est, si absolute loquamur, tum ex litterali, tum ex spirituali sensu æque firma argumenta erui posse ad probanda dogmata fidei, quia uterque est a Spiritu Sancto intentus. Verum id discriminis inter spiritualem, et litteralem sensum quoad nos intercedit, ut sensus litteralis magis apertus, obviusque sit, magisque propterea nobis clare pateat, esse a Spiritu Sancto. De sensu autem spirituali non ita facile nobis constat, indeque difficilius dijudicamus, utrum sit a Spiritu Sancto. Quare nostri potissimum habita ratione, diximus, vim efficaciorem inesse in sensu litterali ad probanda dogmata fidei.

Hoc vero est, quod vult etiam S. Hieronymus, dum affirmat *Comment. in Matthæum* lib. 2. cap. 13., *quod nunquam parabolæ, et dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Semel ac enim certum non sit, illum, aut alterum spiritualem sensum a Spiritu Sancto esse intentum; tunc sane locis Scripturarum sensu spirituali acceptis fidei dogmata non ostenduntur. S. Thomas 1. part. quæst. 1. art. 10. ad 1. S. Augustini auctoritate ductus affirmat : *ex solo litte-*

rali sensu trahi posse argumentum, non autem ex iis, quæ *secundum allogoriam* dicuntur. S. Augustinus autem, quem citat S. Thomas ita habet in epist. 93. ad Vincentium num. 24., alias epist. 48. »Quis non »impudentissime nitatur, aliquid in allegoria positum pro se interpre»pretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustren»tur obscura?" Hoc autem loci contendit S. Augustinus, Rogatistas pro se afferre non posse illud *Cantic.* 1. 6. *ubi pascas*, *ubi cubes in meridie*, indeque reprehendit impudentiam illorum, qui in suam sententiam trahunt allegorice dicta, quamvis de illorum vera acceptione aliunde non constet. Hinc etiam S. Thomas *Quodlib.* 7. quæst. 6. art. 14. ad 4. ita habet: »Dicendum, quod non est propter defectum auctoritatis, quod »ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa »natura similitudinis, in qua fundatur sensus spiritualis. Una enim res »pluribus similis esse potest. Unde non potest ab illa, quando in Scri»ptura Sacra proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate; sed »est fallacia consequentis: verbi gratia, leo propter aliquam similitudi»nem significat Christum, et diabolum; unde per hoc quod aliquid de »leone dicitur in Sacra Scriptura, ad neutrum potest fieri processus, »in Sacra Scriptura argumentando."

Prop. IV. In sensu accommodatitio nulla inest Divina auctoritas ad tuenda dogmata fidei.

Prob. prop. Sensus accommodatitius non est a Spiritu Sancto simul cum litterali nobis traditus, sed a quolibet interprete accommodatus Scripturæ pro acumine sui ingenii, indeque nullam in se Divinam auctoritatem potest habere ad res fidei tuendas. Unde S. Hieronymus lib. 2. in *Matt.* explicans illud cap. 13. de fermento, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus, postquam hanc similitudinem adaptavit SS. Mysterio Trinitatis, superaddidit: »pius quidem sensus, sed nunquam para»bolæ, et dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogma»tum perducere."

Quoad sensum accommodatitium illud advertatur oportet, quod Tridentini Patres sess. 4. in Decreto de edit., et usu Sacrorum librorum decreverunt, videlicet, ne verba Scripturæ ad ea significanda accommodentur, quæ dedecent verbum divinitus inspiratum, propterea que non solum ad illa, quæ in se aliquam turpitudinem habent, sed neque etiam ad alia quævis prophana sensus Divinarum Scripturarum accommodari potest.

Est alterum quoque advertendum, hoc est, maximum discrimen interesse inter sensum falsum, et sensum accommodatitium: ille enim non solum non est intentus a Spiritu Sancto, sed repugnat ipsi verbo divinitus inspirato: iste autem licet non sit intentus a Spiritu Sancto, tamen non opponitur verbo divinitus inspirato, semel ac adhibeatur, sicut solummodo adhiberi debet, ad significanda, quæ spectant ad religionem, et in usu illius attendatur, ut, quæ eodem significantur, habeant aliquam conformitatem cum iis, quæ in Sacris litteris sensum litteralem habent.

LIBER SEGUNDUS

De Sacris Traditionibus.

Scripta quidem sunt multa eorum, non tamen omnia, quæ ipse Christus per se tradidit, quæque Apostoli edocti a Christo, aut divino illustrati lumine, ad fidem, vel mores, sive quovis modo spectantia ad statum Ecclesiæ, tradiderunt. Nunnulla itaque istorum viva solummodo voce sibi tradita Ecclesia accepit, semperque continua successione custodivit: quæ sane non secus ac ea, quæ legimus in Canonicis libris, sunt verba divina, et vocantur non scriptæ Traditiones Christi, atque Apostolorum. Vocantur, inquam, Traditiones Christi, atque Apostolorum, quia nomen traditionis non refertur ad actionem ejus, qui rem tradit, sed ad ipsam rem traditam: non scriptæ autem, quatenus ab aliquo Canonico auctore scripta non fuerunt, ea tamen Patres uti divinitus tradita Ecclesiæ litteris consignarunt. Sunt sane hujusmodi divinæ Traditiones firmissimum nostræ fidei firmamentum, non secus ac Sacræ litteræ, exque illis propterea, sicut ex istis, firmissimum argumentum ducitur ad comprobandam fidei, morumque doctrinam. In 1. cap. divisionem Traditionum aperiemus: in 2. de divinis Traditionibus agemus, quatenus in eis religio tum in lege naturæ, tum etiam in lege scripta, saltem quoad plura, suum fundamentum habuit: in 3. de ea ratione, qua Sacræ Traditiones nobis sunt compertæ: in 4. de auctoritate divinarum Traditionum: in 5. de necessitate illarum: in 6. de contradictione, qua Protestantes implicantur etiam in hoc capite doctrinæ.

CAPUT PRIMUM.

De divisione Traditionum Apostolicarum.

Præcepta, et instituta Apostolorum sunt in duplici differentia: quædam fuerunt temporaria, quorum ratio brevis, et ad tempus fuit, sicut abstinentia a sanguine, et suffocato, quemadmodum *Actor.* 21. 25. legitur: alia fuere perpetua, utpote quæ causam habuere sempiternam, ut in Ecclesia servarentur, sicut aqua permiscenda vino in sacrificio Missæ. Rursus alia est divisio Traditionis Apostolicæ: nam quasdam acceperunt Apostoli a Christo Domino, ut Matrimonium, Confirmationem, Extremam unctionem esse Sacramenta Novæ legis, quæ Christus instituit, suorum Sacramentorum solus auctor, et tradidit Apostolis Christiano populo administranda. Alias vero traditiones ipsi Apostoli, Spiritu Sancto suggerente, ad utilitatem Ecclesiæ ediderunt. Hujus generis est jejunium quadragesimale, et alia, quæ servat Ecclesia ex Traditione Apostolica. Id discriminis intercedit inter utrasque, ut abolendi illas nulla sit in Ecclesia potestas, quum a Christo Jesu suo supremo capite

Ecclesia easdem receperit: istas mutare, vel tollere potest pro diversa opportunitate temporum, atque locorum.

Si dubium sit, utrum Traditio sit divina, videlicet, profecta a Jesu Christo, an apostolica tantum, hoc est, Apostoli fuerint auctores illius: tunc inter alia sunt ista præcipue attendenda. Primo videndum est, utrum ipsa res tradita sit ejus conditionis, ut excedat potestatem Ecclesiæ, quemadmodum contigeret, si ea versaretur circa institutionem alicujus Sacramenti, aut materias formasque ipsorum Sacramentorum. Deinde consulendi sunt Patres, quorum si unanimis consensio fuerit, traditionem esse divinam, tunc nemini amplius licebit dubitare de divinitate illius. Tandem videndum est, quodnam sit judicium Ecclesiæ, et pro Traditione divina habenda est illa, quæ licet non sit expressa in Sacris litteris, Ecclesiæ tamen judicio dogma fidei est, quod ab hujusmodi Traditione acceptum habemus. Unde S. Augustinus in lib. *Cont. Cresconium* num. 39. agens de baptismate non iterando ait: »quamvis hujus rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur »veritas, quum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, »quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas."

CAPUT SECUNDUM.

De divinis Traditionibus, quatenus Ecclesia in lege naturæ suum omne fundamentum in iis habuit, in lege autem scripta aliquod saltem habuit.

Traditionum initium nunc ducimus tum a lege naturæ, tum a lege scripta, ut nemo non videat, semper fuisse consilium Dei, etiam Traditionibus regere suam Ecclesiam.

Prop. I. Tam in lege naturæ, quam in lege scripta, fuit aliqua Traditio Divina, quæ uti fidei regula haberetur, atque revera esset.

Prob. prior pars prop. Ab Adamo usque ad Moysem aliqua Ecclesia semper fuit, in qua veri cultores Dei floruerunt, quales inter alios fuere Adam, Abel, Seth, Enos, Noe, deinde Abraham, Isaac, et Jacob, atque alii. Profecto hi omnes una cum aliis cultoribus veri Dei nullam legem scriptam habuerunt, qua illis compertum fieret, qua ratione Deum colere deberent, iisdemque constaret de mundo a Deo creato, de futuro adventu Messiæ, de remedio peccati originalis, de pœna, qua Deus punit peccata, et de præmio, quod retribuit bonis operibus, de altera post præsentem futura vita, aliisque similibus, quæ humana ratione non possunt investigari, prout oportet, quæque ad veram religionem sunt necessaria.

Et re quidem vera in lege naturæ Abrahamo Deum revelasse multa, quæ suis posteris ipse traderet, ex his verbis *Genes.* 18. 17. et 19. perspectum habemus: »num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, »quum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicen-

»dæ sint in illo omnes nationes terræ?.... Scio enim quod præcepturus »sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et fa»ciant judicium, et justitiam." Hæc non scripto tradidit Abraham filiis suis, nec filii Abrahami, atque alii deinceps ante Moysem scripto tradiderunt: ergo viva voce. Constat igitur ab ipso Abrahamo ante Moysem plura tradita fuisse viva voce suis filiis, et rursus ab istis viva voce suis posteris, atque idem deinde factum ab aliis. Fuit igitur in lege naturæ aliqua Traditio divina, quæ uti fidei regula haberetur, et esset.

Prob. altera pars. Regius propheta *Psal.* 43. 1. inquit: »Deus auri»bus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis." *Psal.* 75. 6. »quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cogno»scat generatio altera: filii nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis »suis." Hæc profecto, quæ Deus revelavit Patribus, ut nota facerent filiis suis, iique deinde suis posteris, talia esse procul dubio debebant, ut ad religionem spectarent, alioquin non fuisset, cur Deus mandaret Patribus, ut nota facerent filiis suis, iique aliis. Fuerunt igitur etiam in lege Mosaica præcepta non scripta, sed per Traditionem transmissa, quæ spectarent ad religionem. Unde S. Hilarius *Tract.* in Psal. 2. num. 2. »erat autem (inquit) jam a Moyse antea institutum in synagoga omni se»ptuaginta esse doctores. Nam idem Moyses, quamvis Veteris Testamen»ti verba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis le»gis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps ma»nerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis me»minit dicens (a)." *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite, secundum vero facta eorum nolite facere.* »Doctrina ergo horum mansit in poste»rum, quæ ab ipso Scriptore legis accepta, in hoc seniorum et numero, »et officio reservata est." Quapropter quamvis in Veteri lege multa scripta haberentur, quæ non minus ad cultum Dei spectarent, quam ad mores, adhuc tamen plura in ea supererant sola voce tradita, solaque etiam voce consignata posteris, quibus secretiora quædam mysteria continerentur.

Hæc vero omnia, de quibus in hoc capite disseruimus, abunde demonstrant contra Protestantes, Religionem niti etiam Traditionibus, easque propterea dici non posse sententias Patrum, sed revera esse verbum Dei, a quo solum Religio pendere potest. Verbis ergo ludunt ipsi Protestantes, quando affirmant, sese admittere eas Traditiones, quæ Divinis Scripturis non opponuntur. Implicat enim Divinum verbum opponi sibi ipsi: hoc vero est, quod contingeret, si Traditiones, hoc est, verbum Divinum non scriptum, Sacris litteris, hoc est, verbo Divino scripto, opponeretur.

(a) *Math.* 23. 2. *et seqq.*

CAPUT TERTIUM.

De ea ratione, qua Sacræ Traditiones nobis compertæ esse possunt.

Antequam prosequamur cetera, quæ spectant ad istud doctrinæ caput, illud videamus oportet, qua nobis ratione compertum sit, aut esse possit de iisdem Sacris Traditionibus. Nam Protestantes, sicuti habent Walenburchenses *de Traditionibus* cap. 4. num. 12., Catholicis admittentibus, et recipientibus quasdam Divinas, atque Apostolicas Traditiones, reponunt, easdem non esse veras Traditiones, sed suppositicias, quæ nos de prævaricatione, et superstitione arguant, nisi prius ostendamus, illas descendere a Deo, vel ab Apostolis. Hoc ergo est, quod nos modo contra eos evincere conabimur, atque ostendemus, certo compertum nobis esse posse, atque revera esse de Divinis Traditionibus.

Prop. I. Si quod dogma fidei Patres ab initio secundum successionem suorum temporum summa consensione tenuerunt, ejusque contrarium uti hæreticum refutarunt, quod tamen ex Sacris litteris non habeatur, illud nimirum Ecclesia accepit ab Apostolica Traditione.

Prob. prop. Et quidem argumento S. Augustini, quod nulla sane ratione eludi potest. Tantorum igitur, ac tam præcellentium virorum summa pietas, sanctitas, atque etiam maxima doctrina non patitur, ut ab eis vel confictum credamus, quod uti inspiratum divinitus nobis tradiderunt, vel itidem, sicuti divinitus inspiratum habuerint, firmissimeque tenuerint, quod revera non esset. »Isti Episcopi sunt docti (ita quondam S. Augustinus agens de Traditione Patrum *Cont. Julianum* lib. 2. »num. 33.) graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus gar»rulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria »bona judici tribuisti, non potes inveniri, quod spernas. Si Episcopalis »Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic fa»cile tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles, et mul»tis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates »temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire ju»dicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus, at»que regionibus, ab Oriente, et Occidente congregatos vides, non in »unum locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, qui »navigare possit ad hominem... Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia »Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus, »crevit." Crevit, inquam: nam S. Martyr Ignatius, uti refert Eusebius lib. 3. *Eccles. Hist.* cap. 36. »quum per Asiam sub acuratissima sa»tellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas »ingrederetur, Ecclesias sermonibus, et cohortationibus suis confirmans, »monebat in primis, ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus caverent, »quæ tunc primum in lucem emergere quum cœpissent, copiosius pul»lulabant. Hortatusque est, ut Apostolorum Traditionibus tenaciter in»hærerent: quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio

»suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit." De S. Polycarpo autem hæc habet S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 4. »et »Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum »multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam in Asia, in »ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus... hæc docuit »semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ et Ecclesiæ tradidit, et sola »vera sunt." Hinc ipse S. Irenæus in eodem libro, et capite num. 1. ita de Traditione habet: »Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo »manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera ve»lint credere: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt »Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil »tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur." Num. 2. affirmat usque ad sua tempora pervenisse. »in Ecclesia Romana, omnium »Ecclesiarum maxima, et antiquissima eam, quæ est ab Apostolis, Tra»ditionem, et enuntiatam hominibus fidem per successiones Episcopo»rum." Quod ergo Apostoli depositum fidei voce tantum Ecclesiæ tradiderunt, illud ab eorum successoribus receptum, et custoditum, atque servatum subinde fuit ab aliis omnibus, quos Ecclesia habuit sui Plantatores, Rigatores, Ædificatores, Pastores, atque Nutritores. Hoc autem tam præclaro munere Patres in Ecclesia semper perfuncti fuere. Si quod ergo dogma fidei SS. Patres ab initio secundum successionem suorum temporum summa concordia tenuerunt, ejusque contrarium uti hæreticum refutarunt, quod tamen ex Sacris litteris non habeatur, id nimirum Ecclesia habet ab Apostolica Traditione. Sunt profecto dogmata fidei hujus generis perpetua B. Mariæ Virginitas, certus numerus Sacrorum librorum tum Novi, tum Veteris Testamenti, aliaque his similia, quæ ex Scriptura nullo modo definiri possunt.

Dices. Nimis incerta esse debet hæc nostra traditio, quum tota nitatur in fide hominum, qui fallere, et falli, et male interpretari poterant, quæ audierant, aut saltem propter lapsum memoriæ non tradere ea posteris, prout ipsi intellexerant: sed fundamenta dogmatum fidei certissima esse debent: ergo.

R. dist. maj., semel ac singularis providentia Christi erga suam Ecclesiam non admittatur conc., si admittatur, quemadmodum admitti debet, neg. Illud quidem primo advertatur oportet, Traditiones Apostolicas eadem fide, atque diligentia in cordibus Fidelium asservari posse, ac si in papyro scriberentur. Tamen si humanam naturam in se spectemus, nullus superest dubitandi locus, quin homines et fallere, et falli possint in iis, quæ ab aliis audiverunt: verum id ne contingeret in transmisione Traditionum Apostolicarum, Christi singulari providentia, qua suæ Ecclesiæ prospicit, factum fuisse dici debet, atque eadem ratione consultum conservationi Divini verbi non scripti, ac verbi Divini scripti: quam quidem singularem providentiam quoad scriptum Divinum Verbum etiam ipsi Protestantes admittant, oportet. Ceterum Christum revera prospexisse conservationi Verbi Divini non scripti, unicuique facile constare potest ex ea consensione, in quam, Apostolicarum Tradi-

tionum habita ratione, omnium sæculorum Patres, atque etiam Ecclesiæ semper conspirarunt. »Ecquid verisimile est (inquit Tertullianus in lib. *De Præscript. adver. Hæres.* cap. 27., refellens eos, qui Ecclesias in errorem inductas esse effutiebant) »ut tot, ac tantæ in unam fidem »erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus. Variasse de»buerat error doctrinæ Ecclesiarum. Geterum quod apud multos unum »invenitur, non est erratum, sed traditum."

Prop. II. Quod Sancti Patres in expositione Scripturæ unanimi consensione docuerunt, Divinam auctoritatem habet, quæ ab ipsa divina Traditione descendit.

Prob. prop. Atque illud quidem prius advertatur oportet, sicuti habet Canus lib. 7. *De Locis Theologicis* cap. 3. »Scripturam Sacram pro »ipsa sui et altitudine, et obscuritate non uno eodemque sensu omnes ac»cipere, sed aliter atque aliter alium, atque alium interpretari, ut pe»ne quot homines, tot illinc sententiæ erui posse videantur. . . . Quo»circa necesse est, ut Propheticæ, et Apostolicæ interpretationis linea »propter tam varios erroris anfractus secundum normam aliquam di»rigatur." Hæc ergo forma, seu regula est unanimis expositio, et intelligentia Patrum. »Et ipse dedit (inquit Apostolus *Ephes.* »4., 11. et seqq.) quosdam quidem Apostolos, quosdam autem »Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doc»tores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificatio»nem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et »agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitu»dinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumfera»mur omni vento doctrinæ in malitia hominum, in astutia ad circum»ventionem erroris." Ex his vero omnibus Canus in citato loco ita recte colligit: »plane intelligitur divinæ providentiæ fuisse, ut non solum »Prophetarum, Apostolorum, et Evangelistarum codices haberemus, »verum etiam Sanctorum Doctorum in illos commentaria. Ob eam enim »certe causam post Prophetas, Apostolos, et Evangelistas Ecclesiæ a »Christo doctores dantur, ut illorum Sacros hi libros interpretentur. »Hos ergo in Ecclesia Dei divinitus per tempora, et loca procuratos, »quisquis in Scripturæ sensum eumdem convenientes contempserit, non »hominem contemnet, sed Deum: a quo in id illi fuere destinati, ut »populum Christianum Sacras Prophetarum, Apostolorum, Evangelis»tarumque litteras edocerent. Quod si Sancti omnes, dum illas inter»pretarentur, errarunt, Deo auctore, erraret Ecclesia; quum doctores »sibi a Christo datos sequeretur, et in Sacrorum codicum intelligentia »eorum vestigiis insisteret."

Hinc vero est, ut Pontifices, et Concilia, dum de sensu aliquorum locorum Scripturæ ageretur, non expectaverint a Deo novam illustrationem, seu revelationem, qua sibi verus, legitimusque sensus manifestaretur, sed diligentissime expenderint, quid haberet Traditio Ecclesiæ in communi, et unanimi expositione Sanctorum Patrum, atque juxta eam suum judicium tulerint. Quum enim quæstio esset de sensu

illorum verborum S. Joannis (a): *ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum mortuum &c.* Clemens V. in Concilio Viennensi in hunc modum sententiam tulit (b): „Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum, et Doctorum communem sententiam „Apostolicæ considerationis (ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet) „aciem convertentes, Sacro approbante Concilio, declaramus, prædictum Apostolum, et Evangelistam Joannem rectum in præmissis factæ „rei ordinem tenuisse, narrando, quod, Christo jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit." In Synodo VI. Generali Act. 11. divinati fuerunt Origenistæ, quia conarentur introducere novas expositiones Scripturæ contra *Apostolicam, et Paternam Traditionem*, uti constat ex epistola Sophronii lecta in eadem Act. 11., et in 15. probata (c). Leo X. in V. Concilio Lateranensi mandavit omnibus, „ut Evangelicam veritatem, et Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, et ampliationem doctorum, quos Ecclesia, vel usus „diuturnus approbavit, legendosque hactenus recepit, vel in posterum „recipiet, prædicent, et explanent, nec quidquam eis proprio sensui „contrarium, aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant." Sanctus Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 7. num. 16. postquam tradidit, regula veritatis esse illos destitutos, qui Scripturam contra Ecclesiasticam Traditionem interpretantur, de hæreticis hæc supperaddit: „gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea, quæ conveniunt sermonibus „divinitus inspiratis, tradita a Beatis Apostolis, et Magistris, voluntarie eludunt per alias argumentationes humanis doctrinis resistentes divinæ Traditioni, ut hæresim constituant." Nullus est ergo dubitandi locus, quin ex divina Traditione profectum sit, quod Patres in expositione Scripturæ unanimi consensione docuerunt.

Dices. Quandoque Patres ex falsa interpretatione Divinarum Scripturarum errandi occasionem acceperunt: ergo interpretatio illorum saltem non semper ex Traditione proficiscitur. Prob. ant. S. Cyprianus simul cum Africanis Antistitibus nimis multa loca Sacræ Scripturæ pro sua sententia de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati erant, in medium afferebat, uti ex ejus epist. 70. et 71. compertum habemus. Error quoque Millenariorum suum fundamentum habuit in falsa interpretatione nonnullorum Scripturæ locorum. Ut enim de aliis sileamus, S. Irenæus lib. 5. *Cont. Hæreses* cap. 32. suam sententiam ex Apostolo *Roman.* 8. 19., et ex promissione Abrahamo facta *Genesis* cap. 13. confirmat. Cap. 33. ejusdem lib. plures auctoritates Scripturæ in eamdem rem deprimit, hoc est, ex *Matt.* 26. 27., *Lucæ* cap. 14. v. 27., *Lucæ* 14. 12. et 13. et ex aliis locis Veteris Testamenti. Tandem cap. 34 hoc ipsum pergit ostendere ex cap. 26. *Isaiæ* 19., *Ezechiel.* 37. 12., *Jerem.* cap. 28. 7., ac ex aliis locis: ergo. Huic rei accedit, Patres inter se sæ-

(a) Cap. 19.
(b) Clement. *De Sum. Trinit.* cap. unico.
(c) *Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 1282.

pe dissentire in interpretatione Scripturæ. Unde ex hoc quoque capite constat, interpretationem eorum loco cujusdam Traditionis haberi non posse.

R. dist. ant., et locorum Scripturæ interpretatio, quæ fiebat a rebaptizandis, et millenariis erat singularis, et contraria Traditioni Ecclesiæ; conc. communis, atque conformis traditioni Ecclesiæ; neg Profecto, exceptis scriptoribus Canonicis, nemo alius fuit, qui labi non potuerit. Unde mirandum non est, si aliquando nonnulli quoque Sanctorum Patrum lapsi fuerint, atque contra verbum Divinum scriptum senserint, immo auctoritate ejus usi fuerint ad errorem confirmandum. Verum si quando id nonnulli fecerunt, contra Traditionem Ecclesiæ, contra communem consensionem ceterorum Patrum omnium sæculorum, contra receptam in Ecclesia Catholica doctrinam fecerunt, eorumque propterea sententia tantum abest, ut possit haberi loco cujusdam Traditionis, quin potius sicuti contraria illi explodi debeat. Neque enim Traditio sita est in sententia aliquorum, sed in communi consensione Patrum, qui ab initio secundum successionem suorum temporum semper quidpiam tenuerint, uti dogma fidei, et contrarium ejus, uti hæreticum, rejecerint, sicuti ex hujus cap. 1. prop. constat. Huic autem communi consensioni omnium temporum nihil detrimenti afferre, aut e sua eam firmitate deturbare potest contraria sententia aliquorum, qui neque sequentibus sæculis discipulos habuerunt, neque prioribus auctores, quos imitarentur.

Hujus naturæ tum Rebaptizantium, tum Millenariorum sententia fuit. De sententia Rebaptizantium satis multa in 3. propositione infra dicemus. Sententiam vero Millenariorum quod spectat, fatemur quidem, plures etiam diversis sæculis sui propugnatores habuisse: verum communis etiam quoad rem istam Traditio Patrum omnium sæculorum semper firma subsistit, totiusque Ecclesiæ comprobationem habuit. Nam 1. sæc. S. Clemens in sua 1. epist. *ad Corinthios* num. 5. tradit, S. Petrum Martyrem effectum *discessisse ad debitum gloriæ locum*, et S. Ignatius in epist. ad *Roman.* num. 4. rogat eos, ut escam ferarum se fieri sinant, quia ita licet *Deum adipisci, et purum lumen haurire.* Sæculo 2. Catholicam veritatem istam docuerunt S. Polycarpus in epist. *ad Philippens.*, et ejus Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium lib. 4. *Hist. Eccles.* cap. 15., ac Athenagoras in *Legatione pro Christianis* num. 31. In vetustissimis vero Actis S. Symphorosæ, quæ anno Christi 120. martyrium subiit, a viro ejus Getulio, et Amantio fratre hæc apud Ruinartium Hadriano dicta leguntur: »elegerunt enim magis decollari, quam »vinci, passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta inter homines »terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos ve»ro decus, et gloriam sempiternam: inter quos nunc gradientes, et tro»phæa passionum suarum dantes cum æterno Rege vita æterna fruuntur »in cælis." Sæculo 3. Apostolicæ Traditionis fuerunt assertores S. Clemens Alexandrinus lib. 5. *Stromatum*, Dionysius Alexand. apud Eusebium lib. 7. *Eccl Hist.* cap. 22., Origenes lib. 3. *Periarchon* num. 6., et lib. 6. *Cont. Celsum* num. 5. et præter alios S. Cyprianus in *Exhortat.*

Martirii num. 12. Quæ autem istorum, eadem quoque et sequentium temporum Patrum sententia fuit. Nam SS. Ambrosium, Augustinum, et Bernardum non consensisse illis, qui, animas justorum non statim a morte beatifica visione Dei frui, volebant, etiamsi nihil illis expiandum superesset, nullus æquo jure dubitare potest (a).

In Interpretatione autem Divinarum Scripturarum Patres inter se plerumque dissentiunt non quoad ea, quæ ad fidem spectant, et a divina Traditione profecta dicimus; sed quoad alia, quæ non sunt divinæ Traditionis, atque disputationi subesse possunt. Semel ac vero dissensio rem fidei respiciat; tunc quid faciendum sit docet Vincentius Lyrinensis in suo *Commonit.* 1. cap. 38. »Et si quando (inquit) pars contra ve»tustatem, unius, vel paucorum errantium dissensio contra omnium, »vel certe multo plurium Catholicorum consensionem rebellaverint: præ»ferant portionis corruptioni universitatis integritatem, inque eadem uni»versitate novitatis prophanitati antiquitatis religionem: itemque in ipsa »vetustate unius, sive paucissimorum temeritati primum omnia genera»lia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponat: tunc deinde, »si id minus est, sequatur, quod proximum est, multorum, atque ma»gnorum consentientes sibi sententias magistrorum."

Prop. III. Quod ex consensione Catholicæ Ecclesiæ uti dogma fidei credendum proponitur, ex Sacra Traditione profectum esse, dici debet, semel ac illud nec in Sacris litteris traditum, neque Conciliis institutum, sed semper retentum sit.

Prob. prop. Tam in verbo Divino scripto, quam in eodem non scripto, quum utrumque sit æque Divinum, dogmata fidei continentur, ideoque præter ista Ecclesia Catholica nulla alia tenet, atque profitetur: semel ac ergo agatur de dogmate fidei, si illud ex Divino verbo scripto non proficiscatur, a non scripto sit oportet, atque ab illo Ecclesia accepisse debuit: ergo quod ex communi consensione Ecclesiæ Catholicæ uti dogma fidei credendum proponitur, ex Sacra Traditione profectum esse, dici debet, semel ac illud neque in Divinis litteris traditum, neque Conciliis institutum, sed semper retentum sit. Nec Conciliis, inquam, institutum, sed semper retentum sit: quia inde consequitur, ut et origo illius ab Apostolis accipiatur, et agi de dogmate fidei etiam ex hoc capite præsupponi debeat: nam id discriminis intercedit inter ea, quæ spectant ad fidem, et alia, quæ non spectant, ut illa semper subsistant, neque mutari possint, non vero ista.

Verum Tertullianum audiamus hac de re nostra ita disserentem in lib. *De Præscript. advers. Hæret.* cap. 21. »Hinc igitur, inquit, dirigi»mus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad »prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos »Christus instituit.... Quid autem prædicaverint, id est, quid illis »Christus revelaverit, et hic præscribam, non aliter probari debere, ni»si per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, eis prædican-

(a) Consulatur Bertius lib. 3. *de Thelog. Discipl.* cap. 10.

»do tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas. Si hæc ita sunt, »constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostoli»cis, Matricibus, et Originalibus conspiret, veritati deputandam, sine »dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, et »Christus a Deo accepit." Ea vero doctrina, quæ communi consensione Ecclesiæ Catholicæ traditur, atque probatur, si non sit omnino eadem cum illa, quam Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus accepit a Deo, non video sane, quænam tandem alia esse possit. Quapropter, ut cum Origene *Tract. 27. in Matth.* num. 34. concludam »non »debemus, nec exire a prima, et Ecclesiastica Traditione, nec aliter »credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradide»runt nobis."

Dices. Argumentum, quod petitur a communi consensione Ecclesiæ Catholicæ quandoque est incertum: ergo. Prob. ant. Primo Agrippinus una cum Patribus in Synodo congregatis, deinde Cyprianus ejus auctoritate permotus, simulque etiam plures Patres, qui semel, atque iterum ob hanc rem cum Cypriano in unum convenerunt; Firmilianus quoque Episcopus Cæsareæ, itemque Patres duorum Conciliorum Iconiensis, et Synnadensis, quæ in Phrygia provincia Asiæ celebrata fuerunt, baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos, innixi non minus traditioni, quam consuetudini Ecclesiæ docuere (a): contra Stephanus Pontifex statuit, ut hac in re servaretur, quod traditum erat, ac propterea venientibus a quacumque hæresi in pœnitentiam manus imponerentur (b). Hoc sane in negotio nullum certum judicium haberi potest ex consensione Ecclesiæ Catholicæ, quia illa in se divisa fuit, et utraque pars ipsam Traditionem in sui favorem traxit: ergo.

R. Illud quidem negari a nemine posse, S. Cyprianum acriter defendisse baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos, atque propugnasse, suam sententiam non esse *novam*, sed *jam pridem ab antecessoribus statutam* (c), *religiosam*, et *legitimam*, et *salutarem*, *fidei*, *et Ecclesiæ congruentem* (d) contra oppositam vocavit *humanam traditionem*, quæ divini dispositioni adversaretur (e) Tamen quamvis Cyprianus hujus sententiæ esset; licet plures Episcopi in Synodo simul uniti eidem assentirentur; etsi Firmilianus Episcopus Cæsareæ, et duo Concilia Iconiense, et Synnadense in Phrygia celebrata idem, ac Cyprianus, docerent, universa tamen Ecclesia semper sequuta est sententiam S. Stephani summi Pontificis juxta Traditionem Patrum ita definientis (f): »Si quis ergo »a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod tradi-

(a) Inter alias epistolas, quæ recensentur in opere S. Cypriani legatur epist. 70. 71. 74. et 75., ac *Commonit.* Vincentii Lyrin. cap. 9.
(b) Legatur epist. 74. S. Cypr.
(c) In epist. Synodica apud S. Cyprianum 70.
(d) *Epist.* 71.
(e) *Epist.* 74.
(f) *Apud S. Cypria. epist.* 74.

»tum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam.“ Qua de causa S. Augustinus lib. 3. *Cont. Donatistas* num. 2. et seq. lib. 4. num. 30. hoc idem semper adstruxit, hoc est, hæreticos rebaptizandos non esse, semel ac, prout oportet, ratio Traditionis habeatur.

Et re quidem vera communem Traditionem, cui Stephanus innitebatur, ob Cypriani, et cum eo sentientium auctoritatem nihil detrimenti accepisse, adeo certum est, ut S. Augustini ætate, sicuti tradit S Doctor lib. 1. *De Baptismo cont. Donatistas* num. 27., *universa Ecclesia a sacrilegio schismatis remota* teneret, baptizatos ab hæreticis iterum non esse baptizandos. Lib. autem 2. *De Baptis. cont. Donatist.* num. 14. ostendit ex his, quæ habet Cyprianus in Epistola ad Jubajanum, Africanæ quoque Ecclesiæ fuisse consuetudinem, non rebaptizare eos, qui ab hæreticis baptizati erant, dum ad Catholicam Ecclesiam accederent. In eodem libro num. 12. dicit, se credere, eamdem consuetudinem profectam esse ex Traditione Apostolica, illamque *per Agrippinum corrumpi cœpisse.* Etiam S. Hieronymus in *Dialogo cont. Luciferianos* num. 26. ad antiquam hac de re Ecclesiæ consuetudinem contra Hilarium Diaconum Luciferianum appellat, quam confirmat tum exemplo ejusdem Hilarii, qui baptizatus fuerat in Ecclesia, in qua ab hæreticis baptismus conferebatur, atque baptizatos a Manichæis ipse receperat, tum etiam Cypriani auctoritate. Communis ergo universæ Ecclesiæ Traditio semper fuit, ut hæretici Catholicæ communioni adscribi volentes non rebaptizarentur, semel ac verum in hæresi baptisma suscepissent. Quare mirandum non est, si nulla auctoritas prævalere contra eam potuit, utpote communi universæ Ecclesiæ consensione constitutam. Nam uti habet Vincentius Lyrinensis in suo *Commonitorio* cap. 3., tunc tenemus, quod omnes crediderunt, *si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum, pariter et magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.* Semper ergo magis magisque constat, et certum omnino esse, et nonnisi ex Traditione proficisci potuisse, quod ex consensione universæ Ecclesiæ uti dogma fidei credendum proponitur.

Prop. IV. Romana Ecclesia est certissima regula, qua cognoscitur, quod habemus divinitus traditum, indeque, si hac de re oriatur aliqua quæstio in aliis Ecclesiis, Romanæ judicium attendi debet.

Prob. prop S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 1. agens de divinis Traditionibus contra Hæreticos primi principii loco illud ponit, manasse ab Apostolis Traditiones Ecclesiarum Apostolicarum. Tamen ut cognosceret, Ecclesias Apostolicas in unam sententiam conspirasse, sibi necessarium esse, non duxit, expendere sententias singularum Ecclesiarum, sed viam expeditiorem sequutus, ut omnes hæreticos confunderet, satis habuit consulere unius Ecclesiæ Romanæ Traditionem continua successione Episcoporum conservatam. »Sed quoniam valde longum est (inquit num. 2.) »in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare »successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Petro et Paulo Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet, ab Apostolis Traditionem, et annuntiatam

»hominibus fidem, per succesionem Episcoporum pervenientem usque »ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui. . . præter quam opor»tet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalita»tem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt »undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata »est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio." Hic plura animaverti debent: 1. tempore S. Irenæi Romanam Ecclesiam habitam fuisse maximam omnium, non quidem ob numerum Fidelium, de quo aliæ Ecclesiæ cum ea contendere sane potuissent, sed amplitudine auctoritatis: 2. dici eam ob potiorem principalitatem præcellere ceteris, non quidem antiquitate, quum ante illam Hierosolymitana, et Antiochena ab Apostolis fundatæ essent, sed dignitate, et auctoritate: 3. omnes propterea ad eam, qui sunt undique Fideles, convenire debere, non ita quidem, ut ad illam se conferant: nihil namque absurdius dici potest; sed quia cum ea, ut prima omnium, uniri oportet in una fide cunctos Fideles. Hujus autem supremæ auctoritatis, quæ est in Romana Ecclesia super alias, exemplum affert S. Irenæus in eodem lib. et cap. num. 3. inquiens: »sub »igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent »fratres, facta, scripsit, quæ est Romæ, Ecclesia potentissimas litteras »Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et an»nuntians, quam ab Apostolis acceperat, Traditionem." Tertullianus *de Præscrip.* cap. 3. facta commemoratione aliarum Ecclesiarum Apostolicarum, inquit. »Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis »quoque (Afris scilicet) auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, »cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt." Et S. Cyprianus epist. 55. »navigare audent ad Petri cathedram, et ad Ecclesiam »principalem unde unitas Sacerdotalis exorta est." S. Optati Milevitani eadem sententia fuit: »Igitur negare non potes (ita lib. 2. *De Schismate »Donatistarum*) scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episco»palem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Pe»trus, unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab »omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defende»rent, ut jam schismaticus, et peccator esset, qui contra singularem »cathedram alteram collocaret." Hinc etiam S. Augustinus epist. 43. num. 7., alias epist. 162., tradidit, in Romana Ecclesia *Apostolicæ cathedræ viguisse Principatum.* Hanc veritatem, ut alia loca Patrum omittamus, etiam Grotius (nam quandoque veritas a cujusvis ore sui confessionem extorquet) in *Rivetiani Apologetici Discussione* fatetur, in qua ita habet: »Consensus autem istius (Traditionis) qui in Veterum scri»ptis, maximeque in Conciliis universalibus apparet, custodes quidem »sunt Episcopi omnes, sed auctoritatis ad veritatem, unitatemque reti»nendam præcipue Episcopus Romanus, quem Ecclesiæ aliæ ad vitanda »ex rebus dubiis schismata consulere, ex quo Apostoli in terris vivere »desierunt, sunt solitæ. Et hinc est, quod Ecclesia Romana ab anti»quis dicitur aliarum Ecclesiarum magistra. Hanc viam init Hieronymus in quæstione de Hypostasibus: hanc Afri Episcopi in quæstio-

»ne de gratia: hanc alii viri ingenio, eruditione, pietate præstantes.» Ex his autem omnibus omnino constare unicuique posse, arbitramur, de veritate nostræ propositionis.

Si Tamburinus hujus regulæ, prout oportebat, rationem habuisset, in eos tam multiplices errores non incidisset, quos nunc breviter commemorabimus, sicut etiam sibi non contradixisset in constituendis notis ipsius traditionis. Nunc omitto, quæ hac de re leguntur in *Analysi* lib. Tertulliani de *Præscript.*, cujus auctorem fuisse Tamburinum, vulgo præfertur: ea enim solide, pleneque confutavit Eminentissimus Auctor suorum multiplicitate clarissimorum operum celeberrimus (a). In iis igitur tantum sistemus, quæ tradit Tamburinus vol. 2. *de Verbo Scripto, et Tradito* Dissert. 2. *de Divinæ Tradit. Deposito.* Affirmat ille cit. dissert. cap. 3. §. 25. quod »instant non raro in Ecclesia nubilosa tempora, »obscuratur aliqua veritas, et quæ hactenus fuerat in pacifica possesione, »turbatur, et in discrimen adducitur.» Deinde superaddit. »confugien»dum esse ad feliciora tempora, ad serenos dies, qui ante exortam tem»pestatem splenduerant.» Hanc obscuritatem ponit *in rebus fidei, et morum* (b), atque affirmat *posse contingere, ut veritas fidei inveniatur in paucis* (c): in paucis, inquam, qui sunt membra Catholicæ Ecclesiæ, quum ipse loquatur de ea controversia fidei, et morum, quæ fervet in Ecclesia Catholica inter ipsos Catholicos. Tandem, ut alia omittam, fieri posse tradit, ut *nullibi* inveniatur, *quasi centrum unionis*, in quo quis *conquiescere* possit (d).

Verum semel posito canone auctoritate Patrum a nobis constituto, confictæ obscuritati Ecclesiæ nullus locus remanet, atque respectu controversiarum fidei omnia tempora sunt æque felicia, dies æque sereni: fides non invenitur in paucis, sed in illa prope infinita multiplicitate fidelium, qui Supremo Capiti Ecclesiæ adhærent, tum unitate fidei, tum vinculo communionis: demum habetur centrum unionis, in quo unusquisque possit, immo vero debeat, conquiescere.

Nunc pauca contra Tamburini errores, quos ex aliqua tantum parte recensuimus. Qua ratione ipse faciat Ecclesiam quadam obscuritate involutam tempore controversiarum, unusquisque non solum divinare, sed certo potest conjicere, si advertat, ipsum posuisse, posse contingere, ut veritas fidei adinveniatur in paucis. At vero Apostolum I. *ad Timot.* 3. 15. de Ecclesia tantum sui temporis, non vero omnium temporum dixisse, columnam esse, et fundamentum veritatis, in mentem Tamburin, cadere non posse, arbitror. Tempore igitur persequutionum Ecclesia agitur quidem fluctibus, tamen non mergitur, tempore autem hæresum

(a) *Confutazione dei due libelli diretti contro il Breve: Super Soliditate* vol. 1. pag. 155., edizione dell' anno 1789.
(b) *Cit. dissert. cap.* 3. §. 31.
(c) *Ejusdem cap.* §. 30.
(d) *Cit. cap.* §. 28.

sicut ait S. Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 126. num 8. internis dissidiis *quatitur*, tamen in illa semper lucet veritas.

Quæro deinde a Tamburino, in quibusnam paucis fieri possit, ut inveniatur veritas fidei (ipse enim loquitur de paucis, aliorum Catholicorum habita ratione): an fortasse in iis paucis, qui nunc etiam definitionibus Ecclesiæ sese subjicere detrectant, ac universam disciplinam Ecclesiæ pervertunt? Isti enim præ ceteris nomine, et re catholicis sunt numero pauci. Apage itaque hujusmodi catholicos.

Ecclesia autem diffusa ubique gentium neque usquemodo perseverare potuisset, neque in posterum perseverare posset, semel ac in ea non ponatur centrum unionis, in quo unusquisque conquiescat. Res hæc est omnino perspicua in se, et semper magis adhue conspicua fiet, si ad Ecclesiæ universitatem attendatur. Unde Tamburinus id ab Ecclesia tolli posse dicit, sine quo Ecclesia non potest consistere. Hæc usque modo, ut non videamur, res gravissimas omnino præterire voluisse. Nunc de contradictione, in qua Tamburinus versatur, dum constituit notas traditionis.

Tertio loco ipse habet pro nota traditionis unitatem, et uniformitatem: quarto loco constantiam, et perennitatem (a). Traditionem, quæ est omnium *consensione patens*; uniformem: quæ *ubique*, *semperque conspicua*; perennem esse dicit (b). Profecto traditionis unitas, et uniformitas, quæ est omnium consensione patens, postulat, ut traditio semper una, eademque perseveret, omnibusque pateat: sed juxta Tamburinum traditio non una, atque eadem perseverat, neque est omnium consensione patens: ergo Tamburinus sibi ipsi contradicit. Prob. min. Si una, atque eadem semper perseveraret, et esset omnium consensione patens, etiam tempore controversiæ talis permaneret, neque tunc Ecclesia aliqua obscuritate operiretur, et necesse non foret, ut ascenderemus ad superiora tempora, quæ controversiam præiverunt: sed hoc est faciendum juxta Tamburinum propter obscuritatem, qua Ecclesia involvitur tempore controversiæ: ergo Tamburinus, in hac constituenda sua nota traditionis, sibi contradicit, et traditionem facit simul uniformem, et non uniformem, omnium consensione patentem, et non patentem.

Facit etiam simul perennem, et non perennem: nam requiritur ad perennitatem traditionis, ut ea sit *ubique*, *semperque conspicua*: sed hoc non habet juxta Tamburinum traditio tempore controversiæ, quia tunc Ecclesia quadam obscuritate involvitur, ideoque tempora controversiæ non debent attendi, sed ascendendum ad illa, quæ quæstioni præiverunt. Igitur Tamburinus facit traditionem simul perennem, et non perennem.

Cit. Dissert. cap. 3. §. 30. hanc refert difficultatem sibi propositam, eamque solvere aggreditur: »si ponamus (ait) id, quod traditum dici»tur, aliquando ita obscurari, ut ea traditio desinat esse uniformis, jam

(a) *Cit. Dissert. cap.* 2. §. 21.
(b) *Cap.* 3. §. 30.

»tum amittit necessariam divinæ traditionis notam. Ergo uniformitas, at»que perennitas vel non sunt essentiales divinæ traditionis notæ vel si»mul esse non possunt, aut ubi simul exigantur, locus in Ecclesia esse »nequit in rebus fidei, aut morum obscuritati quæstionis." Quid ad hæc Tamburinus in defensionem sui? Ait §. 31., eos, qui talia opponunt, res simul, et tempora confundere, et purum paralogismum instituere. Quare? Quia, ipse superaddit, singulæ quidem recensitæ notæ ad discernendam traditionem requiruntur, »at una nota non est alteri inse»renda ... Sic traditio, ut diximus, debet esse uniformis, simulque »perennis." Sed quum dico, eam esse perennem, non innuo *perennitatem uniformitatis*. Tunc enim verissimum esset, non posse in Ecclesia ullam controversiam oriri, vel obscuritatem in rebus fidei, et morum.

At Tamburinus, ut tueretur cum suis confictam obscuritatem, conatur eludere difficultatem, quam solvere non poterat, idque voluisse suum adversarium, contendit, quod ne in illius quidem mentem cadere potest, qui prima principia logicæ solummodo delibaverit. Attributa enim prædicari de subjecto, immo plura attributa de uno subjecto prædicari posse, et revera prædicari; item quando plura attributa de uno subjecto simul prædicantur, ea de se invicem non prædicari, etiam tyrones philosophiæ noverunt, atque certa res est apud omnes. Unde uniformitas, et perennitas sunt quidem duo attributa, quæ prædicantur de traditionibus, attamen neque uniformitas de perennitate, neque perennitas de uniformitate prædicatur. Traditio igitur debet esse uniformis, hoc est, sicut tradit Tamburinus, *omnium consonsione patens*, *simulque perennis*, sicut ipse affirmat, hoc est, *ubique*, *semperque conspicua*. Eo vel maxime quia Tamburinus tam uniformitatem, quam perennitatem non habet loco cujusdam simplicis prædicati, sed certæ cujusdam notæ ipsius traditionis: item eo vel maxime quia, nulla facta exceptione temporum, simpliciter affirmat, utramque simul esse notam traditionis.

Traditio igitur, ut omnis ambiguitas hac quoque de re e medio tollatur, debet esse uniformis, attamen non simpliciter *omnium consensione patens*, sed et uniformis, et omnium consensione patens, illorum tantum habita ratione, qui unitate fidei, et vinculo communionis conjuncti sunt cum Ecclesia Romana, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles: item esse debet perennis, at non simpliciter quia *ubique*, *semperque conspicua*, sed quia et perennis, et semper conspicua in cunctis Ecclesiis unitis in fide, et communione cum Romana, in qua conservata est ea, semperque conservabitur, quæ est ab Apostolis traditio.

Verum de his usque modo contra Tamburinum. In multis sane doctrinæ capitibus, de quibus sumus disputari, plures errores dispersi in operibus illius detegendi, atque refellendi essent. Verum, ipsa ratio institutionum Theologicarum eo vel maxime non patitur, quia hic Theologus et multa simul diversæ doctrinæ capita in unum sæpe congerit, atque in sua dicendi ratione, licet in ea quædam simplicitas primo aspectu præseferri videatur habet plura, quæ ambigua sunt. Inde est, ut

paucis, sicuti ratio institutionum Theologicarum postularet, confutari non possit.

Prop. V. Semel ac dubitatur, utrum aliquid sit divinitus traditum, et quia de eo nihil definitum habemus, et quia non una, et eadem apud diversas Ecclesias est fides; id tenere, aut servare debemus, quod a pluribus Ecclesiis, atque majoris auctoritatis tenetur, et servatur.

Prob. prop. auctoritate D. Augustini, qui hanc regulam quoad libros Canonicos servandam tradidit suo tempore, quo nondum, sicuti modo est, de singulorum inspiratione Divina definitum erat. »In Canonicis scripturis (inquit lib. 2. *De Doctrina* num 12.) Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur: inter quas sane illæ »sunt, quæ Apostolicas Sedes, et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit »igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus »accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, »quas plures, gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque »auctoritatis Ecclesiæ tenent." Hoc ergo quam maxime condecet, ut sequamur etiam in aliis, de quibus dubitatur, utrum sint divinitus tradita.

CAPUT QUARTUM.

De Auctoritate Divinarum Traditionum.

Qualis quantaque sit auctoritas Divinarum Traditionum, in hoc capite explicandum aggredimur, ut inde semper magis magisque perspectum esse possit, æque firmum ex Sacris Traditionibus, ac verbo divino scripto, sumi argumentum ad comprobanda dogmata fidei.

Prop. I. Si Divinæ Traditiones considerentur, quatenus sunt quoddam factum, quam maximam auctoritatem habent.

Prob. prop. Quod Apostoli suis successoribus voce tantum tradiderint nonnulla spectantia ad fidem, eaque voluerint, ut communicarentur Ecclesiis, facti rationem in se continet. Semel ac autem agatur de aliquo facto, quod subesse non potest sensibus nostris, quia longo ante tempore illud contigit, morali evidentia contenti esse debemus. Hæc vero est in eo posita, ut semel ac sit innixa testimoniis, quibus nullo modo fides denegari possit, licet non ostendat rem aliquam fieri debuisse, tamen revera factam esse demonstrat. Hinc est: ut quæ morali evidentia constant, æque certa sint, ac alia, quæ sui physicam demonstrationem habent: et si evidentiæ morali non præbeatur assensus, manifesta perturbatio totius ordinis rerum consequutura sit. Esse ergo aliquid revelatum divinitus, quod non sit scriptum in Sacris litteris, sed sola ad nos Traditione pervenerit, omnem moralem certitudinem in se habere, contendimus. Illud dogma Apostolicæ Traditioni acceptum referri debet, quod licet non contentum in Sacris litteris, Patres ab initio secundum successionem suorum temporum concordissime tenuerunt, atque uti dogma fidei habuere: est itidem dogma fidei ab ipsa Traditione profectum, quod

Sancti Patres in expositione Divinarum Scripturarum unanimi consensione, sicuti ad fidem spectans, tradidere: demum ea quoque dogmata a Traditione manant, quæ licet non contineantur in Sacris litteris, tamen credenda proponuntur ab unanimi consensione Ecclesiæ Catholicæ (a). Profecto si maxima cum veneratione non suscipiatur auctoritas tantorum virorum in unum semper omni ætate, et quidem de re gravissima, atque maxima, consentientium, non video sane, quænam tandem alia suscipi debeant. Agitur enim de fide illorum, quos, præter admirabilem peritiam rerum divinarum, etiam vitæ pietas singularis commendat, et Christus, post Prophetas, Apostolos, et Evangelistas, Pastores, atque Doctores dedit suæ Ecclesiæ »ad consummationem Sanctorum, in opus mi»nisterii, in ædificationem Corporis Christi.... ut jam non simus parvuli »fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia homi»num, in astutia ad circumventionem erroris" sicuti inquit Apostolus *Ephes.* cap. 4. v. 12. et seqq. Et re quidem vera si attendamus eos, quamvis et diversitate locorum inter se discretos, et varietate temporum divisos, atque, in aliis pluribus differentes, semper in dogmatibus fidei consensisse, et rem unam tenuisse, dicendum sane est, ob hanc sententiæ unitatem, et concordiam ab uno Supremo Pastore eos omnes magisterium Ecclesiæ accepisse. Hæc igitur consensio Patrum tantam certitudinem in mente uniuscujusque ingenerare debet, ut ad alicujus facti moralem certitudinem nihil amplius desiderari possit.

Eadem autem certitudo in eo quoque testimonio inest, quod ex Ecclesiæ Catholicæ unanimi consensione petitur. Nam nullum eo gravius, atque certius ab hominibus expectari potest, quum in se fidem contineat Præsulum totius Ecclesiæ, doctorum, sanctissimorumque virorum, ac prope infinitorum hominum omnium temporum, et nationum, ex quibus nonnulli exilio, alii exspoliatione bonorum, quidam longa tolerantia cruciatuum, atque etiam effusione sui sanguinis confirmarunt, quod uti sibi divinitus datum receperunt, nobisque tradiderunt. Si igitur consideremus Traditiones, quatenus sunt quoddam factum, tantam auctoritatem habent, quantam maximam habere possunt.

Dices. Si traditionibus innesset tanta auctoritas, quantam nos volumus, frustra a primis usque temporibus Ecclesiæ judicio tot hæreses proscriptæ fuissent: ergo. Prob. ant. Ipsa sola Traditione refutari possunt errores hæreticorum: ergo.

R. dist. ant., et si interveniat judicium Ecclesiæ, constat evidenter de hac refutatione, conc. si non interveniat, constat æque evidenter, neg. Ecclesia in suis judiciis vel de fide, vel de moribus, duo tantum principia habet, quæ sequatur, hoc est, verbum divinum scriptum, et non scriptum, seu traditum. Unde judicia Ecclesiæ a Traditionibus suam auctoritatem habent, non vero Traditiones a judiciis Ecclesiæ, nullaque ab istis succrescit illis nova auctoritas, sed solum, semel ac Ecclesiæ judicium interveniat, certius, firmiusque constat de oppositione hujus er-

(a) *Hæc constant ex præced. cap.*

roris, vel alterius cum ipsis Traditionibus. Tunc enim defensores errorum non solum auctoritatem Traditionis contra se habent, sed etiam Ecclesiæ, indeque fit, ut inanibus, falsisque interpretationibus se amplius subtrahere non possint a testimonio Traditionum, quemadmodum semper conari consueverunt. Illud quoque accedit, propter judicium Ecclesiæ errorem magis compertum fieri omnibus, ut singuli ab eo facilius sibi cavere possint. Quamvis ergo auctoritas Traditionum summa, et præcellentissima sit; tamen etiam Ecclesiæ judicium suam maximam utilitatem habet.

Prop. II. Unanimis est omnium sententia Patrum, voce tantum Ecclesiæ tradita fuisse aliqua inspirata divinitus, quæ ad fidem æque spectarent, ac cetera omnia, quæ leguntur in Sacris litteris.

Prob. prop. S. Ignatius Martyr, uti refert Eusebius lib. 3. *Eccl. Hist.* cap. 36. »quum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia »ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Ec»clesias.... hortatus est, ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhære»rent: quas quidem ad certioris posteritatis notitiam testimonio suo con»firmatas scriptis mandare necessarium duxit." S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. pluribus ostendit, esse in Ecclesia Apostolicas Traditiones, quibus regatur fides illius. Ea nos summatim attingemus. Affirmat ergo primo *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam* in omni Ecclesia perspici posse, quia Apostoli *recondita mysteria, quæ seorsim, et latenter a reliquis perfectos docebant, iis vel maxime traderent, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant.* 2. *eam, quæ est ab Apostolis, Traditionem per successiones Episcoporum* usque ad sua tempora pervenisse docet: 3. tradit S. Clementem, qui *adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, et Traditionem ante oculos* habebat, occasione dissensionis non modicæ, quæ orta erat inter Corinthios, scripsisse ad eos *litteras potentissimas*, quibus consuluit fidei illorum, atque annuntiavit iisdem *quam in recenti ab Apostolis acceperat Traditionem.* 4. facta mentione duodecim Romanorum Pontificum, qui sibi successerant, dicit, quod *hac ordinatione, et successione ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia Traditio, et veritatis præconizatio pervenit* usque ad se. 5. ad Polycarpum descendens, quem ab Apostolis edoctum tradit, et usum consuetudine illorum, qui Christum viderant, semper ea docuisse affirmat, atque Ecclesiæ tradidisse, quæ ab Apostolis didicerat. Tandem statuit, etiam Ecclesiam Ephesinam a Paulo erectam esse testem *Apostolorum* Traditionis. Loqui S. Irenæum de Traditionibus non scriptis tam manifestum est, quam quod maxime. Traditiones enim, de quibus loquitur, reponit in quibusdam mysteriis reconditis, quæ Apostoli docebant suos successores seorsim a reliquis, indeque successione Episcoporum factum fuit, sicuti Irenæus affirmat, ut Traditiones Apostolorum ad nos pervenirent. Deinde post ea, quæ commemoravimus, et nonnulla alia, ita habet: »quid autem si ne Apostoli quidem Scripturas reliquissent »nobis, nonne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt »iis, quibus committebant Ecclesias?" Tandem illud præ omnium oculis

ponit, multas barbaras gentes absque Scripturis consequi salutem Traditioni inhærentes. Hæc autem omnia ad Traditiones non scriptas referenda esse, nemo non videt.

Quæ autem Irenæi, eadem et aliorum quoque Patrum hac nostra de re doctrina fuit. Nonullos tantum commemorabimus. S. Clemens Alex. lib. 7. *Stromatum* num. 17. unam fuisse affirmat sicuti doctrinam, ita etiam Traditionem Apostolorum, et num. 18. sanctas Traditiones se occultare velle dicit iis, qui non sunt initiati sacris mysteriis. Origenes in *Præfat.* librorum *De Principiis* num. 2. »servatur vero (inquit) Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, »et usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica, et Apostolica discordat Traditione." S. Cyprianus epist. 63. tum *Evangelicæ veritatis* tum *Dominicæ Traditionis* rationem habendam asseverat, et ex hac aquam cum vino *in calice offerendo* miscendam esse colligit. S. Basilius in lib. *De Spiritu Sanct.* cap. 10. num. 25. ita eos depingit, qui Traditiones rejiciunt: »iste scopus communis est omnibus adversariis, et sanæ doctrinæ inimicis, ut soliditatem fidei in Christum concutiant, Apostolicam Tradditionem solo æquatam abolendo. Ea propter sicut solent, qui malæ fidei debitores sunt, probationes e Scriptura clamore exigunt, Patrum testimonium, quod scriptum non est, velut nullius momenti rejicientes." Pulchra sane similitudo! S. Gregorius Nyss. *Orat.* 3. *cont. Eunomium* dicit sibi sufficere ad confirmationem sui sermonis *a Patribus venientem ad nos Traditionem.* S. Epiphanius *Hæresi* 75. num. 8. asserit, Deum nos docuisse *partim scripto*, *partim sine scripto.* S. Hieronymus in *Dialogo Cont. Luciferianos* num. 8., ait, *quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur*, *auctoritatem sibi scriptæ legis* vindicasse. S. Augustinus lib. 4. *De Baptismo Cont. Donatist.* num. 30. ex universa Traditione Ecclesiæ, sicuti ex principio certissimo, probat, Sacramentum baptismatis prodesse parvulis ad salutem, etsi non sit in illis hujus sacramenti suscipiendi voluntas. Etiam contra Pelagianos Traditione usus fuit Augustinus lib. 2. *Cont. Julianum* num. 37. Hæc autem omnia sufficiunt ad ostendendum, Patres unanimi consensione semper tenuisse, aliqua inspirata divinitus voce tantum Ecclesiæ tradita fuisse, quæ æque spectarent ad fidem illius, ac cetera omnia, quæ habemus in Sacris litteris.

Dices. I. S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 1. num. 1. affirmat, Evangelium primo prædicatum fuisse, *postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis traditum*, *fundamentum*, *et columnam fidei nostræ futurum.* Ex quibus ita: Apostoli in sua prædicatione omnia necessaria ad salutem promulgaverunt: ergo si quæ primo promulgaverunt, deinde scriptis tradidere, oportet omnia necessaria ad salutem scripta fuisse.

R. dist. cons. si quæ primo promulgavere, deinde omnia scriptis tradiderunt, conc., si non omnia scriptis tradiderunt, neg. Id unum vult Irenæus, Evangelium primo fuisse prædicatum ab Apostolis, deinde litteris traditum. Verum præter ea omnia, quæ in Evangelio scripto

nunc quoque continentur, multa alia Apostoli voce tradiderunt iis, *quibus Ecclesias committebant*, sicuti inquit idem Irenæus lib. 3. cap. 4. num. 1. Unde postquam in eodem lib. cap. 1. tradidit, Evangelium primo voce promulgatum fuisse, deinde scriptum, cap. 2. illud exprobrat hæreticis, quod neque Scripturis, neque Traditionibus acquiescerent. »Quum autem (inquit num. 2.) ad eam iterum Traditionem, quæ »est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis cu»stoditur, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes se non so»lum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes Sapientiores, sinceram »invenisse veritatem." Hic sane Traditio cum Scriptura ab Irenæo comparatur, et ab ipso æque redarguuntur hæretici, tam quia Scripturæ, quam quia Traditioni non acquiescerent.

Dices. II. Fuit universim sententia Patrum, Sacram Scripturam ad ea sufficere, quæ fidem, moresque respiciunt: ergo. Prob. ant. Tertullianus in lib. *Advers. Hermog.* cap. 22. hæc habet: »Adoro Scripturæ »plenitudinem, quæ mihi et factorem manifestat, et facta. An autem »de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi»Scriptum esse doceat Hermogenis officina." Et in lib. *De Carne Christi* Marcionem ita alloquitur: *non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers.* Dicendum ergo est, Tertullianum fuisse unum eorum, qui putarunt &c.

R. ad primum locum Tertulliani cum distinctione: et Tertullianus adorat Scripturæ plenitudinem respectu ejus, de quo agebat contra Hermogenem, conc., respectu illorum omnium, quæ spectant ad fidem, aut mores, neg.: Materiam esse creatam, non vero coæternam, contra ac contendebat Hermogenes, Tertulliano omnino perspectum revera erat ex Sacris litteris, indeque etiam earum adorare plenitudinem, atque Hermogeni opponere poterat. Quandoquidem, licet alia multa non superessent, ex hoc solo testimonio: Genes. 1. 1. *in principio creavit Deus cœlum et terram* error Hermogenis aperte refutabatur. Sicuti ergo omnia tradita esse in Sacris litteris inde colligi nullo modo potest, quia aliqua in iis tradita habeamus; ita etiam nemo dixerit, Tertullianum censuisse, in Sacris litteris omnia contineri, quia quoad rem istam, aut alteram, illarum plenitudinem sese adorare, professus fuit. Non solum autem Tertulliani, sed etiam aliorum Patrum hac de re idem loquendi modus eadem ratione facile explicatur.

In lib. *de Carne Christi*, cap. 2. Tertullianus contra Marcionem Traditiones acriter propugnavit: unde cap. 7. illis verbis in objectione citatis explosit, quod de suo Marcion inferebat, ac propterea non minus extra Scripturam, quam extra Traditionem.

C. S. Athanasius sæpius affirmavit, contineri in Sacris litteris omnia necessaria nobis: ergo. Prob. ant. In *Orat. Cont. Gent.* num. 1. *Sufficiunt* (inquit) *per se sacræ, et divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatem indicandam.* In epist. ad Serapionem num. 19. *nemo jam amplius de his percunctari audeat, sed ea tantum, quæ Scripturis continentur, discere satis habeat.* Et in lib. 1. *De Incarnat. Christi cont. Apollinar.*

num. 22. *hæc scripsi, dilecte, tametsi nihil omnino opus fuit, ut scriberem: sufficit enim per se Evangelica Traditio.* In Epist. *De Synodis Arimini, et Seleuciæ* num. 6. hæc habet de Arrianis: »frustra igi»tur circumcursantes obtendunt, se fidei causa Synodos postulasse. Est »quippe Scriptura Sacra præ ceteris omnibus satis." Canonicis libris utriusque Testamenti semel recensitis in epist. *Festali*, hæc superaddit: *Hi sunt salutis fontes, ut qui sitit, eorum eloquiis impleatur. In his solis pietatis Doctrina docetur.* Hæc vero omnia probant, S. Athanasium existimasse, contineri in Sacris litteris omnia necessaria nobis.

R. ad 1. S. Athanasium hoc loci asserere, Scripturas sufficere ad veritatem *indicandam*, non vero omnino aperiendam. Hinc ita immediate habet. »Extant quoque plurimi ea de re a beatis nostris magistris con»scripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quo»dam modo intelliget, et eam, quam expetit cognitionem consequi, po»terit. Verumtamen quum magistrorum libros in manibus nunc non ha»beamus, necesse est, quæ ab illis didicimus, tibi patefacere, et scri»bere." Hac sane ratione ad Traditiones attendendum arbitramur.

R. ad 2. Athanasium suadere velle, curiosius inquirendum non esse, quomodo Filius Divinus sit a Patre: »Itaque (inquit) quum inutilis, et »stultus sit hujusmodi conatus, nemo jam amplius de his percunctari »audeat, sed ea tantum, quæ Scripturis continentur, discere satis ha»beat. Siquidem omnino sufficiunt, quæ in hanc rem profert exempla." Multa deinde exempla in medium adducit, quibus in Sacris litteris explicatur natura Patris, et Filii. In his autem omnibus quid inesse contra auctoritatem Traditionum, frustra quispiam sibi confinxerit.

R. ad 3. S. Athanasium ultimo recte concludere, contra Apollinaristas sufficere Evangelicam Traditionem: »Neque enim (sicut ipse super»addit) vel pulchritudinem, vel gloriam corporis Christi humanus in»tellectus exprimere potest, sed quæ gesta sunt, prout scripta haben»tur, confiteri valet."

R. ad 4. Athanasium Arrianis aliam synodum petentibus illud primo objecisse, sufficere Nicænam, *quæ contra Arrianam, et alias hæreses coacta, eas omnes per sanam suam fidem condemnavit.* Deinde post verba in objectione citata ita habet: »Quod si hac de causa synodo opus »sit, extant Patrum acta: neque enim qui Niceæ convenere, hanc rem »neglexerunt: sed tam probe scripserunt, ut qui sincero animo eorum »scripta evolvant, ex iis reminisci valeant pietatis erga Christum, quæ »in Divinis prædicatur scripturis." In actis vero Patrum non solum verbum Divinum scriptum, sed etiam non scriptum habebat suum locum, Unde non mirandum, si S. Athanasius in fine epistolæ num. 54. ita moneat eos, ad quos scribit: »Vos autem manentes super fundamentum »Apostolorum, Patrumque Traditiones retinentes, orate, ut jam cesset »omnis contentio."

R. ad 5. S. Athanasium affirmare, in solis libris Sacris doceri doctrinam pietatis non per oppositionem ad Sacras Traditiones, sed ad libros apocryphos, qui obtrudebantur ab hæreticis. Nam initio hujus

epistolæ, vel potius fragmenti, quod superest ex illa, monet, quosdam conatos fuisse, *quæ dicuntur apocrypha in suum ordinem redigere, eaque miscere Scripturæ a Deo inspiratæ.* Hunc in finem ipse, ne aliquis inde falleretur, tum Veteris, tum Novi Testamenti libros Canonicos a se recensendos esse, putavit. Quo semel præstito, affirmavit, in illis solis contineri doctrinam pietatis.

C. S. Cyrillus sæpe in suis Catechesibus affirmat, in Scriptura omnia necessaria ad salutem ita contineri, ut ad nullam aliam fidei nostræ regulam attendere debeamus: ergo. Prob. ant. iis sane multis, quæ etiam Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 9. in medium protulit ad tollendam necessitatem Traditionum *Catechesi* 4. num. 17. ita habet: »Oportet enim »circa Divina, et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque Di»vinis scripturis tradi." 2. *Catechesi* 5. num. 12. »fidem vero in addis»sendo, atque profitendo, illam solam amplectere, et serva, quæ nunc »tibi ad Ecclesia traditur ex omnibus Scripturis vallata ... Non enim »ut hominibus libuit, Fidei summa composita est; sed selecta ex omni»bus Scripturis commendatiora capita unam fidei doctrinam perficiunt, »et complent." *Catechesi* 11. num. 12. »Ecquid aliud est, quod cogno»scat profunda Dei, nisi solus Spiritus Sanctus, qui Divinas Scripturas »eloquutus est? At neque ipse Spiritus Sanctus de Filii generatione ex »Patre in Scripturis est loquutus. Quid igitur operose inquiris, quæ »neque Spiritus Sanctus in Scripturis exaravit?" 4. *Catechesi* 22. num. 5. »Nisi et de Virgine, et de loco, et de tempore, et de modo didiceris ex »Divinis Scripturis, ne accipias ab homine testimonium" 5. *Catechesi* 13. num. 8. »omnia enim, quæ ad Christum pertinent, scripta sunt, nihil»que ambiguum est; nihil enim absque testimonio: omnia in columnis »propheticis inscripta sunt, non in lapideis tabulis, sed a Spiritu San»cto manifeste descripta." 6. *Catechesi* 16. num. 2. »dicamus igitur nos »de Spiritu Sancto ea tantum, quæ scripta sunt: si quid vero scriptum »non fuerit, ne curiose sciscitemur. Ipse Spiritus Sanctus eloquutus est »Scripturas." Ex his omnibus abunde constat, Cyrillum sensisse, in Scriptura contineri omnia necessaria ad salutem, atque nos attendere non debere ad aliam fidei nostræ regulam.

R. Paucis solvi hæc omnia posse, quæ Rivetus ex S. Cyrillo nobis opponit. Et quidem neque ipse Rivetus negat, vel si vellet, negare posset, S. Cyrillum agere de Symbolo, non vero de Sacramentis, aut Sacris Traditionibus, quarum nullam expressam mentionem in Symbolo habemus. Quum vero S. Cyrillus *Catechesi* 5. num. 12. statuat, in Symbolo contineri summa quædam capita ejus doctrinæ, quæ traditur in Scripturis; ideo mirandum non est, si in expositione Symboli rationem habendam esse dicit Scripturarum, in quibus Deus aperuit, quid de rebus in symbolo expositis credere debeamus, cetera vero curiosius investigari prohibuit ad animi nostri demissionem, atque subjectionem. Hoc est, quod vult potissimum S. Cyrillus in locis num. 1. 2. 3. et 6. citatis a nobis. Quando vero Cyrillus vetat, quidpiam supperaddi Scripturis; humana ratiocinia, atque sophismata solummodo excludit. Id

sane præseferunt loca ejus, quæ num. 3. 4. et 5. in medium protulimus. De re ista S. Cyrillus æquo jure, atque opportune monuit omnes: nam Valentiniani Pythagoricæ, atque Platonicæ philosophiæ principia cum Judaismi, et Christianismi seminibus admiscentes humanis ratiociniis effinxerant doctrinæ systema omnino insanum, quo illuderent imperitis.

Ceterum S. Cyrillus, non secus ac ceteri Patres, Traditiones sæpe commendavit, quemadmodum palam fecit auctor dissertationum, quæ in editione Maurina præmittuntur Cyrilli Operibus, Dissert. 3. cap. 13. num. 103. Nos hic illud unum commemorabimus, S. Cyrillum *Catechesi* 4. num. 35. docuisse, eos tantum Sacros libros recipiendos, quos in Ecclesia ex Traditione accepimus: »Eos solos (inquit) studiose meditare, »et versa, quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus. Multo pru»dentiores, et religiosiores te erant Apostoli, et veteres Episcopi Eccle»siæ rectores, qui eos tradidere."

Prop. III. De auctoritate Divinarum Traditionum etiam ex Sacris litteris compertum est.

Prob. prop. S. Paulus in I. epist. *ad Corint.* 11. 2. ita habet: *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Apostolus autem ante hanc epistolam nihil scripserat Corinthiis: illos ergo laudat, quia tenerent ea præcepta, quæ a se audiverant; itaque etiam voce, atque sermone tantum Paulus Corinthiis Divina præcepta tradiderat. At hæc Divina præcepta, promulgata tantum voce, et sermone, Sacras Traditiones nos vocamus: ergo Apostoli testimonio constat de auctoritate Sacrarum Traditionum. Hoc est, quod ex citato loco inferunt S. Basilius in lib. *De Spi. San.* cap. 9. num. 7., S. Epiphanius *Hæresi* 61. num. 6., et S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 26. num. 1. in epist. *ad Corint.*

Plura quidem eorum, quæ sola voce tradiderat, etiam scripto declarat S. Apostolus in eodem cap. 11. v. 23. et seqq.; verum non omnia: capiti enim hisce verbis finem imponit v. 34.: *cetera autem, cuum venero, disponam.* Hæc autem scripto tradita ab eo fuisse, numquam comperimus. Hinc S. Augustinus epist. 50. *ad Januarium* num. 8. alias epist. 118. ita infert: »Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola »totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem ser»vat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate va»riatur." Quod quidem Apostolus confirmat in altera epistola, quam dedit ad Thessalonicenses, dum illos ita monet 2. 14. *Itaque, fratres, state: tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Duplex genus Traditionum distinguit Apostolus, hoc est, Traditiones tum sermone, tum epistola manifestatas: utrique autem generi Traditionis, vult, ut Thessalonicenses æque inhæreant, atque, ipso sentiente, tam scriptæ, quam non scriptæ Traditiones verbum Dei æqualiter continent. »Hinc est perspicuum, (inquit S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 2. num. 2. in 2. epist. ad *Thessalon.*) »quod non omnia tradide»runt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt

»fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse »fide dignam. Est Traditio: nihil quæras amplius."

Tandem, ut alia omittam, S. Paulus Divinis Traditionibus apertissime attestatur in II. epist. *ad Timotheum*, in qua 1. 13. ita illum monet: *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi*: cap. 2. 2. *quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei, erunt et alios docere.* Quum ergo ea dicantur audiri, quæ voce, et sermone manifestantur, aliundeque Apostolus Timotheum moneat, ut non solum firmiter inhæreat iis, quæ a se audivit, sed etiam ut illa commendet hominibus fidelibus, qui sint idonei docere alios; evidenti argumento id esse debet, plura, quæ ad fidem pertinerent, sola voce a S. Apostolo tradita fuisse, voluisseque, ut illa aliis subinde in Ecclesia communicarentur, atque ita fieret, ut in cognitionem fidelium venirent.

Dices. Ex Sacris litteris duo manifeste colliguntur, quæ faciunt contra Traditiones: 1. Scripturam per se sufficere ad salutem: 2. ei adversari Traditiones. Illud prius hæc testimonia suadent: *Deuteron.* 4. 2. *non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* In epist. *ad Galatas* 1. 9.: *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* In epist. II. *ad Timoth.* 3. 15. et seq. »Ab infantia Sacras »litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est »in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docen»dum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia."

Alterum evincitur his duobus, ut cetera omittamus: *Matt.* 15. 6. et 9. »Irritum fecistis mandatum propter traditionem vestram.... sine »causa autem colunt me docentes doctrinam, et mandata hominum." *Ad Colossens.* 2. 8. »Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et ina»nem fallaciam secundum traditionem hominum."

R. Ad hæc omnia paucis, quoniam longiori explicatione non egent. Præcepit itaque Deus *Deuteron.* cap. 4. ne suo verbo quidpiam adderent, vel ab eo subtraherent, hoc est, ne aliter facerent, ac ipse præceperat, aut eorum, quæ præceperat, quædam omitterent. Est autem æque verbum Dei, quemadmodum pluribus jam ostendimus, tam scriptum, quam non scriptum, seu traditum: igitur et huic quoque verbo Deus monet, ne quidquam addamus, vel ab eo subtrahamus. Sicuti ergo Divino verbo Deuteronomii supperadditum fuit verbum Prophetarum; ita etiam Divino verbo scripto verbum Divinum non scriptum.

Miror (inquiebat Paulus *ad Galat.* 1. 6. et seq.) »quod sic tam ci»to transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud »Evangelium. Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos contur»bant, et volunt convertere Evangelium Christi." Ab his ergo ut sibi caveant, monet Galatas, atque dicit anathema omnibus, qui aliter, ac ipse, evangelizarent.

Eæ vero Sacræ litteræ, quas Timotheus ab infantia didicerat, sunt profecto Testamenti Veteris, non Novi: dum enim Timotheus esset ad-

huc infans, istæ nondum scriptæ esse poterant: igitur si intelligamus verba Pauli, prout vellent, qui Traditionibus adversantur, inde consequeretur, superflua, aut saltem inutilia esse ea omnia, quæ complectuntur libri nobi Testamenti. Quidquam ne absurdius fingi potest? Quodcumque autem Divinum verbum sive Veteris, sive Novi Testamenti illud sit, utile est ad ea munera, quæ commemorat Apostolus, utile quoque est ad perficiendum hominem Dei: verum anne inde consequitur, eamdem utilitatem innesse non posse etiam in eo verbo, quod licet scriptum non sit, tamen est æque Divinum, ac verbum scriptum tum Veteris, tum Novi Testamenti?

Matthæi 15. 6. est sermo de Pharisaicis traditionibus, non vero de Mossäicis, et Propheticis, hoc est, Divinis. Rem manifestam loquimur, quæ probatione non eget: nam hujus capitis initio legimus, Scribas, et Pharisæos apud Christum acusasse discipulos illius, quod traditiones seniorum transgrederentur, et manus non abluerent, antequam panem manducarent. Quo audito, Christus inquit: *quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram*, iterumque postea illos de eadem re accusat, carpit uti hypocritas, atque Isaiam de eis recte prophetasse affirmat, dum dixit: 29. 13. *populus hic labiis me honorat, eor autem eorum longe est a me.*

Apostolus postquam adhortatus fuit Colossenses, ut ambularent in Christo, quem jam acceperant, eosdem monet, ut sibi caveant a philosophia, et inani fallacia secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Inde vero, quum jam, sicuti ipse inquit, sint repleti in Christo, *qui est caput omnis principatus, et potestatis*, pergit monere eos, ne amplius legalia præcepta servent. Traditiones autem, quas propugnamus, neque quid continent secundum philosophiam, et inanem fallaciam, neque legalia præcepta suadent, quemadmodum etiam Protestantes negare non possunt.

CAPUT QUINTUM.

De necessitate Traditionum Divinarum.

Si religioni res aliqua necessaria sit; hanc illi non deesse sentiendum est, semel ac id religioni deesse non putemus, quod ad eam requiritur. Ut ergo semper magis, atque magis unicuique constare possit de veritate Divinarum Traditionum de earum necessitate, Religionis habita ratione, agere instituimus.

Prop. Sine Traditionibus sufficienter provisum non esset iis contentionibus, quæ in Ecclesia facile occurrere possunt, et revera sæpe occurrerunt, sicuti etiam vel semper, vel saltem maxima ex parte incerta esset regulo illa fidei, quæ petitur ex Sacris litteris.

Prob. prior pars. Futurum aliquando, ut nonnulli falsis traditionibus alios decipere conarentur, S. Paulus præmonuit tum in epist. *ad Colossens.* 2. 8., tum in I. *ad Timoth.* 4. 1. S. Petrus in altera sua epistola totus est in monendo Fideles, ut a falsis doctrinis sibi cabeant. Quod

autem isti Sancti Apostoli futurum præviderunt, omni nos ætate contigisse videmus. Huic ergo malo ut occurrere possimus, ab ipsa Traditione habemus. Quandoquidem semel ac aliquod dogma fidei Patres ab initio secundum successionem suorum temporum summa consensione tenuerint, ejusque contrarium, uti hæreticum, refutarint, quod tamen non habeatur ex Sacris litteris; illud nimirum Ecclesia ab Apostolica Traditione habet (a). Item quod ex consensione Ecclesiæ Catholicæ uti dogma fidei credendum proponitur, ex Sacra Traditione profectum esse, dici debet, semel ac illud nec in Sacris litteris traditum, neque Conciliis institutum, sed semper retentum sit (b). Quare si quidpiam uti fide divina recipiendum proponatur, quamvis illud in Sacris litteris expressum non habeamus, in divina Traditione lydium lapidem habemus, utrum illud a Deo per Apostolos receperimus, vel non receperimus, itemque ex divina Traditione cognoscimus, utrum adversetur, vel non adversetur iis, quæ sunt divinæ institutionis.

Ecclesiæ judicium, et illud quidem infallibile habemus, quo semel ac decretum sit, aliquid spectare ad fidem, vel ei contrarium esse, nullus amplius remanet dubitandi locus: at vero hoc judicium Traditioni nititur, eoque divinum verbum traditum explicatur, atque decernitur, hoc in divino verbo tradito contineri, illud ei adversari. Quare Traditio est sane illud principium, quo provisum est illis omnibus contentionibus, quæ in Ecclesia insurgere possunt.

Etiam Protestantes ex hoc capite necessitatem Traditionum agnoscere debent, quamvis eas rejiciant, et solam Scripturam sicuti totius fidei regulam habeant. Nam ipsi quoque negare non possunt: quoad ea omnia in quibus, non scriptis iis quidem, sed solummodo traditis, dissentiunt a Catholicis, nullum certius judicium expectari præ eo posse, quod communis consensio Patrum omnium seculorum constituit, vel Ecclesiæ Catholicæ unanimis item non interrupta consensio firmavit. Quare semel ac quoad ista capita doctrinæ insana quadam libidine sentiendi duci nolint, indeque non recusent tale judicium, quo sane nullum certius expectari potest; necessitatem Traditionum ex hoc capite ipsi quoque agnoscere debent. Sunt etiam necessariæ Traditiones, ut de libris Canonicis constare possit. Nam de Divina revelatione illorum certo constare potest ex solo divino testimonio: hoc autem divinum testimonium habemus in sola Traditione, quum verbum divinum non scriptum ipsa sit. Nam inter libros divinos nullum habemus, in quo omnes libri divini recenseantur, et licet haberemus, prius ex Traditione constare deberet de divinitate illius. Est sane Ecclesiæ decernere, quinam liber sit, vel non sit Canonicus; verum ipsa suo decreto non efficit, ut sit Canonicus, qui non erat, vel non sit, qui erat, sed innixa Traditioni juxta eam de libris Canonicis judicium profert. Est igitur certum, requiri Traditiones, ut de libris Canonicis certo constare possit.

(a) *Cap. 3. hujus lib. prop. 1.*
(b) *Ejusdem cap. prop. 3.*

Hac in re Protestantes, saltem aliqui, nobiscum consentiunt, sicuti Molinæus in *Novit. Pap.* lib. 1. cap. 51., Episcopius in *Respons.* ad 3. *Dilemma*, Calvinus lib. 1. *Instit.* cap. 8. §. 9., Brentius apud Hosium lib. 4. *De Tradit.*, et Zanchius tom. 8. *De Scrip.* quæst. 1. prop. 1., et quæst. 2. prop. 3., uti legere est apud Walenburchenses *De Tradit.* part. poster. prob. 5. num. 1. 25. 62. Verum de necessitate Traditionis, habita ratione librorum canonicorum, est jam disputatum a nobis.

Quum vero ob nonullorum pravam interpretationem in Ecclesia contentiones oriantur etiam in iis, quæ tradita habemus in divino verbo scripto; ideo hujusmodi contentionibus sola Traditione prospectum esse posse, nunc ostendemus. Nam quod Patres in expositione Scripturæ unanimi semper consensione docuere, Divinam auctoritatem habet, quia ab ipsa divina Traditione proficiscitur (a). Quare ea Traditione, quæ consistit in unanimi, et perpetua consensione Patrum, dum Sacras litteras exponunt, nulla alia regula certior haberi, immo nec excogitari potest, qua vera interpretatio divini verbi scripti perspecta sit. Fit enim ex ea, ut ex divino verbo non scripto comperiatur, quo sensu verbum divinum scriptum accipi debeat. Ecclesiæ judicium etiam in re ista pendet a Traditione: nam Ecclesia quoad sensum divinarum Scripturarum nihil unquam definivit, aut in posterum definitura erit, nisi secundum communem, atque unanimem Sanctorum Patrum explicationem.

Utrum habita ratione interpretationis divinarum Scripturarum etiam Protestantibus sit necessaria Traditio, quæ consistit in unanimi, et communi interpretatione Patrum, nunc videamus. Contendimus ergo, quamlibet sectam hæreticorum, aut contra alteram sectam, aut contra Catholicos, auctoritate Scripturarum suos errores sine Traditione tueri nullo modo posse. Si ergo Protestans cum Sociniano rem habeat, in id potissimum adniti poterit, ut Scripturarum quamplura loca in medium adducat, in quibus sibi videatur expressa esse illa sententia, quam ipse tuetur: verum si Socinianus contra reponat, omnia hujusmodi loca Scripturarum longe alio sensu intelligi debere, et eo quidem vel maxime, qui non Protestanti, sed sibi favet, quid contra Protestans respondere poterit? Profecto neque suam auctoritatem opponere, neque sibi tantum vindicare intelligentiam Scripturæ, neque se solum errore immunem esse, ceteros autem errori subjectos affirmare sine summa audacia poterit. Quidquid enim horum dixerit, omnino temere dixerit, atque irrisionem, et contemptum aliorum in se excitabit. In hac ergo sua pugna verberasse æerem, superest, ut fateatur, atque auctoritatem Scripturarum non magis sibi, quam suo adversario suffragari. Si igitur ad interpretationem Scripturarum attendamus, etiam Protestantes fateri debent, necessariam esse eam Traditionem, quæ in unanimi interpretatione Patrum perspicitur, atque videtur. »Quod quum Calvinus non minus spreverit (hoc est, »habere rationem Traditionis in expositione Scripturæ, inquit Grotius in »*Rivetiani Apologetici Discussione* num. 40.) quam Menno, et Socinus,

(a) *Hujus lib. cap. 3. prop. 2.*

»ideo quæcumque Mennoni, et Socino objicit D. Rivetus, eadem ab aliis »pari jure objiciuntur Calvino. Quæ ergo via exeundi ex tot scissuris, in»ter quas cum magno periculo fluctuant populorum animæ? An ea, quam »D. Rivetus indicat, ut Scripturas sequamur solas? At eas, et quidem »solas sequi, se, clamat Menno, Socinus, Brunus, et alii, et id claman»do populos in istum labyrinthum induxere."

Quod autem hac de contentione diximus, quæ inter Protestantem, et Socinianum esse potest, dicendum quoque est de alia quavis contentione, quam cujusvis sectæ hæreticus cum hæretico alterius sectæ, aut etiam cum Catholico habere potest.

Ex his autem omnibus, quæ huc usque disputavimus, constat etiam de veritate alterius partis hujus nostræ propositionis, neque necesse est, ut ad illam comprobandam alia superaddamus. Solummodo ergo animadvertemus, modo non esse opus, ut evincamus, cuique per se perspectum esse non posse, vel quinam libri sint Canonici, vel quinam sit sensus verborum divinorum. Hac enim utraque de re contra Protestantes in superiori lib. cap. 4. copiose egimus. Solummodo ergo paucis expendemus nonnulla testimonia Scripturarum, quibus præseferri videtur, sensum Scripturarum unicuique obvium esse. Quo sane semel posito, Traditio necessaria non esset ad rectam interpretationem Scripturarum.

Dices. *Deuteron.* 30. 11. hæc leguntur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum. Psal.* 18. 9. *præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Psalm* 118. 105. *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis: v.* 130. *declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*: Demum *Proverb.* 6. 23. *mandatum lucerna est, et lex lux.* Hæc vero omnia loca, aliaque his similia suadent, et non esse supra nostram cognitionem, quæ in Sacris litteris tradita habemus, et ab eis quoddam lumen semper effulgere, quod perstringat omnium oculos. Quibus semel positis, consequitur, necessariam non esse Traditionem ad interpretationem Scripturarum.

R. Non esse sane supra cognitionem nostram, quæ sunt leges naturæ. Est autem etiam legi naturæ consentaneum, ut ad Deum, uti primum nostrum principium, atque ultimum finem, toto corde revertamur, semel ac ab eo defecerimus. Unde mirandum non est, si dum Moyses inculcat Hebræis hoc mandatum, dicat illud non esse super eos, neque procul positum.

Alia vero loca Scripturarum suadent, Dei mandata esse nobis debere loco cujusdam regulæ, atque lucis, quibus in actionibus nostris dirigamur. Quamvis autem nonnulla eorum, quæ sunt in Sacris litteris, ex se nobis illucescant, tamen sunt alia multa, quæ interpretatione egent. Hinc oportuit, ut etiam ipsis discipulis sensum Scripturarum Christus aperiret.

CAPUT SEXTUM.

De ea contradictione, qua Protestantes etiam in hoc capite doctrinæ implicantur.

Modo hac de re paucis in fine hujus libri, ut semper certius constare possit de veritate Catholici dogmatis.

Prop. Protestantes non sine contradictione et negant absolute Traditiones, et simul admittunt quoad aliquas veritates, illisque etiam utuntur ad suos errores confirmandos, immo unicam suæ fidei regulam Traditionibus acceptam referunt.

Prob. prop. quoad 1. par. Perpetuam Matris Dei virginitatem Protestantes fere omnes contra Helvidium tuentur: pueros baptizandos esse ante usum rationis, plures eorum pugnant contra Anabaptistas, atque etiam validum esse censent baptisma collatum ab hæreticis. De tribus autem hisce doctrinæ capitibus ex ipsa Traditione tantum manifeste compertum est: Protestantes igitur et negant absolute Traditiones, et eas quoad aliquas veritates recipiunt. Id autem, ut unum exemplum afferam, ex Chemnitio confirmatur. Ipse enim *in Examine in 2. decret. sess. 4. Concil. Trid.* totus in eo est, ut ostendat, Traditiones, quæ admittuntur a Catholicis, maximam affinitatem habere cum Traditionibus Pharisaicis, et Thalmudicis; tamen dum agit de Traditionibus *in Examine in 1. decret. sess. 4.* ita habet: »Patres, ubi hanc Traditionem de libris Scripturæ describunt, probant illam ex testificationibus primitivæ »Ecclesiæ. Si idem eadem certitudinis ratione de aliis etiam Traditionibus, quarum alicubi mentionem habent, fecerint; valeant sane in »hoc, et eodem etiam jure recipiantur." His autem verbis Chemnitius et rejicit Traditiones Catholicorum uti Pharisaicas, et Thalmudicas et admittit, ac reveretur Traditiones, non aliter ac alias traditiones Catholicorum, quibus constat de Scripturæ libris, immo vero recipit, atque veneratur omnes Traditiones Catholicorum. Nam de omnibus Traditionibus Catholicorum compertum est *ex testificationibus primitivæ Ecclesiæ*: igitur si Chemnitius non recusat admittere Traditiones hujus generis, omnes prorsus Traditiones Catholicorum admittit.

Prob. 2. pars. Aliquos vero tantum ipsorum Protestantium quoad rem istam commemorabimus. Chemnitius dum de libero arbitrio agit *in Examine decret. sess. 6. Concil. Trid.*, quam ipse Sacris litteris interpretationem falso tribuit, Sanctorum Augustini, et Prosperi auctoritate confirmare nititur. *In Examine decret. de Justificat.* post multa a se male explicata Scripturæ loca ita colligit: »Et Patres quidem, licet plerumque »sequantur analogiam latinæ compositionis in verbo justificare; sæpe tamen evidentia Paulinæ disputationis coguntur agnoscere propriam, et »genuinam hanc significationem, quam monstravimus." Dum vero de Communione sub utraque specie agit *in Examine sess. 5. Concil. Trident.* ad suum errorem tuendum ponit hunc titulum: *Testimonia anti-*

quitatis de communione sub utraque specie: deinde vero exequitur, quod sibi proposuit, pessimeque abutitur auctoritate Patrum. Non absimili ratione Basnagius in sua *Hist. de Ecclesia*, lib. 9. cap. 5. et seq. plura disputat contra Traditiones: tamen lib. 13. et 14. in medium adducit multa deprompta ex Patribus non minus in confutationem Catholici dogmatis de Transubstantiatione, quam in defensionem sui erroris. Idem quoque facit in sequentibus libris, in quibus de Adoratione Sacramenti, de Cultu Sanctorum, Reliquiarum, Imaginumque agit. Plerumque non absimili modo etiam ceteri Protestantes procedunt in suis disputationibus contra Catholicos, sicuti constare unicuique potest, si legerit opera illorum.

Prob. 3. pars. Ostendimus in præced. parte, plures Protestantes sentire nobiscum, Traditiones esse necessarias, ut de Canonicis libris constare possit. Admittit Traditiones quoad istud caput doctrinæ etiam Chemnitius, sicuti modo vidimus. Et re quidem vera tam Protestantes, quam Catholici nullam unquam Divinam revelationem habuere, qua venire potuerint in cognitionem illorum Sacrorum librorum, qui sunt inspirati divinitus, in quibus profecto illa unica Protestantium regula fidei continetur. Volunt ergo Protestantes, immo et velle debent, illam unicam regulam fidei, quam ipsi admittunt, quæque juxta eos complectitur omnia dogmata fidei, ab ipsa Traditione nobis perspectam fieri, itemque volunt totam rationem nostræ fidei constare sine Traditionibus. Hanc contradictionem Grotius in *Rivetiani Apologetici Discussione* num. 30. Riveto opposuit: »sicut autem (inquit) consentienti testimonio veterum, qui non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia sunt, credimus, hos »libros esse Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli, pari modo, ac »jure tali testimonio credimus, hæc, aut illa ore præcepta ab Apostolis, et in usum introducta."

Dices. cont. 1. par. Protestantes ea quoque admittunt, quæ consequuntur ex Sacris litteris: ergo supradicta simul cum Catholicis admittunt, non quia ex Traditione habeantur, sed quia ex Sacris litteris illa consequi vident.

R. dist. ant. Ex principio tamen, cui æquo jure quispiam assentiri potest, neg.: cui æquo jure unusquisque repugnaverit, conc. »Dicunt, »(inquit Grotius in *Annotatis ad consultationem Cassandri* art. 20.) admittendas consequentias. At ipsi consequentias sæpe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot, et tam gravia inter ipsos dissidia, et »quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas »admisit vetus Ecclesia antiquo, et universali consensu. Atque ita stat »omne verbum in duobus testibus, in Scriptura, et in Traditione, »quæ mutuo facem sibi allucent." Et re quidem vera summæ insipientiæ esset, dogmata fidei profecta velle ex incerto, et fallaci judicio, quo homines sæpissime abutuntur. Quare Protestantes ne irrideantur a suis adversariis, dum contra eos simul cum Catholicis aliqua dogmata tuentur, de quibus non ex Sacris litteris, sed ex Traditione compertum est, oportet, ut ad ipsam Traditionem, sicuti ad certum, firmum que principium, recurrant.

Dices. cont. 2. part. Protestantes utuntur testimonio Patrum *ad refutandum*, *non ad confirmandum*, *ad evertendas opiniones Romanas*, *non ad suas constituendas*, sicuti inquit Dallæus *De Vero Usu Patrum* lib. 2. cap. 7. ergo nulla hic contradictione implicantur.

R. Id quidem a Dallæo dici, tamen ne ab ipso quidem fieri. Quandoquidem tam ut suam falsam sententiam confirmet, quam ut contrariorum refellat, in medium profert loca Patrum *De Vero Usu Patrum* lib. 4., et in disputatione *De Auriculari Confessione*. Idem facit in disputatione *De Confirmat.*, et *Extrema Unctione*: neque aliam rationem tenet, dum cetera dogmata catholica oppugnat, et errores Protestantium tuetur. Quod quidem etiam a Chemnitio, et Basnagio servatum fuisse, animadvertimus, sicut et de aliis quoque animadvertere possemus. Quare Protestantes sua agendi ratione produnt, ea se contradictione implicatos, ut et velint Traditionum nullam haberi rationem, et habeant ipsi tamen.

LIBER TERTIUS

De Ecclesia.

Ab auctoritate Ecclesiæ ducitur tertius locus, ex quo, ad comprobandam omnem doctrinam tum fidei, tum morum, argumenta firmissima depromuntur. Multa nunc explicemus oportet, ut de auctoritate Ecclesiæ omnino perspectum sit, indeque constet, quam recte Theologus utatur auctoritate illius in iis omnibus, quæ spectant ad fidem, vel mores. In cap. 1. constituemus, quid nomine Ecclesiæ intelligatur: in 2. a quo Ecclesia Christiana suam originem, atque præcepta habeat: in 3. de Ecclesiæ visibilitate, indefectibilitate, et infallibilitate disseremus: in 4. de forma Ecclesiæ: in 5. de membris illius: de notis veræ Ecclesiæ in 6.

CAPUT PRIMUM.

De Notione Ecclesiæ.

Nomen Ecclesiæ, si generatim accipiatur, significat societatem Fidelium, qui in Christo ita simul uniuntur, ut cum eo efficiant unum corpus, cujus caput est ipse Christus. Ad hanc societatem spectant et Beati, qui regnant in cælis, et justi in purgatorio degentes, et quicumque Fideles omnium temporum, atque locorum. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, sicuti *Actorum* 4. 12. legitur. De Ecclesia militante, quæ Christiana dicitur ab ipso Christo, nos modo loquimur.

Ea ergo est hominum cœtus et professione unius, ejusdemque Christianæ fidei, et communione eorumdem Sacramentorum simul conjunctus sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis. Ecclesia dicitur cœtus, seu societas Fidelium, hoc est, illorum, qui credunt in Christum, quique coadunantur in unum, atque unum corpus

efficiunt, et professione unius, ejusdemque fidei Christianæ, (Ecclesia enim a suo sinu repellit, qui fidem adulterant, aut dividunt) et eorumdem participatione Sacramentorum, qua omnes Fideles Christo incorporantur, atque unum Religionis sensibile corpus efficiuntur, et sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue Romani Pontificis, quia ad corpus Ecclesiæ illi spectare non possunt, qui non subduntur pastoribus ad regendam Ecclesiam a Christo constitutis.

Ecclesia autem haberi potest sicuti quoddam totum constans ex anima, et corpore: spectant ad corpus externa professio fidei, communio Sacramentorum, et exterior subjectio legitimis pastoribus: ad animam vero interiora dona Sancti Spiritus, hoc est, fides, spes, caritas, et cetera omnia, quæ ab eodem supernaturali principio proficiscuntur. Unde Ecclesia et est exterior, atque visibilis, et interna, ac invisibilis: illud secundum corpus, hoc secundum animam habet, ac propterea eorum, qui sunt in Ecclesia, alii spectant solummodo ad corpus, quales sunt peccatores, alii ad animam simul et corpus, quales sunt ii, qui et internam fidem, et caritatem simul jungunt cum externa professione Christianæ fidei. De Ecclesia militante hic agimus, quatenus est visibilis, exteriorem societatem complectitur simul unitam exteriori professione fidei, participatione Sacramentorum, et subjectione legitimis pastoribus.

CAPUT SECUNDUM.

De eo principio, a quo Christiana Ecclesia suam originem habuit, suamque legem accepit.

De Ecclesia Christianorum modo loquimur, quo sane nomine *Act.* 11. 26. legimus, Antiochiæ primum discipulos vocatos fuisse. Quamvis autem hoc nomine appellati fuerint etiam a chrismate, quo ungebantur, sicuti tradit S. Cyrillus Hierosolym. *Catech.* 21. num. 5., tamen idem ipse Cyrillus animadvertit *Catech.* 9. num. 16., quod »Jesus Christus, »Dei filius quum sit, Christianorum nos appellare dignatus est nomine." A Christo Christianos vocatos fuisse Fideles, præter alios, tradit Tertullianus in priore lib. *ad Nationes* cap. 3. et 4., Justinus in *Dialogo cum Tryphone* num. 64., et in 1. *Apolog.* num. 2., et S. Augustinus in lib. *De Opere Monachorum* num. 33.

Nunc ergo in priori propositione ostendemus, Ecclesiam a Christo suam originem habuisse; in altera vero etiam legem ab eodem accepisse, ac propterea Christum dicendum esse verum legislatorem, quod sane Lutherum, et Calvinum sequuti negant plures juristæ Protestantes. Uterque Coccejus, pater, et filius in suis Commentariis ad libros Hugonis Grotii *De Jure belli, et pacis* sæpe, ac multis ostendere conantur, et legem Evangelicam non esse veram legem, et Christum non fuisse legislatorem. Hoc contendunt in Commentariis ad §. 17, cap. 1. lib. 1., ad §. 6. et 8. cap. 2. lib. 1., ad §. 15. cap. 5. lib. 2., ad §. 20. cap. 13. lib. 2., et alibi sæpe. Hoc idem tenent etiam alii Hugonis Grotii Com-

mentatores, uti Gronovius in *Adnotat.* ad §. 6. cap. 2. lib. 2., Gulielmus Vander Muelen in *Comment.* ad num. 3. §. 6. cap. 2. lib. 1., Osiander. *Observat.* 1. ad Th. 6. cap. 2. lib. 1. et alii.

Prop. I. Ecclesia Christiana suam a Christo originem habuit.

Prob. prop. *Roman.* 12. 5. ait Apostolus: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et* 15. 16. *ut sim minister Christi Jesu in gentibus*, et v. 19. *ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi*: cap. 16. 16. *salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Et Ephesior.* cap. 5. 23. *Christus caput est Ecclesiæ.* Demum *Ad Colossen.* 1. 18. *et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Quapropter si omnes Fideles sunt unum corpus cum Christo; si Christus est caput corporis Ecclesiæ; si Christi Evangelium per omnes gentes divulgatum fuit; si omnes Ecclesiæ sunt Ecclesiæ Christi; si Apostoli ministerio Christi se fungi dicunt; inde necessario consequitur, Ecclesiam a Christo habere suam originem. Et re quidem vera hoc est adeo certum, atque evulgatum apud omnes, semperque cunctarum gentium consensione firmatum, ut de eo ille solum dubitare possit, qui de quacumque re, vel certissima, dubitare velit.

Prop. II. Lex Evangelica habet rationem veræ legis, et est a Christo Legislatore.

Prob. prior pars propos. Consentiunt omnes, ad rationem veræ legis hæc tria requiri: 1. ut proficiscatur a legitimo legislatore, qui præditus sit publica auctoritate. 2. ut sanctionem sibi conjunctam habeat: 3. ut promulgata sit. Nihil horum deest legi Evangelicæ. Nam potestas, qua lex Evangelica promulgata fuit, supra omnes potestates longe præcellit. Christus enim in hunc mundum missus a Patre, tum per se, dum hic in terris degeret, tum ministerio Apostolorum, illam primo tulit: deinde vero redivivus a mortuis Apostolos ita fuit alloquutus *Matt.* cap. ult. v. 18. et seq. »Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. Euntes »ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, »et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vo»bis." Sanctionem quoque sibi conjunctam habet lex Evangelica. Sanctio enim innititur tum promissioni præmiorum, tum comminationi pœnarum. Utramque vero continet lex Evangelica. Nam, uti legitur *Matt.* cap. 25. v. 31. et seqq. »quum venerit Filius hominis in majestate sua, »et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et »congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, »sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris »suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus »erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a »constitutione mundi ... Tunc dicet his, qui a sinistris ejus erunt: di»scedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et »angelis ejus." Promulgatio quoque legi Evangelicæ non defuit. Nam Apostoli, præcipiente Christo, eam ubique gentium evulgarunt, atque servandam indixerunt, et quidem nullo genere pœnarum deterriti maxi-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ma alacritate præstitere, quod ibi Christus mandaverat, et Magistratibus contra obnitentibus responderunt *Actor.* 5. 29. *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Lex ergo Evangelica nihil eorum non habet, quod ad veram legem requiritur.

Prob. altera pars. Christum futurum legislatorem in pluribus Veteris Testamenti locis prædictum fuit, sicuti in *Psal.* 2. v. 6., et *Isaiæ* 33. 22., in quo ita de Christo prophetatum fuisse legimus: *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.* Revera autem fuisse legislatorem, postquam advenit in hunc mundum, quamvis ostendatur iis, quæ disseruimus in priori parte propositionis, tamen singulariter evincere conabimus, ut hæc veritas magis perspecta fiat. Apostolus *Hæbræor.* cap. 3. Christum cum Moyse, uti legislatorem cum legislatore, comparat, et quia sermo ab Angelo factus Moysi ita firmus fuit, ut omnis prævaricatio mercedis justam retributionem acceperit; inde multo graviora mala a nobis timenda esse, colligit, si sermonem Filii Dei contempserimus. Ipse Christus *Matt.* 11. 30. affirmat, suum jugum suave esse, et onus leve: quod sane vel ad promissionem, vel ad exhortationem, vel ad instructionem spectare non potest, quia legi tantum, quæ obligat, et obligando gravat, convenit nomen jugi, atque oneris. *Si diligitis me* (inquit ipse Christus *Joann.* 14. 15.) *mandata mea servate*, et v. 21. *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* Et re quidem vera quomodo Christus non legislator, si Apostolus ad *Galat.* 6. 2. omnes ita monet: *alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi?* Si S. Petrus in sua II. epist. 3. 2. adhortatur omnes, ut memores sint *præceptorum Domini, et Salvatoris?* Si ipse Christus, lata lege, sustulit libellum repudii, atque præcepit, ut neque vir uxorem, neque uxor virum dimitteret, excepta causa fornicationis, et si unus conjugatorum ob fornicationem dimitteret alterum, utrosque vel manere innuptos, vel sibi invicem reconciliari debere, sicuti 1. *Corint.* 7. 10. et seq. legitur? Dubitari ergo a nemine potest, quin Christus legislator fuerit.

Dices. cont. utramque partem. Si Christus esset legislator id maxime constaret ab eo sermone, quem ipse in monte habuit, qui *Matt.* cap. 5. et seqq. legitur: sed ex hoc sermone nihil tale recte colligi potest: ergo. Prob. min. Quæ Christus in hoc sermone habet contra falsam interpretationem Scribarum, et Pharisæorum, sunt quædam *regulæ virtutum, quas homines impune negligunt*, et propter neglectum hujusmodi virtutum amittunt *spem præmii, singulis virtutibus destinati*, sicuti affirmat Coccejus in *Adnotat.* ad §. 6. cap. 2. lib. 1. Hugonis Grotii *De Jure belli. et pacis*, qui quidem in *Adnotat.* ad §. 8. dicti capitis tradit a Christo commendari *patientiam, mansuetudinem, officiositatem, et liberalitatem, et promitti præmia, ejusmodi actibus virtuosis destinata, adeoque non ex necessitate legis, sed ex virtutum regula hæc facimus*: ergo.

R. Hanc interpretationem et falsam omnino esse, et tendere in destructionem totius divinæ legis. Nunc ergo ponamus, Christum consulere, non vero præcipere, dum refellit falsas interpretationes Pharisæo-

rum : igitur odio habere fratrem suum, unicuique liberum erit, et tam habere quam non habere poterit: igitur non peccabit, qui mulierem aspexerit ad illam concupiscendam: igitur a culpa erit immunis, qui uxorem non solum ob fornicationem, sed etiam ob alias causas dimiserit : igitur juramentum quis indiscriminatim sine culpa adhibere poterit : igitur si quis acceptam injuriam ulciscatur, nullius criminis reus erit. Nam ista quinque sunt illa, in quibus Pharisæi graviter errabant, et a Christo redarguuntur, dum præcipit, neminem odio habendum, non concupiscendam mulierem alienam, non dimittendam uxorem, nisi ob causam fornicationis, non jurandum sine necessitate, ultionem de accepta injuria non esse sumendam. Quodoquidem ea est natura consiliorum, quemadmodum etiam ipse Coccejus consentit, ut quis illa æque amplecti possit, et si non amplectatur, nullum crimen admittat. Quare falsa interpretatio Pharisæorum circa hæc doctrinæ capita modo etiam subsistit, eamque sine ullo reatu quis sequi poterit. Si hac ratione tota lex divina non subvertatur, non video sane qua alia subverti possit.

Christus, sicuti legitur in fine hujus sermonis *Matt. 7. 29, erat docens, sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum, et Pharisæi*, hoc est, non interpretis, sed legislatoris munere fungebatur, indeque est, ut *Matt. 5. 22.* et 29. æternam pœnam comminetur iis, qui vel fratres suos non dilexerint, sicut ipse præceperat, vel scandali occasionem aliis dederint: ac generatim eos, qui verba sua audierint, et fecerint, assimilat viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram; alios autem, qui audierint quidem, sed non fecerint; viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, quæ cecidit, dum in eam irruerunt pluvia, flumina, atque venti, contra ac contigit domui viri sapientis.

Dices. II. Legislatio nullo modo convenire potuit Christo: ergo. Prob. ant. 1. Christus erat homo privatus, et ab ipsa sua origine nulla auctoritate munitus. 2. Vitam privatam egit, atque docendo privatim plures provincias peragratus fuit. 3. Regnum suum non esse in hoc mundo, neque se in hunc mundum venisse, ut sibi omnes famularentur, vel ut solveret Legem, atque Prophetas, ipse affirmavit. 4. Non condemnavit adulteram, quam Judæi submiserunt judicio illius, neque ullam ab ea satisfactionem exegit. Petrum vero reprehendit, quia ad defensionem sui gladio decertavit. 5. Se in hunc mundum venisse, testatus fuit, ut vocaret peccatores, suamque potestatem in dimittendis peccatis adhibuit. 6. Docuit, appropinquare regnum cælorum, atque suasit omnibus, ut pœnitentiam agerent, agentibusque vitam æternam promisit. 7. Quandoque quidem non servantibus sua mandata æternas pœnas comminatus fuit; verum eas non statuit, sed jure naturæ jam statutas confirmavit.

Ad 1. respondeo, Christum fuisse Deum hominem, neque Deum esse desiisse quia naturam humanam accepit. Quapropter eodem modo, quo Deo, etiam Christo competit legislativa potestas, atque ita competit, ut nemini eodem modo competere possit, sicuti animadvertit S. Gregorius M. lib. 27.

Moralium num. 3. Unde S. Thomas in III. *Sentent.* distinct. 13. quæst. 2. art. 1. postquam ostendit pluribus, convenire Christo tam secundum divinam, quam secundum humanam naturam esse caput Ecclesiæ ita habet: »unde communiter loquendo, Christus, secundum quod Deus, po»test dici caput Ecclesiæ simul cum Patre, et Spiritu Sancto, sed pro»prie loquendo est caput secundum humanam naturam." Capitis vero est legislatione regere eos, qui sibi subjiciuntur, semel ac ii longe, lateque pateant, ac rempublicam in pluribus regionibus diffusam constituant.

Christum autem fuisse hominem privatum, nullo modo dici potest: nam ipsum gentes expectabant, Prophetæ in suis prædictionibus respexerant, et tota quanta est Lex Vetus ad eum præfigurandum referebatur, demum in illo omnium salus reposita erat. Immo vero etiamsi ejus humanæ originis ratio habeatur, homo privatus dici non potest: eam enim duxit ex utroque genere, hoc est, Regum, et Sacerdotum, quemadmodum ostendit S. Augustinus *De Consensu Evangelist.* lib. 2. num. 4.

Ad 2. dico, Christum in hoc mundo ita vixisse, ut Deum simul et hominem se esse præseferret. »Etenim, inquit, S. Augustinus *Tract.* 28. »*in Joan.* num. 1., semper hoc agit dictis, et factis suis, ut et Deus cre»datur, et homo: Deus qui nos fecit, homo, qui nos quæsivit: Deus »cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore." Res ista adeo perspicua est, ut nulla disputatione egeat.

Quomodo vero Christus privatim populos edocuit, si initio suæ prædicationis sedit in templo in medio doctorum, eosque audivit, et interrogavit, sicuti *Lucæ* 2. 46. legitur? Si dum totam Galilæam circuiret, »docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni Dei.... se»quutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Hierosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem," sicut Matthæus tradit cap. 4. v. 23. et seq.? Alia similia istis ex Evangelica historia depromi possent verum necesse non est. Ad alia itaque progrediamur.

Ad 3. Dico, regnum Christi in hoc mundo fuisse, non tamen de hoc mundo. »Dicit quidem (inquit S. Augustinus *Trac.* 116. *in Joan.* num. 2.) in prophetia de Deo Patre (a): *ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum ejus*, sed Sion illa, et mons ille non est de hoc »mundo. Quod est enim regnum ejus, nisi credentes in eum, quibus di»cit (b): *de mundo non estis, sicut ego non sum de mundo*? Quamvis eos »esse vellet in mundo: propter quod de illis dixit ad Patrem (c): *Non* »*rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Unde et hic non »ait: Regnum meum non est in hoc mundo, sed, *non est de hoc mundo.* »Et quum hoc probaret, dicens (d): *Si ex hoc mundo esset regnum meum,* »*ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis*, non ait: *nunc*

(a) *Psal.* 2. *v.* 6.
(b) *Joan. cap.* 17. *v.* 16.
(c) *Ibidem v.* 15.
(d) *Joan. cap.* 18. *v.* 36.

»autem *regnum meum* non est hic, sed, *non est hinc*. Hic est enim re»gnum ejus, habens in se commixta zizania usque ad messem."

Quia vero regnum illius non erat hujus mundi; ideo non solum non exegit eum famulatum, qui debetur Regi terreno, sed etiam tributum Cæsari solvit.

In Veteri lege duo considerari debent, hoc est, finis, et præcepta. Finis Veteris Legis respiciebat justificationem hominum, quam lex ipsa causare non poterat, sed et verbis promittebat, et quibusdam factis cæremonialibus præfigurabat. Quoad hoc autem lex Nova Veterem implet, quatenus virtute passionis Christi justificat. Implevit autem Christus Veterem legem etiam quoad moralia præcepta, quia ea a falsa interpretatione Scribarum, et Pharisæorum vindicavit. Cæremonialia quoque præcepta implevit, dum illa e medio sustulit: »ex hoc ipso quod cæremo»nialia præcepta sunt impleta (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 107. art. »2. ad 1.) perfectis his, quæ figurabantur, non sunt ulterius observan»da: quia si observarentur, adhuc significaretur aliquid futurum, et »non impletum.... Et per hunc modum cæremoniæ legis tolluntur, quum »implentur." Præcepta vero judicialia, adveniente Christo, ex se obligare desierunt: quia tunc mutatus fuit status populi Hebraici, sicuti animadvertit S. Thomas 1. 2. quæst. 104. art. 3.

Ad 4. respondeo, Christum in adulteram mulierem usum ea potestate fuisse, qua ipse solus præditus erat. Quum enim ipse esset auctor legis, illam solvit a pœna legis: *Adducta est* (inquit S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* 102. num. 10.) *adultera mulier lapidanda ex lege, sed adducta est ad latorem legis.*

Petro quidem interdixit, ne se defenderet gladio; verum simul eum monuit, si ipse vellet, missurum Patrem in sui defensionem plusquam duodecim legiones Angelorum, suaque Divina potestate usus fuit, quando Judæi audientes eum sibi dicentem: *ego sum*: *abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* (a).

Ad 5. Dico, inde quoque constare Christum fuisse legislatorem, quia in hunc mundum venit vocare peccatores, iisque peccata dimisit. Nam remittere, quod contra latas leges commissum fuerit, solus legislator propria auctoritate potest: Christus propria auctoritate remisit peccatoribus, quod contra leges jam latas commiserant: igitur Christus sustinuit veram personam legislatoris, dum peccata remisit.

Ad 6. respondeo, Christum suasisse omnibus, ut pœnitentiam agerent; verum simul indixit futurum esse, ut cuncti perirent, si pœnitentiam non agerent, vel regni æterni gloriam consequerentur, si divina mandata servarent. Neque ista indixit eodem modo, quo Prophetæ, Apostoli, et alii sancti viri indixerunt. Nam Christus et servantibus sua mandata promittit præmium æternum, et transgredientibus mala æterna comminatur. Deinde se ipsum illis præmium retributurum, promisit, istis vero pœnam inflicturum, comminatus fuit. Quæ sane duo pote-

(a) *Joan. cap.* 18. *v.* 6.

statem legislativam in se continent, iisdemque refellitur error Cocceji in Dissert. 3. Proœmiali §. 47. affirmantis, non *authenticam*, sed *doctrinalem* fuisse eam interpretationem, qua Christus in Sermone Domini in monte detexit errores Pharisæorum.

Ad 7. Dico, affirmandum esse, præcepta Decalogi non cadere sub divina legislatione, semel ac dicatur, vi legislativæ subesse non posse, quæ recta, vel turpia esse, constat etiam ex ipsa ratione, atque ex eadem perspectum habemus, præmio, vel pœna digna esse. Deinde anne quæ Christus in Nova lege, Sacramentorum habita ratione, præcepit, naturali ratione novimus? anne naturali ratione novimus, præcepta, vel prohibita esse alia multa, quæ Christus in sua lege præcipit, vel prohibet? Verum non est, cur in istis diutius immoremur.

CAPUT TERTIUM.

De Ecclesiæ Visibilitate, Indefectibilitate et Infallibilitate.

Quid Ecclesia sit, et a quo suam originem, ac legem acceperit, jam explicavimus: nunc qualis sit, exponemus, deque Visibilitate, Indefectibilitate et Infallibilitate ejus contra Acatholicos in tribus distinctis paragraphis pertractabimus.

§. I.

De Visibilitate Ecclesiæ.

De Ecclesia nunc loquimur, quatenus revera est Fidelium cœtus et professione unius fidei, et communione eorumdem Sacramentorum simul conjunctus sub regimine legitimorum pastorum, et præcipue Romani Pontificis. De hac ergo Ecclesia non solum quærimus, utrum oculis quoque videri possit: qua ratione est visibilis etiam quælibet secta hæreticorum, sed etiam inter omnes alias societates ita effulgeat, ut perstringat oculos non solum domesticorum, sed etiam extraneorum. In *Confessione Saxonica De Ecclesia*, *in Bohœmica* art. 8., quam etiam Lutherus approbavit, *Argentinensi* cap. 15., ut alias omittamus, Ecclesiæ visibilitas admittitur. Non defuerunt tamen aliqui Calvinistarum, qui senserunt, visibilitatem Ecclesiæ non fuisse permanentem, sed aliquando quodammodo defecisse, uti constat ex *Confessione Gallica* art. 31. (a) Tamen in hac sententia non semper perstiterunt, sicuti tradit Bossuetius in *Hist. Variat.* lib. 15. Profecto qui asserunt, solos prædestinatos spectare ad Ecclesiam, si constare sibi velint, illud quoque affirmare debent, Ecclesiam esse invisibilem, quum non solum non videri, sed etiam cognosci non possit a nobis, quinam sint prædestinati.

(a) Vide de istis, et aliis Confessionibus *Corpus et Syntagma confes. fidei* edit. Genevæ an. 1654.

Prop. Ecclesia est ita visibilis, ut omnium oculis semper conspicua fuerit.

Prob. prop. Ut ergo nunc verba aliqua non faciamus de Ecclesia Testamenti Veteris, quæ fuit adeo visibilis, ut qui in ea erant, ferrent in ipsa carne signum visibile circumcisionis, atque etiam eas prophetias omittamus, quibus nostræ Ecclesiæ visibilitas promissa fuit, ex Novo Testamento tantum nos eam nunc evincere conabimur. *Actor.* 15. 3. ita legitur: *Illi ergo* (hoc est, Paulus, et Barnabas, et quidam alii) *deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem.* Et v. 4. *quum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia.* Cap. 18. v. 22. de Paulo dicitur: *et descendens Cæsareum ascendit, et salutavit Ecclesiam.* Cap. 20. 28. *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Paulus deinde testatur pluries, se persequutum esse Ecclesiam Dei. In Ecclesiam autem invisibilem neque illa persecutio, neque cetera, de quibus in supradictis locis mentio fit, cadere potuerunt.

Et re quidem vera Ecclesia Christiana in sui initio tota fuit in Apostolis, atque discipulis Christi, qui sane et erant visibiles, et super eos visibiliter descendit Spiritus Sanctus. Istis visibiliter in una die sese adjunxerunt fere tria millia hominum, et rursus quinque millia, sicuti colligitur ex cap. 1. et seqq. *Actuum Apost.* ac deinceps semper existimatum fuit, eos omnes, atque solos spectare ad Ecclesiam Christi, qui eamdem cum illis primis confessionem fidei tenuerunt, neque unquam ab Ecclesia recesserunt, vel expulsi fuere. Hinc vero est ut Ecclesia semper habita fuerit societas quædam non Angelorum, sed hominum. *Ecclesia* (inquit S. Cyprianus *De Unitate Ecclesiæ*) *Domini luce perfusa est: per orbem totum radios suos porrigit.* Et S. Augustinus eamdem visibilitatem sæpius adstruxit, dum ageret contra Donatistas, atque demonstraret, veram Ecclesiam esse apud Catholicos: *Non est autem ista operta* (inquiebat contra Donatistas in lib. *De Unit. Ecclesiæ* num. 40.) *quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Idem inculcat et *Cont. litt. Petiliani* lib. 2. num. 239., et *Cont. Cresconium Donatist.* lib. 2. num. 45., atque alibi sæpe.

Dices. *Jeremiæ* 31. 33. hæc leguntur: »dabo legem meam in visce»ribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et »ipsi erunt mihi in populum." His autem verbis Vetus Ecclesia in eo distinguitur a Nova, ut illa fuerit cœtus exterior, atque visibilis, indeque acceperit scriptam legem in tabulis lapideis, hæc autem sit populus interior, cui lex in corde insculpta fuerit. 2. *Lucæ* 17. 20. et 21. interrogatus Christus a Pharisæis, quando veniret regnum Dei, respondit: *Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* 3. *Joan.* 4. 23. *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Hebræor.* 12. 18. 22. *et* 23. *Non accessistis ad tractabilem montem . . . sed ad Sion, montem, et civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, et multorum Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primiti-*

vorum, qui conscripti sunt in cælis. Tandem I. *S. Petri* 2. 5. *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis. Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo.* Hæc autem omnia ostendunt, Ecclesiam esse invisibilem.

R. Ad 1. respondeo, Jeremiam non Ecclesiam cum Synagoga, sed Vetus Testamentum cum Novo comparare, atque ex illius ratione dicendi colligi hoc unum, contineri in illo legem terroris, et operantem tantum extrinsecus, in isto autem legem caritatis, et gratiæ, sive ipsam gratiam *in tabulis cordis carnalibus, non autem in tabulis lapideis*, sicuti loquitur Apostolus II. *Corint.* 3. 3. Ex hoc autem non consequitur, Ecclesiam nunc esse simpliciter invisibilem, sed tantum in ea esse multa invisibilia, ut fidem, caritatem, et alia dona Sancti Spiritus.

Ad 2. dico, nomine regni non Ecclesiam, sed Christum intelligi debere. Pharisæi interrogaverunt Christum, quando regnum Dei venturum esset, id est, regnum Messiæ, in quo ipse gloriosus dominaretur omnibus: Judæi enim putabant, sicuti et nunc quoque putant, hujus mundi futurum esse regnum Messiæ, in quo Deus in Christo, et ipsi in Christo dominarentur omnibus nationibus. Respondit Christus, Messiam venisse, iterumque venturum in die Judicii. De primo adventu ait: *Regnum Dei non venit cum observatione*, id est, sine signis, et illo apparatu, quem Judæi expectabant: de secundo autem superaddit v. 23. *Et dicent vobis: ecce hic, et ecce illic: nolite exire, neque sectemini.*

Ad 3. respondeo, prædictis verbis indicari, cultum internum in Ecclesia esse futurum: ex hoc autem Ecclesia non redditur invisibilis, quum inde non consequatur, ut et exterior cultus, et cæremoniæ ritusque exteriores, aut ipsa templa destrui debeant. Loquitur ergo Christus de ritu adorandi, atque veros cultores dicit adoraturos Patrem neque in monte Garizim, neque in Hierusalem, hoc est, neque ritu Samaritanorum, neque ritu Judæorum, sed Christianorum, qui est in spiritu, et veritate. Ita accipi debere verba Christi, inde quoque constat, quia Petrus, et Joannes, sicuti legitur *Actorum* cap. 3. 1., post acceptum Spiritum Sanctum ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.

Ad 4. dico, ex verbis Apostoli omnino perspicuum esse, eum nomine Sion spiritualis, et civitatis Dei viventis non intelligere Ecclesiam militantem, sed triumphantem in cælis. In hac enim habetur frequentia multorum millium Angelorum, et illorum primitivorum, qui conscripti sunt in cælis.

Ad 5. respondeo, aliquid dici posse spirituale dupliciter: 1. quia in se revera tale est: 2. quia licet in se non sit, tamen refertur ad aliquid spirituale, vel spiritus in eo dominatur. Hac vero ratione I. *Petri* 2. 5. omnia bona opera vocantur hostiæ spirituales; et I. *Corint.* 15. 44. corpus dicitur spirituale. Quando ergo S. Petrus dicit, Ecclesiam esse domum spiritualem, in hoc altero sensu loquitur.

§. II.

De Indefectibilitate Ecclesiæ visibilis.

Ecclesia considerari potest et prout est invisibilis, quatenus continet solummodo justos, ut prout est visibilis, quatenus est cœtus hominum, qui et professione unius, ejusdemque Christianæ fidei, et communione eorumdem Sacramentorum simul conjungitur sub regimine legitimorum pastorum, et præcipue Rom. Pontificis: de hominibus autem spectantibus ad hujusmodi cœtum non quæritur, utrum justi, vel injusti sint. Etiam Novatores (a) concedunt, Ecclesiam, quatenus est invisibilis, indefectibilem esse: negant vero, quatenus est visibilis, et quidem ideo negant, quia, semel posita defectibilitate Ecclesiæ visibilis, sibi inde prospectum esse posse, vident. Nam non sentire non possunt vim argumenti, quo urgentur a Catholicis, dum ab eis quærunt successionem suæ originis. Respondent enim, se non successisse cœtui cuidam visibili, qui profiteretur omnes illos articulos, quos ipsi defendunt, sed cuidam invisibili cœtui hominum, in quorum cordibus Deus servaverit veram fidem, et caritatem in ipsa corruptione Babylonis. Ita nunc ergo contra eos, ut non habeant, quo evadere possint.

Prop. Ecclesia visibilis est etiam indefectibilis.

Prob. prop. *Matt.* 16. 18. ait Christus: »Et super hanc petram ædi»ficabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam." De visibili autem petra Christus loquebatur, quum de Petro loqueretur, super quem suam Ecclesiam ædificandam esse affirmavit: igitur et de visibili Ecclesia futurum esse, statuit, ut portæ inferi adversus eam non prævalerent. Neque id solummodo affirmavit Christus, sed etiam quomodo futurum esset, aperte significavit, sicuti legitur *Matt.* cap. ult. Nam antequam præciperet Apostolis, ut euntes in mundum universum docerent omnes gentes, atque baptizarent, sibi datam affirmavit omnem potestatem in cælo, et in terra: postea vero ne timerent, dum mandatum sibi munus exequerentur, superaddidit: v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hæc autem verba ad Ecclesiam visibilem Christus direxit, hoc est, ad Apostolos, ceterosque discipulos, quos in die suæ Ascensionis alloquutus fuit. Quum vero iidem in hac vita permansuri non essent usque ad consummationem sæculi, inde necessario consequitur, eamdem promissionem factam quoque fuisse successoribus eorum usque ad consummationem sæculi. Hinc Apostolus *Ephes.* 4. v. 11. et seqq. ita habet: »Et ipse dedit quosdam quidem »Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios au»tem Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus mi»nisterii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in »unitatem fidei, et agnitionis filii Dei." Apostoli autem, Prophetæ, Evan-

(a) Vide Bellarminum *De Eccl. militante* lib. 3. cap. 13.

gelistæ, Pastores, atque Doctores, et ipsi in se spectati sunt quid visibile, et eisdem committitur cura gregis visibilis: si ergo donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, hæc varia munera Christus constituit in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, inde unicuique perspectum esse debet, nunquam futurum, ut visibilis Ecclesia deficiat.

Patrum quoque hac de re unanimis semper sententia fuit: nonnullos tantum commemorabimus. S. Cyprianus epist. 71. »Una est Ecclesia, »(inquit) quæ vitæ æternæ gratiam consequuta et vivit in æternum, et »vivificat Dei populum" S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. 4. ait: »Supra »petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, »ventisque subvertetur." S. Augustinus in *Psalm.* 101. *Serm.* 2. num. 8. disputans contra Donatistas, qui Ecclesiam visibilem periisse effutiebant, et in Africa in solis quibusdam justis remansisse: »Sed illa Eccle»sia, (ait) quæ fuit omnium gentium jam non est, periit. Hoc dicunt, »qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in il»la non es? Vide, ne tu ideo non sis: nam illa erit: etsi tu non sis."

Erit, inquam. Nam si Ecclesia visibilis aliquando defecisset, aut defectura esset; tunc nullus amplius saluti locus superesset, quia nemo illi societati nomen dare potest, quæ est invisibilis, ignoraturque, quo in loco sit. Igitur necesse est, ut semper in Ecclesia sit visibile caput, sint Episcopi, atque Presbyteri, sint Fideles, qui regantur, atque pascantur.

Quæ ab Adversariis contra afferuntur ad evincendum Ecclesiam in natione Judaica sæpius defecisse, nunc omittimus, quia licet hoc daremus, nihil tamen contra nos inde evinci potest. Nos enim de Ecclesia Novi Testamenti agimus, non de Ecclesia Testamenti Veteris, dicimusque, quod etiamsi ista aliquando defecisset, consequens non fore, ut et illa deficere posset. Nam quam Christus suæ Ecclesiæ perpetuitatem promisit, Synagogæ promissam fuisse, non legimus.

Dices. Longa schismata in Ecclesia fuisse quoad illius visibile caput, a nemine negari potest: tunc vero Ecclesiam defecisse, dici debet. Defecit tunc quoque, quando fere omnes Præsules ejus Arrianæ hæresi subscripserunt: unde illa vox S. Hieronymi in *Dialogo cont. Luciferianos* in fine: *Ingemuit totus orbis, et se Arrianum esse, miratus est.* Et S. Hilarius in lib. *Cont. Auxentium* num. 12. »Male Ecclesiam Dei in te»ctis, ædificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. . . . »Montes mihi, et sylvæ, et lacus, et carceres, et voragines sunt tu»tiores."

R. ad 1. Summum Pontificem esse caput morale Ecclesiæ, non vero physicum: capitis vero moralis non est tanta necessitas, ut sine eo corpus morale nullo modo, atque tempore subsistere possit, quemadmodum contingit in corpore physico, semel ac abscindatur caput illius. Unde quemadmodum, mortuo Rege, statim non deficit regnum ejus, etiamsi non habeatur statim, qui succedat; ita Ecclesia semel ac legitimo capite destituatur, manca quidem est, non tamen desinit esse respublica Fi-

delium, qui et professione unius, ejusdemque Christianæ fidei, et communione eorumdem Sacramentorum sub regimine legitimorum pastorum simul uniuntur.

Ad 2. respondeo, falsum esse, omnes fere Præsules hæresi Arrianæ consensisse. Cornelius Jansenius in lib. inscripto: *Notarum Spongia* cap. 76. contra Gisbertum Voetium plures fere ubique gentium recenset Episcopos, qui Arrianis semper acriter restiterunt. Illud etiam advertatur oportet, Patres Ariminenses non consensisse hæresi Arrianorum, quamvis vocem *consubstantialis* tollendam e medio decreverint, decepti quidem ab Arrianis, non vero consentientes in errorem illorum. Qua de re videri potest Thomassinus *Dissert.* 5. in *Synod. Ariminen.* et Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccl.* sæculo 4. Dissert. 33. Quare S. Hieronymus et nomine orbis intellexit magnam partem illius, et dum dixit: *Arrianum se se esse, miratus est*, loquutus est de eo, quod præseferebatur ex ipsa materiali consensione Catholicorum cum Arrianis, non vero ex consensione reali, quæ revera inter eos intercessisset. Nam in *Dialog. advers. Luciferianos*, data opera, ostendit, fidei professionem, cui subscripsere Patres Ariminenses, fuisse Catholicam, si attendatur ad verba: ac propterea, ipso sentiente, Patres Ariminenses in illam consenserunt, quia putarunt, sensum respondere verbis. S. Hilarius hoc loci de Ecclesia Mediolanensi loquitur, in qua multi Auxentium uti catholicum habebant. Eum ipse vocat Antichristum, atque monet omnes, ut ab illo sibi caveant: »Unum moneo (inquit) cavete Antichristum: male enim »vos parietum amor cœpit, male Ecclesiam Deo in tectis, ædificiisque »veneramini. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum?" scilicet, Auxentium; indeque dicit, velle se manere cum recta fide potius in carceribus, et speluncis, quam in templo Dei cum hæreticis.

§. III.

De Infallibilitate Ecclesiæ.

Ecclesia considerari potest dupliciter, et quatenus repræsentatur ab Episcopis in Concilio Œcumenico congregatis, et quatenus per orbem dispersa est, juxta quam acceptionem nos de ea modo agimus: quæ quidem rursus considerari potest et quoad omnes pastores singularum Ecclesiarum, et quoad omnes fideles, qui suis singularibus pastoribus subjiciuntur. Unde infallibilitas accipi potest tum active respectu pastorum, tum passive respectu fidelium illis subjectorum. Active quidem quoad illos, quia ad eos spectat docere populum in omnibus præceptis fidei, et morum: passive quoad istos, quia a suis pastoribus sunt in iisdem edocendi.

Protestantes infallibilitatem Ecclesiæ tribuunt, semel ac ipsa credendum, faciendumque proponat, quod in Sacris litteris revelatum habe-

mus (a): verum inde consequitur, semper ambigua futura, quæ ab Ecclesia credenda, vel facienda proponuntur. Si enim aliter pronuntiare potest, ac Sacra Scriptura sane intellecta exigit, semper quis cavillari poterit, definitioni Ecclesiæ standum non esse, quia non est illa conformis Sacris litteris. Quare affirmandum est, nunquam futurum, ut Ecclesia fallatur, quia semper sequitur divinum magisterium, semper Divino Spiritu regitur, et fieri non potest, ut ea, quæ non sunt inspirata divinitus, uti certa fidei, vel morum præcepta proponat.

Prop. Infallibilitas, sive active, sive passive accepta est propria Ecclesiæ in iis omnibus, quæ ad fidem, aut mores spectant.

Prob. prop. prior pars. Ea de causa Christus posuit pastores in Ecclesia, ut sibi subjectum gregem regerent (*Actorum* cap. 20. 28.) ut docerent omnes gentes (*Matt.*, cap. 28. 19.) ut essent »ad consummatio»nem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi ... »ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento do»ctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris." (*Ephes.* cap. 4. 11. et seqq.) ut illis cuncti obtemperarent (*Lucæ* cap. 10. v. 16.) ac propterea sicuti Ethnicus, et publicanus haberetur, qui Ecclesiam non audiret (*Matt.* cap. 18. 17.) Hæc vero omnia simul unita tam evidenter ostendunt, hanc infallibilitatem, de qua loquimur, in omnibus simul pastoribus inesse, ut, ea semel sublata, non sine maxima blasphemia dicendum sit, Christum et suæ Ecclesiæ male consuluisse, et saluti Fidelium non prospexisse, immo eis illusisse, dum præcepit omnibus, ut pastoribus non aliter, ac sibi, obtemperarent.

Quæ vero munia in regimine Ecclesiæ Christus Apostolis demandavit ad salutem Fidelium, etiam successoribus eorum demandata fuisse, et Christus confirmavit (ut unum tantum attingam) dum cum Apostolis se futurum dixit omnibus diebus usque ad consummationem seculi, et ipsum quoque Ecclesiæ regimen postulat. Nam semper subest periculum, ne omni vento doctrinæ circumferamur in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, quemadmodum longa experientia comprobatum habemus. Hinc S. Cyrillus in epist. *Synodica* ad Nestorium, postquam eum monuit, jurare debere, se et sequi, et docere, quæ docent omnes, quotquot vel in Occidente, vel in Oriente vivunt Episcopi, doctores, et duces populorum, ita concludit: »Hæc est enim Catholicæ, »Apostolicæque Ecclesiæ fides, in qua universi Occidentis, et Orientis »Orthodoxi Episcopi consentiunt."

Prob. altera pars. Eamdem autem infallibilitatem in omnibus simul Fidelibus innesse, nimis perspicuum est. Quandoquidem, sicuti habet S. Cyprianus epist. 69., est »Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, et pa»stori suo grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, »et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia »non esse." Semel ac ergo nomine Fidelium intelligantur, quemadmo-

(a) Videantur Walenburchenses Tract. 3. *De Ecclesia* part. poster. num. 10., et Tract. 3. De Articul. fidei necessar. cap. 57.

dum intelligi debent, qui adhærent suis pastoribus, et e contrario putandum sit, in Ecclesia non esse illos, qui cum Episcopo non sunt; inde profecto necessario consequitur, ut sicuti in pastoribus simul acceptis tam in iis, quæ ad fidem, quam in aliis, quæ spectant ad mores, nullus error obrepere potest; ita etiam de gregibus simul unitis idem omnino putandum sit.

Est ergo Ecclesia juxta Apostolum I. ad *Timot.* 3. 15. *Columna, et firmamentum veritatis*, et ab ipso Christo, sicuti a suo principali capite, regitur, atque gubernatur: nam sicuti habet idem Apostolus *Ephes.* 1. 22. et seq. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 5. 23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Hæc autem ostendunt Ecclesiam, etiam prout continet omnes Fideles subjectos pastoribus, errori obnoxiam esse non posse. Hinc S. Augustinus lib. 7. *De Baptismate* num. 102." »Nobis tutum »est . . . fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei »nostri, et Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione ro»boratum est."

Dices. Semel ac esset ista infallibilitas vel in omnibus simul Episcopis, vel in universo cœtu Fidelium, frustra Concilia et coacta fuissent, et cogerentur ad definienda dogmata fidei: ergo. Prob. ant. Ad hoc satis fuisset consulere, quæ esset fides vel omnium Episcoporum, vel cunctorum Fidelium: ergo.

R. dist. alterum ant.; semel ac Ecclesia agere tantum sua auctoritate voluisset, conc., semel ac etiam discussione, et examine agere voluerit, neg. Ecclesia ergo sæpissime non sola suprema auctoritate contra hæreticos agere voluit, sed etiam exemplo Apostolorum, qui Antiochiæ congregati statuerunt, Fideles ad servanda legalia non esse cogendos, antequam suum judicium ferret, examen adhibuit, et quid in divino verbo tam scripto, quam non scripto traditum esset, diligentius inspexit, quid in Ecclesiis unanimiter doceretur, animadvertit, etiam communis fidei omnium Fidelium rationem habuit, atque post hæc suam ore Patrum in Concilio simul unitorum sententiam protulit. Hoc enim modo pervicaciam hæreticorum facilius frangi posse vidit, atque a se ea omnia sarvata esse, recte putavit, quæ ad depellendam nebulam erroris quam maxime conducere posse videbantur. Quare Concilia suam maximam utilitatem habent, quamvis Ecclesia sit infallibilis.

CAPUT QUARTUM.

De Forma Ecclesiæ.

Antequam definiatur a nobis, quænam sit forma Ecclesiæ, illud adverti debet, præcepisse Christum, ut Cæsari redderentur, quæ essent illius atque Apostolum *Roman.* cap. 13. v. 1. denunciasse omnibus, ut sublimioribus potestatibus subjecti essent, sicuti etiam S. Petrum in I. epist. cap. 2. v. 13. Hanc vero subjectionem tum Christus, tum duo

Sancti Apostoli inculcarunt etiam habita ratione Principum Ethnicorum, qui tunc dominabantur. Quid vero ex hoc consequatur, modo videbimus.

Volunt Protestantes, Ecclesiam quoad exteriorem politiam mutuari suam omnem auctoritatem a civili potestate. Quamvis autem quidam eorum plus, alli minus in isto negotio sæculari potestati tribuant, in eo tamen omnes consentiunt, ut Principis sint præcipuæ partes in exteriori administratione Ecclesiæ. Qui *Collegiales* dici inde possunt, quia Ecclesiæ non *status*, seu rei publicæ, sed *collegii* tantum rationem convenire statuunt, plus ceteris exteriorem Ecclesiæ politiam civili subjectam faciunt, quia collegium quidquid auctoritatis habet, a Principe habet. Inter istos Pufendorfius id acrius tuetur in suo illo singulari libello, quem inscripsit: *De Habitu Religionis Christianæ ad civilem*, in quo §. 32. tuetur Ecclesiam non esse *statum*, qui sane imperium sibi proprium habet, sed *collegium*, cujus tota auctoritas est a Principe. In duobus distinctis §§. pugnabimus contra errorem Protestantium: in priori agemus de oppositione, quæ est inter formam collegii, et formam Ecclesiæ: in altero de Ecclesiastica Hierarchia.

§. I.

De Oppositione, quæ est inter formam Collegii, et formam Ecclesiæ.

Prop. Institutioni Ecclesiæ repugnat, ut ea instar collegii habeatur.

Prob. prop. Christus, antiquata Veteri lege, quia jam advenerat, quod eadem præfigurabatur, Novam promulgavit, eamque omnibus, qui salutem æternam consequi vellent, servandam indixit, sicuti *Matt.* cap. 28. v. 18. et seqq. legitur. Quare Christus absoluta potestate legem Evangelicam posuit: absoluta potestate præcepit Apostolis, ut eam ubique promulgarent: absoluta potestate servanda præcepit sua mandata, atque etiam absoluta potestate edixit, eos vitam æternam consequuturos, qui illa servaverint, in æternum autem perituros, qui transgressi fuerint. Auctoritate ergo Christi sunt constituta ea omnia, quæ ad Ecclesiam spectant: igitur institutioni ipsius Ecclesiæ repugnat, ut ea habeatur instar collegii, quod nulla ex se auctoritate potitur, sed omnem, quam habet, a Principe habet.

Deinde, ut ea modo non attingamus, quibus Protestantes dissentiunt a Catholicis, Christus præcepit Apostolis, ut suam ubique gentium legem docerent, atque ob hunc finem irent in mundum universum, et indicerent omnibus, ut, abjecta veteri superstitione, legem Evangelicam et corde profiterentur, et factis etiam exterioribus ejus præcepta servarent, si æternam salutem consequi vellent. Si ergo Christus licet inculcaverit, et suo etiam exemplo probaverit, quæ sunt Cæsaris, esse reddenda Cæsari; tamen in hoc toto negotio religionis etiam quoad actiones omnes exteriores, seu quoad omnem politiam exteriorem, non solum nullas, partes principatui tribuit, sed etiam, contra obnitentibus potestatibus laicis, vult ut Apostoli cum discrimine vitæ suo munere fungan-

tur, vult, ut contempta quoque vita, quando ad resistendum seculari potestati necesse fuerit, omnes semper alacriter profiteantur fidem Evangelicam, quam semel amplexi fuerint: si Apostoli, licet de servanda subjectione debita Principibus plura dixerint, tamen juxta Christi præceptum legem Evangelicam promulgarunt, atque Principibus etiam reluctantibus, ubique constituerunt, suaque predicatione effecere, ut homines etiam in suis actionibus longe aliter, ac antea, sese haberent; profecto luce meridiana clarius patet, Ecclesiam esse rempublicam, quæ suam auctoritatem in his omnibus, quæ sunt propria illius, a seculari Principatu nullo modo mutuatur.

Et re quidem vera nonne, et Principes eadem ratione, ac ceteri omnes, in Christianam rempublicam cooptatos fuisse, legimus, semel ac ei nomen dare voluerunt? Nonne ipsi quoque legi Evangelicæ sese subjecere, atque tum animum suum, tum etiam suas actiones ad illam conformandi obligationem contraxerunt?

Frustra autem nobis contra sentientes opponunt, illam societatem, qua constat Ecclesia, esse spiritualem, itemque spiritualem potestatem Ecclesiæ: quandoquidem est quidem societas spiritualis, quia et spirituali potestate regitur, et ad finem spiritualem tendit, et ad illum assequendum utitur mediis spiritualibus: verum hæc potestas spiritualis est in hominibus, non in Angelis, et ab eis tum in actibus, tum in rebus exterioribus sensibilibus exercetur exterius, eaque id quoque peragendum præcipitur, quod est exterius, atque oculis patet. Finis item, et media spiritualia sunt: at vero actus quoque exteriores, exterior etiam ratio determinata vivendi ad eumdem finem assequendum requiritur, atque in ipsis mediis quidpiam sensibile necessario continetur, uti constat in Sacramentis, quæ inter cetera sunt media potissima omnium. Postremo nonne Ecclesia est visibilis? Igitur quædam visibilia habere debet, quæ omnium oculis subjecta sint: errorem ergo errore ii cumulant, qui Ecclesiam habere suam propriam exteriorem politiam inde negant, ut eam seculari potestati tribuant.

Dices. I. Si Christum comparemus cum Moyse, aperte constabit, Moysem quidem fuisse legislatorem, non vero Christum: ergo. Prob. ant. quoad alteram partem, quoniam de priori ne ipsi quidem Adversarii nostri dubitant. 1. Christus plura miracula fecit, ea tamen non ad ostensionem suæ jurisdictionis, sed ad benefaciendum comparata erant. 2. Quosdam sibi adscivit suæ doctrinæ sectatores, sed eos paucos, et auctoritate destitutos, quique subjicerentur illi, non sicuti Principi, sed sicuti Magistro. 3. In Regem se proclamari noluit, tributum solvit, vitamque sibi eripi passus fuit. 4. Nullam regionem sibi subjectam habuit, in qua cives reipublicæ a se institutæ sedem ponerent, et personam Principis nunquam egit: unde regatus a matre filiorum Zebedæi, ut suis filiis in regno cælorum principatum tribueret supra alios, non solum petitioni illius non satisfecit, sed etiam a suis omnem dominatum exclusit. Hæc autem omnia a conditore novæ reipublicæ prorsus aliena sunt. Ita Pufendorfius in citato libello a §. 13. usque ad 16.

R. Totam argumentationem Pufendorfii falso principio innixam esse, hoc est, Ecclesiam esse talem rempublicam, quæ ad vitam civilem, et commoda vitæ præsentis ordinata sit. Profecto licet etiam totum negotium vitæ civilis promoveatur iis, quæ ab Ecclesia multitudini suorum Fidelium servanda præcipiuntur; ipsa tamen in se spectata regimen vitæ civilis non attingit, sed tota versatur in instituendis suis filiis, prout ipsa Christiana religio singulariter exigit. Quare mirandum non est, si in illius prima institutione non habeantur ea, quæ civili Reipublicæ deesse non debent.

Verum ad majorem explicationem nonnulla primo quoad Judaicam, deinde quoad Christianam rempublicam adverti debent, indeque constabit, quam falso Pufendorfius eamdem tum in Moyse, tum in Christo agendi rationem exegerit. Lex Vetus, sicuti habet S. Thomas 1. 2. quæst. 99. art. 6. erat imperfectorum, *et per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuducebat homines ad Deum.* Unde mirandum non est, si regimen reipublicæ Judaicæ fuit etiam civile, et judicialia præcepta continebat. At vero lex nova, quæ præcipue consistit in donis gratiæ divinitus infusis, dicitur lex amoris, atque habet promissa spiritualia. »Non enim (sicuti inquit S. Augustinus *Tract. 51. in Joannem* num. 4.) Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat." Quare non est, cur opponat Pufendorfius, Christum nihil eorum egisse, quæ ab alicujus politicæ reipublicæ conditoribus agi solent.

Quæ autem Christus miracula fecit, non minus comparata erant ad benefaciendum aliis, quam ad manifestandam Divinitatem ejus, ut omnes facilius nomen darent Christianæ reipublicæ a se institutæ. Illa autem suum initium habuit in eis, qui primo in Christum crediderunt: aucta deinde fuit, dum adhuc Christus in terris degeret, ac postremo in universum orbem extensa, ejusque propagatio fuit *fructus derelictionis, tribulationis, et deprecationis ipsius Christi*, sicuti monet S. Augustinus epist. 140., alias 120., num. 43.

Fide autem, quam habemus in Christum, regnum illius in hoc mundo constituendum erat, quemadmodum S. Augustinus docet lib. *De Diversis quæst.* quæst. 69. num. 4. Unde mirandum non est si Christus supra suos Fideles eam dominationem sibi non tribuit, quam Principatus civilis in se habet. Quæ filiorum erga patrem, et discipulorum erga magistrum subjectio esse debet, hanc Christus exegit a suis, eosque sibi uti Supremo domino et fide conjunctos, et amore caritatis devinctos voluit, ac propterea sanxit leges pro iis, qui simul discipuli, filii, ac subditi illius forent.

Quia vero, quemadmodum jam animadvertimus (a), regnum Christi fuit quidem in hoc mundo, sed non de hoc mundo; ideo idem Christus

(a) *Cap. 2. in resp. ad 3.*

et noluit se proclamari Regem, et solvendo tributum civili regimini sese subjecit. Quapropter quum regnum Christi de hoc mundo non fuerit, Christum neque possedisse aliquam regionem, in qua suæ reipublicæ sedem poneret, neque Principis civilis personam sustinuisse, neque audivisse preces illorum, qui ab eo principatum petebant, sed a suis exclusisse omnem dominatum, qui esset adinstar Principum gentium, solus Pufendorfius mirari potuit, qui oblitus principiorum Christianæ reipublicæ eadem in ipsa, ac in civili, requirit. Profecto non humana industria et instituenda, et propaganda erat Christiana respublica, quemadmodum revera contigisse novimus, sed divina virtute, ideoque nulla humana media ad initium, et progressum illius requirebantur.

Propter hoc tamen non sequitur, ut ei desit aliquid illorum, quæ ad rationem veri Principatus requiruntur. Quandoquidem in quolibet Principatu plures subesse regimini unius, aut plurimorum, et unam, eamdemque legem, eadem signa exteriora, atque eumdem finem habere debent. Hæc autem omnia Ecclesia habet: non solum enim valde plures ex omnibus gentibus, atque nationibus coaluere in unam societatem, qua illa constat, sed etiam unum illius est Supremum caput, una eademque lex, eadem exteriora signa habet apud omnes, atque omnibus etiam unus, idemque est propositus finis, qui in alterius vitæ felicitate consistit. Quia vero in quovis Principatu unus per se omnia agere non potest, ideo oportet, ut in eo alii quoque a Supremo capite sint, qui publica munera gerant; Ecclesiæ quoque non desunt, qui potestate ceteris præcellant, eosque sub supremo capite regant, atque moderentur.

Dices II. Ratio agendi servata ab Apostolis ostendit, Ecclesiam esse quoddam collegium: ergo Prob. ant. Hæc agendi ratio considerari potest et quoad doctrinam, et quoad potestatem: sed quoad utramque constat, Ecclesiam esse collegium: ergo. Citati lib. §. 18. ita probat Pufendorfius priorem partem. Apostoli non suæ doctrinæ, sed ipsius Christi promulgatores fuerunt, sicuti constat ex Sacris litteris: proprium autem est collegiorum, non suam, sed alienam doctrinam proferre: ergo. Ejusdem lib. §. 19. ita probat alteram partem. 1. Potestas annuntiandi Evangelium ab ipso Christo Apostolis tributa fuit, eaque propterea, etiam repugnantibus laicis potestatibus, Apostoli uti potuere: verum hæc potestas *per modum humani imperii* exercenda non erat, sed tota versabatur in æterna salute procuranda, uti ex *Joan.* 18. 23. *Lucæ* 10. 10. manifeste constat. 2. Apostoli (ita prosequitur §. 20) nihil imperii exercuerunt, quum deberent edocere homines *sui juris*, *et puerili disciplina superiores*: præterea *quid*, *vi adhibita*, *efficerent adversus integros populos*, *ac civitates*, *inermes*, *singuli fere*, *aut bini*? 3. Ea quæ leguntur I. *Corint.* 11. 3. et seqq., atque cap. 14. 5. et seqq., I. *ad Timoth.* 2. 8. et seqq. ac cap. 5. 9. et seqq. *proprie non proveniunt ab imperio*, *aut a potestate legislatoria*, *sed a munere docendi*, *et inter præcepta moralia locum sortiuntur.* Quapropter si attendamus ad potestatem Apostolorum, ex ea quoque constat, Ecclesiam esse collegium.

R. Ab Apostolis in promulgatione Evangelicæ legis ea tradita fuisse,

quæ a Christo acceperant, neminem quandoque negasse. Respublica profecto Christiana, non vero Apostolica, per universum mundum ab illis extendenda erat: in Christum, non in se, fidem excitare debebant: præcepta Christi, non sua, oportebat, ut servanda indicerent: sacramenta a Christo instituta, non a se, futura erant signa exteriora ejus reipublicæ, quæ ut dilataretur, ipsi tantopere laborarunt. A Christo igitur, non a seculari potestate, quæ Apostoli promulgarunt, suam omnem auctoritatem habuere: at leges collegiorum a civili potestate suam omnem auctoritatem habent: dici ergo nullo modo potest, Ecclesiam esse collegium, semel ac doctrinæ ab Apostolis traditæ ratio habeatur.

R. 2., Eodem modo, quo doctrinam, etiam potestatem Apostolorum a Christo suam originem habuisse. Quare sicuti ex doctrina illorum manifestum est, Ecclesiam inter collegia numerari non posse; ita hoc idem est ex ea potestate inferendum, qua ipsi in promulgatione Evangelii usi fuerunt.

At, inquit Pufendorfius, *per modum humani imperii* hujusmodi facultas exerceri non debebat, sed erant *homines ad salutem æternam deducendi, et ad eum finem media constituenda.* Distinguo sane: quatenus homines etiam inviti pertrahendi essent ad professionem Christianæ religionis; concedo: quatenus Christiana religio, etiam invitis secularibus Principibus, promulganda non esset, aut liberum non esset hominibus, si salutem æternam consequi vellent, eam amplecti, vel non amplecti, nego. Christus ergo præcepit Apostolis, ne vi aliqua quempiam compellerent ad amplectendam Christianam Religionem: et hoc sane est, quod in pluribus Scripturæ locis inculcatur. Secularis item apparatus, secularisque potestas, noluit Christus, ut ab Apostolis præseferretur in promulgatione Evangelicæ legis. Ad hæc ergo si attendatur, potestas, quam Apostoli acceperunt a Christo, non erat *per modum humani imperii*; tamen verum imperium continebat, quo seculari potestati sibi obsistenti contradicere poterant, et revera contradixeruut, sibi habuerunt subjectos Christiana religione initiatos, iisque, qui initiari recusabant, æternas pœnas comminabantur. Quare ea potestate, quam Apostoli acceperant, erant quidem homines ad salutem æternam deducendi, atque ad hunc finem media constituenda; verum hujusmodi regimine, quod ab hominibus in hac vita, et super homines in hoc mundo exerceretur, eoque et aliquid auctoritatis tribueretur iis, qui præessent, et aliquid subjectionis imponeretur aliis, qui subesse deberent. Sub hoc deinde regimine et mores hominum singulari ratione juxta divinam institutionem informandi erant, et exterior quoque singularis cultus erga Deum institui debebat, illaque omnia etiam exterius ordinari, quæ Christianæ societatis propria erant. Quomodo vero cuncta hæc præstari sine aliquo regimine poterant?

Urget autem Pufendorfius, quod a nemine negatur, quando contendit, Apostolos nullam vim aut adhibuisse, aut adhibere potuisse in eos, quos in religione Christiana initiare sibi proposuerant. Humilitate enim, tolerantia tormentorum, atque etiam virtute illorum operum,

quæ omnem humanam facultatem longe excederent, respublica Christi instituenda, propaganda, atque ubique extendenda erat. Nunc de locis Scripturæ, quæ Pufendorfius pro se in medium adducit.

Apostolus I. *Corint.* 11. 3. de ea ratione agit, qua tum mulier, tum vir in Ecclesia orare debent, atque decernit, illam velato capite, istum autem non velato orare oportere. Id autem indicit omnibus præcipiendo v. 17. inquiens: *Hoc autem præcipio*: Corinthios deinde reprehendit, quod unusquisque in Dominica cœna manducare præsumeret, quæ ipse secum detulerat, atque ita fiebat, ut alius esuriret, alius autem ebrius fieret. Quid autem hac in re servare deberent, postquam constituit, finem dicendi hac ratione facit: *cetera autem, quum venero, disponam.* Hoc autem ejus tantum esse poterat, qui super illos legislativa potestate potiebatur.

Ejusdem epist. cap. 14. duo quoque facit Apostolus: primo constituit, quam rationem Corinthii sequi debeant in usu illorum donorum, quæ a Deo acceperant: deinde præcipit, ut mulieres in Ecclesia taceant, et docere non præsumant. Illud prius dum facit: *Volo*, inquit v. 5. dum vero hoc alterum; doctrinæ magisterium in Ecclesia feminis absolute interdicit, v. 34. Hæc autem non sunt docentis, sed præcipientis.

In epist. I. *Timot.* 3. 8. statuit, viros ubique orare oportere: cap. 5. 9. decernit, quales esse debeant illæ viduæ, quæ eliguntur. Utrumque autem cum auctoritate præscribit: *Volo ergo* (inquit) *viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione.* Et: *vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Hæc quoque non sunt profecto docentis, sed præcipientis, sicut hæc alia, ut cetera omittamus, quæ habet in epist. I. et II. *ad Corint.* In prima itaque epistola 4. 21. *quid vultis* (inquit) *in virga veniam ad vos, an in caritate, et spiritu mansuetudinis?* Cap. 51. et seqq. graviter reprehendit Corinthios, quia æquo animo ferrent illum, qui uxorem sui patris publice retinebat, atque hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis tradendum, decernit. In altera autem ad eosdem Corinthios epist. cap. 26. eundem fornicarium, qui signa veræ pœnitentiæ dederat, monet Corinthios, ut in suam communionem recipiant. Ejusdem epist. cap. 10. 6. et seqq. *in promptu se habere* (absolute affirmat) *ulcisci omnem inobedientiam ex potestate, quam dedit nobis Dominus.* Cap. 13. 2. futurum confirmat, ut præsens non parcat iis, qui peccaverunt.

Dices. III. Nomine Ecclesiæ vel universa multitudo Fidelium, vel cœtus Fidelium unius provinciæ, aut regionis intelligitur: sed ratio status non potest convenire Ecclesiæ juxta neutram acceptionem: ergo. Prob. min. 1. »Frequentissimum elogium eorum (inquit Pufendorfius ci»tati Opusculi §. 30.) ex quibus Ecclesiæ componuntur, est, quod san»cti, et fratres, et redempti sanguine Christi appellantur. Frequentis»simæ actiones audire verbum Dei, laudare Deum, preces fundere, »exercere opera caritatis, versari in timore Domini, jejunare, curam

nagere pauperum." *Sed hæc omnia* (inquit Pufendorfius) *cujusvis collegii propria sunt, non vero status*: ergo. 2. *Est igitur actio Ecclesiæ* (prosequitur Pufendorfius) *constituere doctores; tamen non est actio propria status. Nam id juris etiam privatum collegium, quod civitati subest, habere potest.* 3. Animadvertendum *ingressu in Ecclesiam non aboleri personam, quam quis in vita civili gessit, seu, suscepto Christianismo, non induci novam personam civilem, quæ priorem personam aboleat.* 4. *Citra contradictionem*, (inquit Pufendorfius §. 31.) *et absurditatem intelligi non potest, ut duo status, duoque summa imperia humana, et his respondentes in civibus obligationes in una civitate extent.* Ex his ergo semper magis constat, rationem status Ecclesiæ convenire non posse.

R. Nihil horum tale esse, quod facile non refellatur, atque illud primo est advertendum, Ecclesiam ex prima sui origine non significare aliquem statum, sed *certam affectionem reipublicæ Democraticæ*, falso Pufendorfium inde colligere, quia multi homines suum consensum *commode declarare vix possunt*, nisi in uno loco convenerint. Profecto in aliquam societatem, statum, rempublicam multi, quamvis inter se longe dissisti, unaque simul nullo modo cöeuntes, consentiunt, semel ac illius Supremo capiti sese submittant, aliis Præsidibus subjiciantur, ejusdem societatis, status, reipublicæ leges, statuta, et decreta profiteantur.

Quod autem sancti, fratres, et redempti sanguine Christi ii dicantur, qui ad Ecclesiam spectant, non efficit sane, ut in verum statum, atque rempublicam simul conjungi non possint, et revera non conjungantur, sed inde perspicitur, quænam sit hujus reipublicæ sanctitas, tum finis, tum mediorum habita ratione.

Audire verbum Dei, laudare Deum, fundere preces, exercere opera caritatis, versari in timore Dei, jejunare, habere curam pauperum, atque alia his similia, sunt quidem actiones, quæ in Ecclesia frequenter exercentur. At vero Ecclesia anne hæc tantum habet, quæ et collegiorum propria esse possunt? Nonne in ea sunt etiam ministeria illorum, qui præsunt, et rempublicam Christianam regunt? Nonne ipsa suas proprias leges independenter a quacumque humana potestate habet? Nonne iisdem omnes parere debent, etiam Principibus contradicentibus? Immo nonne iisdem etiam Principes sese subjiciant, oportet, si hujus reipublicæ membra esse velint? Fortasse hæc omnia, et alia multa, quæ supra commemoravimus, in collegium cadere possunt?

Est quidem actio Ecclesiæ costituere doctores; at Ecclesia et in hac sola actione non versatur, et quomodo ipsa versatur, collegia versari nullo modo possunt. De hoc altero nunc paucis, quoniam de priori sæpius egimus. Ecclesia igitur quum suam legem, doctrinam, atque præcepta, non solum a laico principatu non habeat, sed ab ipso Christo habeat; quum lege, doctrina, atque præceptis illius, independenter a civili potestate ad vitam a priori omnino aliam homines non solum interius, sed etiam exterius informentur; quum auctoritas præceptorum

Christianæ Religionis supra auctoritatem legum civilium prævalere debeat; quum demum propter Christianam Religionem semel receptam, si ad defensionem illius necesse fuerit, vitæ quoque periculum subeundum sit; nemo non videat oportet, etiamsi attendatur ad solam docendi potestatem, Ecclesiam dici collegium nullo modo posse. In eo enim collegii natura posita est, ut regimen ejus, potestas, atque leges a civili potestate pendeant.

Suscepto autem Christianismo, non indui novam personam civilem, quæ priorem personam aboleat, hoc est, eam, quam quis in vita civili gessit, antequam Christianam Religionem amplecteretur, Pufendorfio damus. Nam Christiana Religione a laica potestate non solum nemo subtrahitur, sed ei magis, magisque subjicitur, atque obligatione fortiori devincitur ad implenda ea omnia, quæ præcipit vita civilis, dum tamen ea legi ipsius Christi non opponantur.

At citra contradictionem, Pufendorfius reponit, *intelligi non potest, ut duo status, duoque summa imperia humana in una civitate extent.* Sane concedo, non posse intelligi citra contradictionem esse in una civitate duo imperia et *summa*, et *humana*. Semel ac enim summa sint, duo esse non possunt, quia tunc nullum eorum summum esset, hoc est, super omnia, quatenus nullum sibi superius, aut etiam æquale haberet. Quia vero hæc duo imperia semel ac humana essent, rem omnino eamdem quoad omnia attingere deberent, unum eorum posse deberet, quod alterum, et sicut hoc alterum omnia posset, ita et illud prius: unde utraque possent omnia, et non possent: possent quidem, quia summa; non possent, quia duo, et ejusdem conditionis. At nulla sane pugna est inter regimen Ecclesiæ, et Principatus, etsi utraque in suo genere summa sint: nam utriusque est diversa potestas, diversa media, atque diversus finis, licet in sua diversitate unum alteri nullo modo opponatur. Utrumque enim regimen a Divina potestate, etsi diverso modo; atque ratione, proficiscitur, eademque potestate sunt utriusque et distincta munera, et constituti fines. Ipse quoque Pufendorfius vidit diversitatem utriusque regiminis: unde suæ argumentationi hæc statim opposuit: *Ecclesiam, et rempublicam diversos habere fines, et circa objecta occupari sibi invicem non repugnantia.* Quid vero ille ad hæc, ut ea argumentatio, qua usus fuerat, saltem aliquo modo apparenter vim suam retineret? *Inde haudquaquam* (inquit) *consequitur, Ecclesiam in statum convertendam.* Acuta sane evasio, quæ nodum difficultatis non solum non solvit, sed nequidem attingit.

S. Optati locum nunc expendamus, quem multi opponunt, qui laicam potestatem supra Ecclesiasticam extolluut, Ecclesiamque Principatui subjiciunt. Ita ergo habet S. Optatus in lib. 3. *Cont. Parmenianum*: *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, id est, in Imperio Romano.* Et paulo post: *quum super Imperatorem non sit, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.*

f At licet ista contra nos facere videantur; tamen revera nullo modo faciunt. Donatistæ igitur ab unitate Catholicæ Ecclesiæ se separaverant,

eoque audaciæ devenerant, ut apud se tantum veram Ecclesiam permanere affirmarent. Quare omnes Catholicos aversabantur, ac Donati tanta impudentia fuit, ut accipere recusaverit eas eleemosynas, quas Constantinus ad sublevandam inopiam Ecclesiarum in Africam miserat, atque in hæc verba proruperit: *quid est Imperatori cum Ecclesia?* Optatus ergo de tam superbo despectu arguit Donatum, eique opponit auctoritatem Apostoli præcipientis, ut Principibus reverentia deferatur: *jam tunc meditabatur* (inquit) *contra præcepta Apostoli Pauli Potestatibus, et Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audierat, quotidie rogare debuerat.* Postea vero hæc alia superaddit, quæ nobis opponuntur: *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, hoc est, in imperio Romano.* Quare non rempublicam in Ecclesia esse, sed Ecclesiam in republica eo sensu Optatus affirmavit, ut Regibus, atque Potestatibus deferendus sit honor etiam ab iis, qui in Ecclesia præsunt. Hinc Donatum ita urgere pergit: *Merito Paulus docet, orandum esse pro Regibus, et Potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret: quanto quod Christianus? quanto quod Deum timens? quanto quod religiosus? quanto quod misericors, ut ipsa res probat?* Quare Optatus hoc in loco ea de subjectione sermonem habet, quæ Imperatoribus etiam *gentiliter* viventibus juxta Apostolum debetur. Quis autem unquam putaverit, Ecclesiam etiam in istorum imperio contineri? Est itaque tota Optati ratio ad id comparata, ut et Imperatoribus honorem deferendum evincat, et Donatum de Imperatoris contempta majestate redarguat.

At super Imperatorem esse solum Deum, qui fecit Imperatorem, S. Optatus affirmavit. Ita sane: verum habita ratione Principatus civilis, indeque arguit Donatum, quod Carthaginis Principatum se tenuisse crederet, vel saltem præseferret, quia in eo, quod non poterat, neque debebat, Imperatori restiterat: *Carthaginis Principatum* (inquit) *se tenuisse crediderat, quum super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* Quapropter Optatus Imperatorem a Deo secundum dicit, et quia ejus civilis potestas est a Deo, et quia principatum illius nemo sibi arrogare potest, sicuti Donatus facere præsumpserat? Ex S. Optati ergo verbis nihil minus colligi potest, quam nostri Adversarii vellent; eo vel maxime quia in priori lib. *Advers. Parmen.* cap. 13. vocat Episcopos *Apices*, et *Principes* omnium, qui in Ecclesia constituti: sunt autem in Ecclesia constituti etiam Imperatores. Illud nunc tantum superaddendum arbitramur, quod hac de re habet S. Ambrosius Epist. Classi 1. epist. 21. num. 36. »Quid enim honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ »filius esse dicatur? Quod quum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia »dicitur. Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bo»nus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc ut hu»milirer dicimus, ita constanter exponimus."

§. II.

De Hierarchia Ecclesiastica.

Ecclesiasticam Hierarchiam dici debere *Principatum Sacrorum* Petavius putabit lib. 2. *de Angelis* cap. 2. num. 2. S. Thomas 1. p. quæst. 108., art. 1., cui multi assentiuntur non solum ex veteribus, sed etiam ex recentioribus, sicuti Cellotius lib. 1. *de Ecclesiast. Hierarch.* cap. 2., Hallerius item *de Ecclesiast. Hierarch.* lib. 1. sect. 2. cap. 1., et Mamachius *Orig. et Antiquit. Christ.* lib. 4. cap. 3. §. 4. *Sacrum Principatum* dicendam esse censuit. Ecclesiasticam Hierarchiam componunt personæ dignitate, atque auctoritate præfulgentes in Ecclesia, sicuti Tridentinum Concilium sess. 23. can. 6. definivit. Profecto Principatus ad personas referri debet, non ad ea, quæ subjiciuntur Principatui: refertur ad personas, si *sacer Principatus* Ecclesiastica Hierarchia esse dicatur: ad ea vero, quæ subjiciuntur, et loco materiæ debent haberi; si nomine Hierarchiæ *Principatus Sacrorum* intelligatur.

Hierarchia in se spectata potest definiri gubernandorum Sacrorum potestas, et functio, sicuti a S. Maximo initio *Scholiorum in cælestem Dionysii Hierarchiam* traditum habemus: cujus quidem prefecturæ in Ecclesia sunt diversi gradus, quibus curandorum sacrorum diversa potestas respondet. Episcopi autem, Presbyteri, et ministri complent hujusmodi gradus, et Romanus Pontifex supra omnes singulari ratione præcellit.

Quum igitur Hierarchia sit sacer principatus, atque principatus duo complectatur, hoc est, et principem, qui dominatur, et eos, supra quos dominatur, inde consequitur, ut Hierarchia non solum Antistites, atque administros ecclesiarum in se complectatur, sed etiam alios, qui iisdem Antistitibus, et administris subjecti esse debent. »In nomine principatus »(inquit Angelicus cit. loco) duo intelliguntur, scilicet ipse Princeps, et »multitudo ordinata ad Principem."

Mamachius *Orig., et Antiquit. Christian.* lib. 4. cap. 3. §. 3. Adnot. 2. eos Lutheranos, et Calvinistas recenset, qui Hierarchiam in quodam sacro ministerio reponunt, atque ab ea exclusam volunt omnem rationem Sacri Principatus, ita ut ordo doctorum, et præpositorum Ecclesiæ in quodam sacro ministerio positus sit. Nunc igitur contra istos.

Prop. I. Talis est Hierarchia christianæ reipublicæ, ut in ea regimen sit penes Clerum, a Laicis autem obedientia præstari debeat.

Prob. prop. Ecclesiastica Hierarchia constat Episcopis, Presbyteris, et Diaconis, seu Ministris, sicuti loquuntur Tridentini Patres. Ses. 23. Can. 6. »Neque ministri (ait Thomassinus *de Vet. et Nov. Eccl. Disscipl.* part. 1. lib. 1. cap. 51. num. 2.) alii sunt, quam Diaconi, ut apparet ex significatione vocis, et propriis Scripturæ ipsius terminis. Verum eo maxime verbo uti voluit Sacra Synodus, ut innueret, minores »omnes Ordines, quia quasi quædam Diaconatus decerptæ portiones sunt, »divina illa Hierarchia comprehendi." Nunc ergo auctoritate Patrum

ostendemus, Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum proprium esse, regere laicos in iis omnibus, quæ spectat ad Christianam Rempublicam, laicos autem in iisdem subesse oportere Episcopis, Presbyteris, et Diaconis. S. Clemens epist. 1. *ad Corint.* num. 40. ait: »Summo quippe Sacer»doti sua munia tributa sunt: et Sacerdotibus locus proprius præstitutus: »Levitis quoque sua ministeria incumbunt: homo laicus præceptis laicis »constringitur." Habita ratione eorum, quæ S. Clemens summo Sacerdoti, Sacerdotibus, atque Levitis tribuit, ait S. Ignatius Martyr in epist. *ad Magnesianos* num. 6. »Hortor, ut hoc sit vestrum studium, in Dei »concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, et Presbyteris lo»co senatus Apostolici, et Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum »est ministerium Jesu Christi." Num. 13. »Studete igitur, ut confirmemini »in dogmatibus domini.... cum dignissimo Episcopo vestro, et digne con»tenta spirituali corona Presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus »Diaconis." In epist. *ad Trallianos* num. 1. »Quum enim Episcopo subjecti »estis, ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum homines, sed secun»dum Jesum Christum vivere... Necessarium itaque est, ut sine Episcopo »nihil agatis. Sed et Presbyterio subditi sitis... Oportet autem, et Diaconos »mysteriorum Jesu Christi ministros omnimode omnibus placere." Tandem *ad Smyrnæos* num 8., ut alia omittam: »Omnes Episcopum sequimini, »ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium, ut Apostolos, Diaconos au»tem revereamini, ut Dei mandatum. Sine Episcopo nemo quidpiam fa»ciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent." S. Clemens Alexandrinus lib. 6. *Stromatum* num. 13. »Nam hic quoque (inquit) in Ecclesia progres»siones Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum sunt, ut arbitror, »imitationes gloriæ Angelicæ." S. Optatus Milevitanus lib. 1. *Cont. Parmenianum*: »Quid commemorem laicos; qui tunc in Ecclesia nulla fue»runt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? Quid Presbyteros in »secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices, et principes omnium ali»qui Episcopi?" Ex his omnibus, ut nunc una cum aliis Patribus gratia brevitatis omittamus S. Cornelium Pontificem in epist. ad Fabium Antioch. apud Constantium in *Collect. epist. Roman. Pontif*, S. Cyprianum epist. 4 et 11., atque Origenem Homil. 1. in Psal. 37. num. 2., hæc duo constant: I. in Christiana republica laicos distingui ab iis, qui spectant ad Clerum: 2. Episcopos, Presbyteros, et Diaconos pro suo quisque modo tenere regimen Ecclesiæ, iisque laicos subesse debere. Quum igitur in Hierarchia sit quædam sacrorum gubernandorum potestas, constat sane, eam in Ecclesia esse Hierarchiam, in qua regimen sit penes Clerum, a laicis autem obedientia præstari debeat.

Dices. cum Rigaltio in *Adnotationibus* ad 2. epist. S. Cypriani et quidem 1. Unum est ovile Christi, et tam pastores, quam oves in eo continentur. Quod autem de ovili dicitur, etiam de Ecclesia dicendum est; quum omnes Ecclesiæ sint una Ecclesia, omnibus cœuntibus in unum corpus sub uno capite Christo. Unde etiam Clerus spectat ad unum ovile, unamque Ecclesiam; quare ministerium quidem sacrum cadit in Clerum, non vero præfectura, seu regimen.

2. S. Petrus in v. 3. cap. 5. suæ 1. epist. ad res christianas designandas usus fuit voce Cleri, dum Seniores monuit, ut pascerent gregem sibi commissum, *neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

3. Discipuli, et Apostoli Christo obsequuti fuere, idemque *ævo proxime sequenti* in Ecclesia servatum fuit: At, inquit Rigaltius, »exinde »nonnullos ovilibus christianis adeo graves, et asperos incubuisse Pasto»res, ut ab illis ad nos antiquissimæ origines fluxerint morum, et rituum »ab illa primæva sinceritate alienissimorum."

4. Hinc Paulus post suum discessum futurum prospexit, ut lupi gregi insidiarentur.

5. Viri Apostolici servarunt formam ovilis traditam a Christo: »sed »vix alterius seculi disciplina fuit (inquit Rigaltius) quum ipsi Pastores »nomen Cleri, quod erat ovium universitati commune, sic proprium sibi »fecerunt, ut jam nomen ipsum ovilis in populi, sive plebis, et laico»rum appellatione vilesceret."

R. Christum Ecclesiam per se regere noluisse, indeque in ea constituisse Hierarchiam, quum fieri non possit, ut recte ordinata societas habeatur, vel semel habita diutius consistat, si non sint, qui illam cum potestate regant, et moderentur. Semel ac id desit, quævis societas, licet paucorum, consistere non potest: quanto igitur minus poterit consistere ea societas, in quam omnes gentes, et nationes ubique terrarum dispersæ convenerunt, qualis est societas, quæ Christianam Rempublicam constituit? Hoc sane certissimum est, si tam ad civile, quam ad Ecclesiasticum regimen attendatur. Quia vero unus, quoad rem istam, omnia præstare non poterat, immo vero neque etiam plures ac cuncta sufficiebant, sicuti etiam in politicis societatibus contingit, oportuit, ut quidam ministri inferiores in hujusmodi curæ partem aliquam venirent, et nutu superiorum præsulum suis muneribus incumberent. In hoc tota ratio Hierarchiæ, et Cleri posita est. Nam Hierarchia est Sacer Principatus, qui constat Episcopis, imprimisque Romano Pontifice, Presbyteris, atque ministris.

Ad 1. nunc dico, esse sane unum ovile Christi, in quo continentur etiam pastores: verum quia ovium est subesse pastoribus, regere autem illas spectat ad istos; ideo pastores, licet contenti in ovili Christi, cum auctoritate, et potestate ovibus præesse debent. Ecclesia est una, in qua etiam pastores continentur; tamen ipsa instar collegii non potest haberi, sed uti vera Christiana Respublica habeatur, oportet, sicuti §. præced. ostendimus, indeque in ea sint, oportet, qui præsint aliis.

Ad 2. resp., S. Petrum pastores monere, ne adinstar principum laicorum in gregem sibi subjectum dominentur, neque turpis lucri gratia illi præsint, sed *facti forma gregis ex animo*, suis operibus præseferant, quæ alios servanda docuerint. Unde omnem abusum vult sublatum a consenioribus, non vero ipsum munus, et potestatem gregem regendi, immo vero vult, ut ex anima fiant forma illius.

Ad 3. dico, Rigaltium aut falli, aut alios fallere velle, dum affirmat, Pastores Ecclesiæ tertio seculo induxisse ritum a primæva disciplina

Christi alienum, semel posita ab iis distinctione inter Clerum, et laicos. Nam seculo 2. S. Clemens discipulus Apostolorum a Summo Sacerdote, Sacerdotibus, et Levitis laicos distinxit, et quidem habita ratione illorum munerum, quæ illis convenirent, non vero istis. S. Ignatius M. in suis epistolis genuinis ad Magnesianos, Trallianos, et Smyrnæos laicis nihil magis inculcat, quam ut omnia agant in concordia Dei, Episcopo præsidente loco Dei, Presbyteris loco Senatus Apostolici, et Diaconis Christi ministerium perangentibus. Eadem fere repetit in duabus aliis epistolis ad Trallianos, et Smyrnæos, sicuti manifestum est ex locis, quæ supra in medium protulimus. Constat ergo verum esse, quod de Rigaltio diximus, illudque nunc superaddimus, non sine maxima injuria sanctissimorum virorum eum affirmare, seculo 3. inter Clericos et laicos tantam differentiam invectam fuisse, ut laici non venirent sub nomine Cleri, *et jam nomen ipsum ovilis in populi, sive plebis, et laicorum appellatione vilesceret.*

Ad 4. dico, Apostolum prædixisse, venturos lupos, qui gregi insidiarentur, verissimeque prospexisse: verum anne hæc prædictio cedit in Catholicos pastores, qui quaquaversum diffusi eandem doctrinam fidei et tenuerunt, et sine ulla mutatione semper promulgarunt, an vero in hæreticos, qui a doctrina fidei in Divino verbo tradita desciscentes etiam populos in suum errorem traxerunt? Sola multiplicitas, et diversitas pravarum opinionum, quibus adstipulantur, evidens hujus rei argumentum esse potest.

Ad 5. ita.

Prop. II. Nomen Clerici trahit suam originem ex Sacris litteris, neque ob illud factum fuit, ut laici despectui haberentur.

Prob. prior pars. Sicuti recte advertit Petrus de Marca in Dissert. *de discrim. Cleric. et Laic. ex div. Institut.* cap. 1. num. 4, quamvis nomen cleri diversa significet, attamen Leviticæ tribus proprium illud fuit. Hæc igitur tribus ministerio Dei singulariter addicta, nullamque sibi propriam portionem consequuta a Deo, intellexit, ipsum sibi futurum sortem κλῆρον, et hæreditatem, sicuti *Num.* 18. 20., et *Deuteron.* 18. 2. legitur. Adinstar ergo tribus Leviticæ qui apud christianos eorum divinorum mysteriorum sibi commissam habuerunt, indeque Dominum pro sua sorte, et hæreditate accepere, Clerici dicti sunt, sicut epist. alias 2., nunc 52. num. 5. ad Nepotianum tradit S. Hieronymus. Nomen Clericorum inde profectum arbitrantur S. Isidorus Hispalensis lib. 7. *Origin.* cap. 12., et S. Augustinus *Enarrat.* in Psal 67. num. 19., quod Matthias omnium primus ab Apostolis in Ecclesiasticum ordinem sorte adlectus fuit. Nam sicuti *Actor.* cap. 1. legimus, quum Apostoli dubitarent, utrum Barsabas, an Matthias Apostolatu esset magis dignus, rem istam sorti commiserunt: et sors κλῆρος cecidit super Matthiam. Unde habita ratione sortis ministerii, et Apostolatus, quæ cecidit super Matthiam, factum est, ut vox ista κλῆρος transierretur in eos, quibus divinum ministerium in Ecclesia committeretur. Nomen igitur Clerici ex Sacris litteris suam originem trahit.

Illud autem debet adverti, *sortem Sanctorum*, seu hæreditatem regni sempiterni omnibus fidelibus esse communem, atque secundum hanc acceptionem omnes fideles ad Clerum pertinere. Hinc Apostolus *Coloss.* 1. 12. ait: *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* S. Petrus I. ep. 5 3. *nec sicut dominantes in cleris.* Hisce enim in locis nomine cleri intelligitur universus cœtus Christianorum, qui vocatus est in partem hæreditatis Christi.

Prob. altera pars. Una cum Rigaltio etiam Franciscus Buddeus Isagoge Hist. Theol. ad Theol. univ. cap. 5. lib. 2. §. 11. affirmat, laicos despectui habitos fuisse ob inductum nomen Clericorum, quia inde factum fuit, ut laici subjicerentur Clericis: at vero non ob inductum nomen Clericorum, sed ex institutione Christi laici sunt quoad ea subjecti Clericis, quæ ad Christianam rempublicam pertinent: ergo Buddeus id falso contendit. Prob. mi. Christus præcepit Apostolis, ut suam legem omnibus promulgarent, etiam regibus, et principibus contra obsistentibus, iisque ligandi, et solvendi peccata potestatem dedit: Apostoli, quæ sibi Christus præceperat, omnino præstiterunt, utentes ea potestate supra laicos, quam a Christo receperant. Nam, ut aliqua tantum commemoremus, Apostolus ad Titum 1. 5. ait: *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* I. *ad Timot.* 5. 19. et seq. »*adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus, vel tribus testibus. »Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.*" I. *Corint.* 5. 9. mandat illis, ut se ab homine fornicario separarent, eumque deinde resipiscentem in suam societatem reciperent. Sed hæc omnia, ut alia multa omittamus, ostendunt, ex institutione Christi laicos Clericis esse subjectos quoad ea, quæ spectant ad Christianam rempublicam: ergo falso confingitur, ob inductum nomen Clericorum laicos despectui habitos fuisse.

CAPUT QUINTUM.

De membris Ecclesiæ.

Quinam spectent ad Ecclesiam, quinam vero non spectent, ex Ecclesiæ definitione colligitur. Ejus enim tres sunt partes, hoc est, professio unius, ejusdemque Christianæ fidei, communio eorumdem Sacramentorum, et subjectio erga legitimos Pastores, ac præcipue Romanum Pontificem totius Ecclesiæ caput. Ob primam partem ab Ecclesia excluduntur omnes, qui aut Christianam fidem nullo modo profitentur, sicuti Judæi, Turcæ, et Pagani, aut veram non profitentur, sicuti hæretici, atque apostatæ: ob secundam excluduntur catechumeni, et excommunicati: illi quidem, quia nondum admissi sunt ad communionem Sacramentorum, isti, quia ab ea expulsi sunt: propter tertiam excluduntur schismatici, quia vel legitimis Pastoribus, vel supremo visibili Capiti totius Ecclesiæ non sunt subjecti.

Est ergo advertendum, vincula, quibus Ecclesiæ membra inter se uniuntur, et externa esse, et interna: ista sunt participatio ejusdem spiritus, subjectio eidem capiti invisibili, et communicatio gratiarum: illa, professio ejusdem fidei, eorumdem Sacramentorum participatio, et subjectio legitimis Pastoribus, ac Supremo capiti visibili. Judicium autem de membris Ecclesiæ peti debet non a signis internis, quæ nostræ cognitioni subesse non possunt, sed ab externis. Hæc licet in se perspicua sint, tamen non desunt, qui iisdem obsistant.

Pelagiani, uti refert S. Augustinus lib. *De Hæresib.* cap. 88. docuerunt, Ecclesiam coalescere ex hominibus, qui nullum peccatum haberent. Novatiani, ad Ecclesiæ cœtum eos spectare, dicebant, qui in persecutione a fide non defecerant: utrum autem ab Ecclesia excluserint etiam alios, qui grave aliquod peccatum commisissent, incertum est. Donatistæ, se tantum, atque adhærentes sibi in Ecclesia esse, contendebant, sicuti affirmat S. Augustinus in lib. *De Unit. Ecclesiæ* num. 28. Solos prædestinatos spectare ad Ecclesiam, Wicleffi sententia fuit, auctore Thoma Waldensi tom. 2. *Doctrinal. Fidei de Sacram. Ministro* cap. 15. num. 1. Eumdem errorem sequutus fuit Joan. Hus, sicuti habetur ex sess. 15. Concilii Constantien. Lutherani Augustanæ confessionis, solos justos pertinere ad Ecclesiam, docuerunt, malos autem ad quamdam externam societatem, quæ nomine tenus Ecclesia dici posset. Calvinus Lutheranis adhæsit; tamen quum juxta sententiam illius soli prædestinati revera sint justi, inde consequitur, eum Wicleffo ipsum quoque velle, Ecclesiam constare ex solis prædestinatis. Jureus una cum multis aliis (a) affirmat, etiam quoslibet hæreticos spectare ad Ecclesiam, semel ac fundamentales articulos profiteantur: unde infert, omnes Protestantes esse in Ecclesia; quia in articulis fundamentalibus conveniunt (b). Nunc distinctis propositionibus et omnes istos errores refellemus, et quid hac tota in re juxta fidem Catholicam sentiendum sit, constituemus.

Prop. I. Ob defectum professionis Christianæ fidei excludi debent ab Ecclesia omnes infideles, ob defectum autem Catholicæ fidei publici hæretici, et apostatæ.

Prob. prior pars. De infidelibus loquitur Apostolus 1. *Corint.* 5. 12. quando ait: *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Universe itaque, atque generatim foris esse tradit eos omnes, qui receptione baptismatis suum nomen Christianæ religioni non dederunt. Res perspicua est, quæ a nemine negatur, et ideo non oportet, ut in confirmationem ejus alia superaddamus.

Prob. altera pars. Unius, ejusdemque rectæ fidei professione ipsa Ecclesia primo loco continetur: sed in hac unitate fidei Hæretici, et Apostatæ ab Ecclesia recedentes non perstiterunt: igitur neque illi, neque isti ad Ecclesiam spectare possunt. Hinc in Nicæno Concilio can. 8. de-

(a) *Traitè de l'unitè de l'Eglise traitè* 5. et 6.

(b) Quoad hoc doctrinæ caput ipsos jam refutavimus lib. 2. cap. 4. prop. 11.

cernitur, quid fieri debebat, quando Novatiani ad Ecclesiam redire voluissent: et canone 19. idem statuitur quoad Paulianistas (a). In Concilio Constantinop. I. can. 7. legitur sancitum, ut in Ecclesiam recipiantur variis hæresibus infecti (b). Ex his vero constat, Patres tum Nicænos, tum Constantinopolitanos tenuisse, manifestos hæreticos ab Ecclesia esse præcisos, aliquin non oportuisset, ut decernerent, eos in Ecclesiam esse recipiendos, semel ac resipiscerent. S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæres.* cap. 3. num. 4. tradit, Polycarpum *multos hæreticos convertisse in Ecclesiam Dei.* S. Cyprianus epist. 73. affirmat hæreticos *foris positos, et extra Ecclesiam constitutos.* S. Hieronymus *in Dialogo cont. Luciferi.* num 27. facta commemoratione diversorum hæreticorum, asserit, eos *non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Legatur S. Augustinus *De Unitate Ecclesiæ* cap. 4.

Dices. Apud *Matt.* cap. 13. in agro, cujus nomine Ecclesia intelligitur, fraude inimici superseminatam etiam zizaniam crevisse legimus: per zizaniam autem hæretici designantur: igitur. Deinde Apostolus II. *ad Timot.* 2. 20. inquit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Hoc autem in loco Apostolus nomine domus Ecclesiam, et nomine vasorum ligneorum, et fictilium hæreticos intelligit, quum mentionem antea fecerit de Hymeneo, et Phileto, qui a veritate exciderant, *dicentes: resurrectionem esse jam factam.*

R. Etiam Patres sibi invicem non consentire, quid nomine agri intelligi debeat, utrum scilicet Ecclesia, an vero mundus. Iis nos adhæremus, qui, mundum esse intelligendum, putarunt, quum etiam ipse Christus ea occasione, qua, rogantibus discipulis, hanc parabolam exposuit, in eodem cap. v. 38. dixerit: *Ager est mundus:* illudque superaddidit, nomine zizaniæ generatim intelligi omnes malos, inquiens: *zizania autem filii nequam.* Quare nihil contra nos ex ea parabola æquo jure colligi potest.

Ad 2. dico, Patres in hoc quoque inter se non consentire, quid nomine domus intelligi debeat: nam multi ex Græcis, mundum, non Ecclesiam, significatam, volunt. Juxta illos vero, qui sentiunt Ecclesiam nomine domus, et hæreticos nomine vasorum fictilium significatos fuisse, dici potest, hæreticos, si sint occulti, et ipsi per se non recesserint, vel expulsi ab Ecclesia non fuerint: esse in Ecclesia, imperfecte quidem, quia solummodo ob communionem exteriorem: si vero sint publici; latiori quodam sensu esse in Ecclesia, hoc est, ob baptisma, et ob quædam alia, quæ in Ecclesia semel recepta semper retinent. Ita S. Agustinus lib. 3. *De Baptismate* cap. 19. Hinc est, ut idem S. Doctor, aliquando dicat, hæreticos, et schismaticos habere cum Ecclesia aliquam conjunctionem, quatenus scilicet vel retinent aliqua, quæ in Ecclesia receperunt, vel conferunt aliis, quæ in Ecclesia conferuntur.

(a) *Tom. I. Concil. edit. Harduini, colum.* 225. *et* 331.
(b) *Eodem tomo, colum.* 811.

C. S. Hieronymus in *Dialogo cont. Lucifer.* num. 22. dicit, arcam fuisse typum Ecclesiæ: in arca autem fuerunt animalia omnium specierum: igitur etiam in Ecclesia continentur illi omnes, qui baptismate initiati sunt. Deinde num. 25. ita Hilarium urget: »si enim hæritici »baptisma non habent, et ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in »Ecclesia non fuerunt, ipse quoque Hilarius non est Christianus. In »ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis baptisma »recepit."

R. Jam constare de sententia Hieronymi. Ceterum quando ipse dicit, arcam fuisse typum Ecclesiæ, ex multitudine diversorum animalium solummodo colligit, esse in Ecclesia *justos*, *et peccatores*.

Hilarius contendebat, baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos esse, quia Hæretici non sunt in Ecclesia: hoc semel posito, et non concesso, infert Hieronymus, etiam ipsum Hilarium non esse Christianum, quia ea in Ecclesia baptizatus fuerat, quæ semper uti firmum habuit baptisma collatum ab Hæreticis.

Prop. II. Ob defectum communionis Sacramentorum non sunt in Ecclesia Catechumeni, et Excommunicati, illi, quia nondum ad eam admissi, isti, quia ab eadem ejecti fuerunt.

Prob. prior pars prop. *Nisi quis*, sicuti legitur *Joan.* 3. 5., *renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Peccatum enim originale remittitur solo baptismate: unde qui non est regeneratus hoc Sacramento, ad Christum non pertinet, non est membrum illius, extra Ecclesiam manet. Hinc S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40. in *S. Baptis.* affirmat, Catechumenos esse in vestibulo pietatis, nec adhuc vocari posse Fideles, nisi per baptismum intus ingrediantur. S. Augustinus *De Peccat. meritis, et remis.* lib. 2. num. 42. hæc habet: *Ita sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cælorum, aut ad peccatorum remissionem.* Ex quibus constat de veritate prioris partis nostræ propositionis.

Prob. altera pars. *Matt.* 18. 17. inquit Christus: *Si autem Ecclesiam non audierit: sic tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Juxta communam interpretationem Christus loquitur de excommunicatis. Si ergo Ethnici non sunt in Ecclesia, neque etiam Excomunicati esse possunt, quia adinstar illorum haberi debent. Excommunicatione ergo quum fiat, ut quis privetur eo spirituali consortio, quod Fideles inter se in ipsa Ecclesia habent, excommunicatos a cœtu Ecclesiæ esse detrusos, nemo non videt

Dices. cont. priorem part. Qui non est intra Ecclesiam, non potest consequi salutem æternam: sed Catechumeni consequi possunt salutem æternam: ergo.

R. dist., si neque reipsa, neque suo desiderio, sit in Ecclesia, conc., si licet non re ipsa, tamen suo desiderio sit in Ecclesia, neg.: Catechumenos re ipsa in Ecclesia esse, dici nullo modo potest; tamen suo desiderio efficaci in ea sunt, indeque habent caritatem, et salutem æternam consequi possunt. Neque contrarium suadetur similitudine ar-

cæ, cui Ecclesia comparatur: non enim in omnibus inter se conveniunt similitudines. Hinc I. *Petri* 3. 21. arcæ comparatur etiam baptisma, et tamen licet illud re ipsa susceptum non fuerit, sed in voto habitum, salutem æternam operatur: qui autem in arca revera non fuerunt, nullo modo salutem consequi potuere.

Quoniam vero de Ecclesia visibili loquimur et juxta hanc acceptionem quærimus, quænam sint membra ejus; ideo quamvis in Catechumenis possit esse caritas, quæ spectat ad animam Ecclesiæ; tamen eos in Ecclesia, esse negamus, quoniam id non habent, per quod uniti sint Ecclesiæ visibili.

Dices II. Qui est injuste excommunicatus non discinditur ab Ecclesia: ergo.

R. cum dist., non discinditur ab Ecclesia, visibiliter, neg., invisibiliter, conc. Quamvis excommunicatio lata contra aliquem sit injusta; tamen ille obtemperare debet, atque petere absolutionem, ut visibili Ecclesiæ iterum uniatur, et quoadusque id non fecerit, semper censetur ab Ecclesia esse præcisus (a). Præcisus, inquam, exterius ab Ecclesia visibili; intus tamen propter caritatem unitus manet, semel ac ex parte ejus nihil omittatur, ut etiam exterius visibili Ecclesiæ una cum aliis Fidelibus conjungi possit.

Prop. III. Ob defectum subjectionis, quæ legitimis pastoribus, atque Supremo capiti Ecclesiæ debetur, Schismatici sunt extra Ecclesiam.

Prob. prop. In Sacris litteris Ecclesia dicitur unum ovile, et unum corpus: quum ergo Schismaticus et ab hoc ovili se subtrahat, atque se ipsum separet ab isto corpore, in Ecclesia esse non potest. Ille namque se ab ovili segregat, qui disciplinam pastoris aversatur, et non vult membrum esse illius corporis, qui ejusdem capiti conjungi recusat. »Qui »schismata operantur (inquit S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæreses* cap. 33. »num. 7.) qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque uti»litatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesiæ: et propter modi»cas, et quaslibet causas magnum, et gloriosum corpus Christi conscin»dunt, et dividunt, et, quantum in ipsis est, interficiunt." S. Cyprianus epist. 75. vere Schismaticum esse illum dicit: *Qui se a Communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit*: Et *De Unitate Eccles.* Schismaticos *ab Ecclesia scissos* affirmat: S. Hieronymus in cap. 3. epist. *ad Titum* hæc habet: »Inter hæresim, et schisma hoc interesse arbitramur, »quod hæresis perversum dogma habeat: schisma propter Episcopalem »dissensionem ab Ecclesia separetur: quod quidem in principio aliqua ex »parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam con»fingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur." S. Augustinus in lib. *De Fide, et Symbolo* num. 21. postquam animadvertit hæreticos, et schismaticos differre inter se, utrosque tamen ab Ecclesia esse præcisos, asseverat.

(a) Videatur S. Thomas in IV. *Sentent.* dist. 18. quæst. 2. art. 2. quæst. 1.

Dices. Nascente Ecclesia, Judæi conversi ad fidem legalia servabant, non vero gentes, quamvis ab iisdem Judæis ad id compellerentur: illi igitur schismatici erant, nec tamen propter hoc ab Ecclesia discissi fuere: ergo.

R. dist., et Ecclesia Judæos tulit, quatenus ipsi legalia servabant, conc., quatenus ad id, sicuti necessarium ad salutem, etiam gentes compellebant, neg. Quia ergo tunc temporis non erat mortiferum servare legalia, ideo permissum fuit Judæis, ut et præcepta legalia servarent, et Christianam fidem simul profiterentur. Ceterum Antiochiæ orta dissensione propter Judæos, qui volebant circumcidi Gentes, quæ Christianam Religionem amplexæ fuerant, Paulus, et Barnabas, sicuti *Actor.* cap. 15. legitur, rem ad Apostolos detulerunt, qui, magna conquisitione facta, decreverunt, Gentes conversas non ligari lege Moysis.

C. Judæi, uti constat ex epist. *ad Galatas* cap. 2. nullam societatem habebant cum Gentibus, et ne cibum quidem cum eis sumere dignabantur: ergo erant vere schismatici, nec tamen ab Ecclesia separati fuerunt.

R. dist. ant., et hanc agendi rationem Paulus redarguit, conc., æquo animo tulit, neg.: Compertum est omnibus, Paulum quoad rem istam Petro restitisse, quamvis ille, solummodo præsentibus Judæis, recusaret manducare cum Gentibus. Ceterum illud adverti debet, hac tota in re nullum argumentum schismatis deprehendi, semel ac non præsupponatur eos, qui contendebant, cum lege Christiana simul etiam legalia servari oportere, ab aliis se scindere voluisse, eisdemque gentes non unitas permansisse. Usus legalium diu toleratus fuit in Ecclesia, utpote tunc mortuus, non mortiferus.

C. S. Augustinus lib. 1. *De Baptismo* num. 2. eos affirmat esse nobiscum, qui nobiscum sentiunt: at Schismatici nobiscum sentiunt, quum nullum contrarium dogma tueantur: ergo. Unde etiam S. Basilius epist. 188. et *ad Amphilochium* 1. Canonica, alias 1., affirmat, Schismaticos esse in Ecclesia.

R. S. Augustinum eo loci refutare Donatistas rebaptizantes illos, qui in unitate Ecclesiæ baptizati erant, et probare morem Catholicorum non rebaptizantium alios, qui in schismate baptizati fuerant, quia etiam in schismate illud ipsum baptisma confertur, quod in Ecclesia, et quoad rem istam Schismatici nobiscum sunt, atque sentiunt: verum non sunt nobiscum, habita ratione ejus conjunctionis, quam membra cum suo capite habere debent.

S. Basilius autem in citato loco schismaticos vocat. *Qui propter ecclesiasticas quasdam causas, et quæstiones inter utramque partem non insanabiles dessident*: istos ergo *adhuc ex Ecclesia existere*, æque jure affirmavit. Vera enim, et propria ratio Schismatis in hujusmodi hominibus non occurrit.

Prop. IV. Falsum est spectare ad Ecclesiam solos prædestinatos.

Prob. prop. Ecclesia *Matt.* cap. 3. 12. areæ comparatur, cap. 13. 7. sagenæ missæ in mare, cap. 22. 2. nuptiali convivio, cap. 25. 1. decem virginibus, atque etiam ovili. At in area et triticum esse dici-

tur, quod in horreum est reponendum, et sunt paleæ igne comburendæ: in sagena omne genus piscium congregatur: in nuptiali convivio boni, et mali accubuerunt: e virginibus quinque fatuæ erant, et a nuptiis sponsi excludendæ, et quinque prudentes iisdem nuptiis potituræ: ad ovile spectant oves, quibus electi plerumque significantur, et hædi, quibus præfigurantur damnati. Igitur etiam Ecclesia tam filios electos ad gloriam, quam non electos in se continet. Et re quidem vera anne Paulus, dum Ecclesiam persequebatur, in Ecclesia erat? Anne Judas in Ecclesia non erat, dum munere Apostolatus fungebatur? Profecto semel ac sola prædestinatio faciat, spectare aliquem ad Ecclesiam, dicendum erit, nunc quoque ad eam pertinere Gentiles, Turcas, et Hæreticos, qui prædestinati fuerint: contra non spectare ad Ecclesiam alios, semel ac prædestinati non sint, quamvis cum ceteris fidelibus sub legitimis Pastoribus, et Supremo capite Ecclesiæ tum professione ejusdem fidei, tum communione eorumdem Sacramentorum, relicto errore, uniti sint.

Illud tandem animadverti debet, neque de ovibus, neque de pastoribus Ecclesiæ constare posse, si dicatur, solos prædestinatos spectare ad Ecclesiam. Nam prædestinatio res est, quæ a nobis neque cognoscitur, neque cognosci potest: igitur qui sint prædestinati, vel non sint, semper apud nos incertum sit oportet: igitur si soli prædestinati spectant ad Ecclesiam, tam de ovibus, quam de pastoribus illius semper nobis incertum erit. Quo sane nihil absurdius fingi potest.

Dices. *Joan.* 10. 16. ait Christus: *alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*: cap. 11. 51. et seq., *Jesus moriturus erat pro gente: et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* In his ergo locis quum oves, et filii Dei dicantur prædestinati, etiam dum a vera fide essent alieni, inde consequitur, solum prædestinatos spectare ad Ecclesiam Dei. II. *ad Timot.* 2. 19. dicit Apostolus: *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus, qui sunt ejus. I. Ioan.* 2. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Igitur etiam antequam exirent, non erant revera ex nobis, sed esse videbantur, indeque solus Dominus cognovit eos, qui sunt in ejus Ecclesia.

R. Ad explicationem horum omnium adverti debere, hominem dici posse ovem Christi, filium, et membrum illius duobus modis, hoc est, et secundum prædestinationem, et secundum præsentem justitiam. Hæc distinctio colligitur ex Apostolo, qui *Roman.* 8. 9. ait: *Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus: et I. ad Timot.* 2. 19. de prædestinatis ita loquitur: *Novit Dominus, qui sunt ejus.* Quare unus, idemque homo secundum diversam rationem simul potest esse, et non esse membrum Christi: erit sane, semel ac sit prædestinatus: non erit, si interim non habeat spiritum illius. »Secundum autem ejus præscien»tiam (inquit S. August. lib. 4. *De Baptismo* num. 4.) qui novit, quos »prædestinavit ante mundi constitutionem, conformes imaginis filii sui,

»multi etiam, qui aperte foris, et hæretici appellantur, multis, et bo»nis Catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodie, videmus, quid »eras futuri sint, ignoramus." Hoc autem inter utrosque discriminis interest, ut illi, qui sunt filii solum secundum prædestinationem, non actu, uti dicunt, sed in potentia sunt filii: qui vero sunt filii secundum præsentem justitiam, sunt actu, et simpliciter tales. »Secundum »ergo istam præscientiam Dei (inquit S. August. *Tract.* 56. *in Joann.* »num. 12.) et prædestinationem quam multæ oves foris, quam multi »lupi intus; et quam multæ oves intus, et quam multi lupi foris. . . . »ecce audiunt ipsi, non audiunt illi, et tamen secundum prædestina»tionem non oves isti, oves illi." His positis ex S. Augustino, intelligitur, quo sensu S. Doctor *De Corrept. et Gratia* num. 20. interpretans prælaudata loca Scripturæ dicat, quosdam reputari a nobis esse filios, qui non sunt tales apud Deum: loquitur enim de filiis, habita ratione prædestinationis. Verum de Ecclesiæ visibilis membris visibilibus nos hic agimus, dum quænam membra Ecclesiæ dici possint, et quænam non possint, constituimus.

C. Ecclesia, quæ est sponsa Christi, *Cantic.* 4. 12. dicitur: *hortus conclusus*, *fons signatus &c.* quæ omnia dicta sunt de Ecclesia respectu electorum, sicuti docet S. Augustinus lib. 5. *De Baptismo* num. 38. ergo soli electi &c.

R. Constare de sensu S. Augustini ex lib. 2. *Retract.* cap. 18., in quo ita habet: »ubicumque autem in his libris (scilicet *De Baptismo*) »commemoravi: *Ecclesiam non habentem maculam, et rugam*, non sic »accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit, quan»do apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, »et infirmitates membrorum suorum habet quotidie unde tota dicat: »*Dimitte nobis debita nostra.*" Quomodo vero etiam nunc Ecclesia dici possit: *Hortus conclusus &c.* explicat S. Thomas in cap. 4. *Canticorum* inquiens: »Hæc ergo Ecclesia hortus est, quia spiritualium virtutum »germina profert, quæ in sequentibus aromatum vocabulis designan»tur. Conclusus vero est hortus iste, quia Sancta Ecclesia Redemptoris, »et Domini sui auxilio munita est, et præsidio Angelicarum virtutum »vallata, nullis malignorum spirituum patet insidiis. . . . Fons quia »cœlestis doctrinæ fluentis manat, quibus omnes in Christum credentes »a peccatis abluit, et veritatis scientia potat. Signatus vero est fons »iste, quia sermo fidei Evangelicæ veritatis signaculo munitus est, ita »ut neque maligni Spiritus, neque hæretici fidem Catholicam violare, »aut disrumpere valeant."

C. Arca Noe fuit figura Ecclesiæ: ergo si in arca Noe fuerunt illi tantum, qui salvandi erant, etiam in Ecclesia soli prædestinati esse debent. Eo vel maxime, quia Ecclesia est unum ovile: in numerum autem ovium veniunt soli prædestinati.

R., Arcam Noe Ecclesiæ figuram eo sensu fuisse, ut quemadmodum nullus extra arcam salvari potuit; ita etiam extra Ecclesiam spes salutis nemini effulgeat. Nomen autem ovis in Scripturis aliquando qui-

dem significat prædestinatos, sicut *Matt.* 25. 33.; tamen hoc nomine designantur etiam tum boni, tum mali, uti constat ex illo. *Isai.* 53. 6. *Omnes nos*, *quasi oves*, *erravimus*, et ad ovile spectant non solum agni, sed etiam hædi, sicuti habetur *Matt.* cap. 25., in quo oves dicuntur separari ab hædis, qui erant in eodem ovili.

Prop. V. Ecclesia non constat solis justis, sed habet admixtos peccatores etiam manifestos.

Prob. prior pars. Nomine justorum vel intelliguntur ii, qui nullum omnino peccatum, ne levissimum quidem, unquam admiserunt, vel alii, qui aliqua solummodo levia crimina perpetrarunt: si prioribus tantum Ecclesia constaret, ad solum Christum, et B. Virginem contrahenda foret. Quod autem constet aliis tantum, qui nonnisi levia crimina admiserunt, repugnat auctoritati verbi Divini, quo novimus, peccatores et manifestos, et conscios criminum graviorum in Ecclesia contineri.

Unde probatur altera pars. Ut ergo nunc eas parabolas omittamus, quibus et Ecclesia adumbrata fuit, et in ea esse peccatores etiam conscios graviorum criminum nimis distincte traditum habemus, (peccatores enim hujus generis nomine zizaniæ igne comburendæ designantur) illud primo loco advertendum arbitramur, Christum *Matt.* 18. 5. et seqq., dum inculcavit præceptum correctionis fraternæ, jussisse, ut Ecclesiæ ii peccatores denuntiarentur, qui correctioni privatæ non obtemperarent, atque a consortio illius removerentur, semel ac neque etiam Ecclesiam audire vellent. Supponit ergo Christus, in Ecclesia esse peccatores et manifestos, et conscios graviorum criminum, quoniam vult, ut isti Ecclesiæ denuntientur, habeanturque veluti Ethnici, si Ecclesiam non audierint. Hinc etiam Apostolus, quemadmodum I. *Corint.* cap. 5. legimus, præcepit Corinthiis, ut ab Ecclesia sua expellerent illum incestuosum hominem, qui in eadem versabatur.

Hæc vero semper fuit Ecclesiæ fides, atque traditio, quam Patres, et potissimum S. Augustinus Pelagianis, atque Donatistis semper opposuere. Quam multa hac de re scripserit S. Doctor, quibusque argumentis presserit suos adversarios, nunc solummodo indicabimus. In tribus lib. *Cont. epist. Parmeniani* et plures improbos esse in Ecclesia, et impietatem eorum offendiculo esse debere nemini, pluribus suasit. In tribus itidem libris *Cont. litt. Petiliani* nequitiam Præsulum sanctitati Ecclesiæ non obesse, ostendit: et lib. 3. num. 13. ita habet: *Homo sum enim de area Christi*: *palea*, *si malus*; *granum*, *si bonus. Non est hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani.* In lib. *De Unit. Ecclesiæ* num. 35. *innumerabilibus* testimoniis esse compertum dicit, malos cum bonis in Ecclesia esse permixtos. *De Baptismo* lib. 7. num. 99. postquam affirmavit, bonos esse in Ecclesia, eamque, prout continet illos, dici columbam, sine macula, et ruga, hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ viventis &c.; negari a nemine posse superaddit, etiam malos esse in domo, dicente Apostolo II. *ad Timot.* 2. 20. »in magna autem domo non solum vasa aurea sunt, vel argentea, sed lignea, et fictilia, et alia quidem in honorem, alia in contumeliam." Tandem in

lib. *De Vera Relig.* exclusis ab Ecclesia Paganis, Judæis, Hæreticis, Schismaticis, num. 10. de eadem Ecclesia ita habet: »Carnales autem »suos, id est, viventes, aut sentientes carnaliter, tamquam paleas to»lerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus »exuantur."

His autem omnibus si illud superaddatur, quod supra urgebamus, hoc est, semel ac soli boni spectarent ad Ecclesiam, semper futurum esse incertum, quænam essent membra ejus, unicuique perspectum esse debet, quam contrarium sit etiam lumini rationis, solos bonos ad Ecclesiam spectare.

Dices. *Isaiæ* 52. 1. hæc leguntur: *Non adjiciet ultra, ut transeat per te incircumcisus, et immundus*; et v. 11. *recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus.* Quem locum exponens Apostolus II. *Corint.* 6. 18. superaddit: *Et ego recipiam vos.* Quare Deus in Ecclesiam illos tantum recipit, qui separant se ab immundis, atque peccatoribus. Rationem autem ibidem reddit Apostolus v. 14. et seq. his verbis: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Quæ conventio Christi ad Belial? I. Corint.* 10. 17. *Unus panis, et unum corpus multi sumus*; cap. 12. 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Roman.* 8. 9. *Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Neque est, cur dicatur, non esse membrum vivum illius, sed mortuum: nam membrum mortuum non est revera membrum.

R. Ad solutionem horum omnium, aliorumque similium advertendum est, duplicem statum Ecclesiæ, hoc est, militantem, et triumphantem distingui debere cum S. Augustino, qui in re ista præ ceteris aliis locupletius, atque efficacius tum contra Pelagianos, tum contra Donatistas decertavit. Vidit S. Doctor, in Sacris litteris Ecclesiam quandoque describi ulla sine macula, atque ruga, eam vocari hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquarum viventium, quandoque vero assimilari sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, areæ, in qua est triticum, et palea, decem virginibus, quarum quinque prudentes, aliæ vero stultæ erant. Quare quum has diversas rationes eidem Ecclesiæ secundum eumdem statum aptari non posse videret, illud esse inferendum recte duxit, testimonia Scripturarum, quibus Ecclesia sine ulla macula describitur, ad triumphantem, ea testimonia autem, quibus traditur, in Ecclesia esse etiam malos, ad militantem, et præsentem Ecclesiam referri debere. Unde tum ipse alibi sæpe advertit, tum etiam simul cum eo ceteri Episcopi congregati in Collatione habita cum Donatistis adverterunt, sicuti idem S. Augustinus refert in *Breviculo Collationis cum Donatistis Collat.* 3. *diei* num. 16. »Divina testimonia consonare, ut et illa, quibus commendaretur Eccle»sia cum malorum commixtione, hoc tempus ejus significarent, qualis »est in præsenti seculo; et illa testimonia, quibus commendatur non »habere commixtos malos, illud ejus tempus significarent, qualis ven»turo seculo in æternum futura erit." Unde in lib. *De Gestis Pelagii* num. 27. et 28. affirmat, Ecclesiam hic *sine* macula non esse, sine ea

vero futuram in altero seculo, tradit *Serm.* 181. num. 7., alias *Serm.* 29. *De Verbis Apostoli.* Non negat tamen S. Augustinus, uti constat ex lib. *De Unit. Eccles.* num. 60., nunc quoque esse in bonis illam Ecclesiam, quæ *Cantic.* 2. 2. dicitur, esse lilium *in medio spinarum.*

His vero positis, constat de solutione eorum, quæ contra opponebantur. Præfatis ergo verbis Isaiæ exprimitur secundum litteram liberatio Judaici populi a captivitate Babylonica (a). Apostolus autem citato loco Corinthios monet, ne ducant jugum cum infidelibus, hoc est, neque cum Judæis in traditionibus legis, neque cum Gentilibus in cultu idolorum, proptereaque illud urget: *Quæ conventio Christi ad Belial?* Præcipit ergo iisdem, ut exeant de medio illorum, et ne immundum tangant consentiendo in malum. Unde quemadmodum Dominus per Isaiam præceperat Judæis, quando eis liberationem a servitute promisit, ne cum immundis communicarentur; ita etiam Paulus, Isaiæ verbis adhibitis, idem præcipit Corinthiis respectu Judæorum, et Gentilium (b).

Alia loca Scripturarum explicatione non egent, semel ac nunc a nobis constituatur, qua ratione mali spectent ad Ecclesiam. »Quia enim a »bonis malisque (inquit S. Gregorius *Moral.* lib. 31. num. 28.) hæc vita »communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter »congregatur; sed, Deo invisibiliter judicante, discernitur, atque in »exitu suo a reproborum societate separatur." Lib. 2. *in Ezequiel. Homil.* 4. num. 16. vocat peccatores Ecclesiæ *membra infirmantia.* S. Augustinus *De Baptismo* lib. 6. num. 23. affirmat peccatores nunc *spiritualiter foris* esse, et etiam *corporaliter* in fine separandos. Quare modo peccatores, quamvis *non Spiritualiter*, tamen *corporaliter* sunt in Ecclesia, et quidem visibiliter, hoc est visibilis Ecclesiæ sunt membra visibilia, infirmantia quidem, quia Christo invisibili capiti per caritatem non conjunguntur, vera tamen membra Ecclesiæ visibilis, utpote unita cum aliis membris illo nexu exteriori, quo membra Ecclesiæ visibilis et inter se invicem, et cum Supremo visibili capite uniuntur.

C. *Matt.* 5. 20. distinguitur justitia discipulorum a justitia Pharisæorum: cap. 7. 13. cœtus euntium per angustam viam a cœtu euntium per latam: ejusdem cap. v. 24. et seq. domus fundata supra petram a domo fundata super arenam. Hisce vero similitudinibus boni, atque mali designantur: utrique igitur ad eamdem Ecclesiam pertinere non possunt. Et hoc sane est, quod in pluribus locis confirmat etiam S Augustinus: ut unum tantum afferam lib. 2. *Cont. Cresconium Grammaticum* num. 26.: »ac per hoc, (inquit) etiam nesciente Ecclesia, propter malam, pol»lutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non »sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus membra habere »damnata."

R. In supradictis locis distingui diversas qualitates eorum, qui sunt in una eademque Ecclesia. Quare sicuti *Matt.* 13. boni pisces distin-

(a) Videatur S. Thomas in hunc locum.
(b) Videatur S. Thomas *lect.* 3. *in cap.* 6. *epist. II. ad Corint.*

guuntur a *malis*, quamvis in eodem rete continerentur; ita quoque in eadem Ecclesia, quæ constat professione ejusdem fidei, et communione eorumdem Sacramentorum sub legitimis Pastoribus, quidam ambulant per viam angustam, alii per latam, sunt nonnulli revera pii, quidam hypocritæ.

Ecclesiam nunc habere *permixtos malos* non solum S. Augustinus contra Donatistas pluribus in locis inculcavit, sed cum ipso etiam omnes Episcopi simul congregati in *Collatione* habita cum Donatistas, sicuti narrat idem Doctor in *Collatione* 3. diei num. 19. Quando ergo S. Augustinus affirmat, quod quidem sæpe facit, malos non esse in corpore Christi, id tantum vult, eos in corpore Christi *spiritualiter* esse separatos a bonis, non vero *corporaliter*. Ita sese explicat non solum in lib. 3. *De Baptism.* num. 26., sed etiam in lib. ad *Donatistas post Collationem* num. 30., in quo ita habet: »Cujus populus (scilicet Chri»sti) verissimum, et sanctissimum est templum Dei, non etiam in eis, »qui permixti tolerantur, sed in eis solum, qui nunc interim a talibus »bene vivendo spiritualiter separantur, post vero etiam corporaliter se»parandi sunt."

Prop. VI. Hæretici occulti sunt in Ecclesia, semel ac verum baptisma susceperint, et cum aliis Fidelibus in exteriori communicatione sub legitimis pastoribus conjuncti permaneant.

Prob. prop. auctoritate Divinarum Scripturarum. Apostolus in II. ad *Timot.* cap. 2., postquam suum discipulum monuit, ut prophana, et vaniloquia devitaret, quia sermo illorum serpit, ut cancer, indicat illi, a quibus singulariter sibi cavere debeat, inquiens v. 17. et seq. *Ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes: esse resurrectionem jam factam.* Semper tamen stare fundamentum Dei superaddit: atque in magna domo non solum esse vasa aurea, et argentea, sed etiam lignea, et fictilia: Hæc vero omnia simul accepta confirmant, quod nos modo volumus. Quandoquidem Apostolus asserit, non propterea corruere fundamentum, quia Hymenæus, et Philetus exciderant a veritate, sed illud urget in magna domo non solum aurea, et argentea, sed etiam lignea, atque fictilia vasa esse: igitur, ipso sentiente, in magna domo erant Hymenæus, et Philetus, uti vasa lignea, et fictilia, licet a veritate excidissent. »Dicit enim Apostolus Paulus (ait S. Au»gustinus lib. 3. *De Baptis.* num. 26) de quibusdam, qui circa veritatem aberraverant, et fidem quorumdam subverterant, quorum sermo »ut cancer, serpebat, quos quum evitandos esse diceret, in una tamen »domo magna eos fuisse significat, sed tamquam vasa in contumeliam: »credo, quod nondum foris exierunt. Aut si jam exierunt, quomodo eos »dicit in eadem magna domo cum vasis honorabilibus?"

Item Joannes in sua I. epist. 2. 19. de Antichristis, qui surrexerant ab illo tempore, ita habet: »Ex nobis prodierunt, sed non erant ex no»bis: nam si fuissent ex nobis, permansissent nobiscum." Igitur antequam exirent, et erant Antichristi, et uti tales non habebantur. »Omnes »hæretici (inquit, S. Augustinus *Tract.* 3. *in epist. Joan.* num. 4.) om-

»nes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt, sed non »exirent si ex nobis essent, antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si »antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, »sed tamen Antichristi sunt." Quare sicuti peccatores, ita etiam hæretici occulti, *corporaliter*, et *visibiliter* sunt in Ecclesia, quamvis non solum eodem modo; ac peccatores, invisibili capiti Ecclesiæ per caritatem non conjungantur, sed id quoque habeant supra peccatores, ut ne fidem quidem informem retineant. Semel ac enim vel ipsi per se non discesserint ab Ecclesia, vel judicio aliorum ab illa ejecti non fuerint, retinent exteriorem professionem fidei Christianæ, qua solum nobis constare potest de unione membrorum Ecclesiæ tum inter se, tum cum ejus capite visibili.

Dices. Apostolus 1 *Corint.* 3. 11. ait: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Cap. 2. *Ephes.* 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Sed hæretici etiam occulti sunt extra fidem Jesu Christi: ergo.

R. Cum distinctione, sunt extra fidem Jesu Christi hæretici etiam occulti, si ad interiorem actum mentis, et voluntaris attendatnr, conc., si ad exteriorem consociationem cum ceteris fidelibus, neg. Hæreticos etiam occultos non niti eo fundamento, quod Christus semel posuit, nemo negaverit: verum quum Ecclesia non sit invisibilis, sed visibilis, indeque non attendatur ad interiorem professionem fidei, quæ soli Deo perspecta esse potest, sed ad exteriorem; hinc est, ut pro membris Ecclesiæ ii quoque habeantur, qui in exteriori professione fidei cum ceteris conjunguntur. Est autem in iis idem fundamentum, atque una fides, habita ratione conversationis exterioris, supra quam tantum Ecclesiæ hominumque judicium cadere potest, non vero interioris, cujus solus Deus est inspector.

Est ergo animadvertendum, Patres, quando ajunt, hæreticos esse extra Ecclesiam, vel loqui de externis hæreticis, qui vel publico judicio ab Ecclesia præcisi fuere, aut ipsi per se ab ea discesserunt, vel attendere ad illum interiorem nexum caritatis, quo veri Fideles et inter se invicem, et cum Christo, qui Ecclesiæ est caput invisibile, simul conjunguntur.

CAPUT SEXTUM.

De notis veræ Ecclesiæ.

Non solum recentiores hæretici, sed etiam veteres, veram Ecclesiam apud se esse, affirmare non dubitarunt. Nunc ergo contra eos agendum est a nobis de iis notis, quibus vera Ecclesia distinguitur a cœtibus quorumcumque hæreticorum, et schismaticorum, ipsique evidens credibilitas conciliatur. Non solum Theologi, sed etiam Patres non conveniunt inter se in numero hujusmodi notarum: nos eas explicabimus, quas recensuit Constantinopolitana Synodus, dum declaravit, Ecclesiam Unam, Sanctam Catholicam, et Apostolicam. De hisce ergo quatuor notis in quatuor distinctis paragraphis ad omnem confusionem evitandam agemus.

§. I.

De Ecclesia quatenus est Una.

Ecclesiam esse unum corpus, atque unum ovile, Sacræ litteræ passim docent. Quia ergo unitas corporis, et ovilis consistit in unione membrorum tum inter se invicem, tum cum suo capite, hac de utraque unione agemus ad vindicandam unitatem Ecclesiæ, ostendemusque priori loco, quæ maxima esse potest conjunctio inter alicujus membra societatis, eam sane inter Ecclesiæ membra interesse.

Prop. I. Catholici arctissimo vinculo inter se uniti sunt.

Prob. prop. Præcepta fidei, et morum sunt omnino eadem apud omnes Catholicos, semperque fuerunt: Catholici ergo tum interius, tum exterius uno, eodemque nexu simul uniuntur: interius quidem ob unitatem fidei, exterius vero ob unitatem præceptorum, quæ spectant ad mores: sed hae unitate, qua membra alicujus corporis moralis sibi invicem connexa sunt, nulla alia major dari potest: Catholici igitur arctissimo vinculo inter se uniti sunt.

Hæretici illud quidem Catholicis semper objecerunt, subsequentibus temporibus fidem eorum mutatam fuisse: verum prorsus falso, quemadmodum nostri Theologi Polemici auctoritate Patrum ostenderunt. »Nam »setsi (ita S. Irenæus lib. 1. *Cont. Hæres.* cap. 10. num. 2. hujusmodi »calumniam depulit) in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen vir»tus traditionis una, et eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania fun»datæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in »Hiberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, »neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ »in medio mundi constitutæ." Quapropter eam unitatem ab Ecclesia Catholica Hæretici sublatam vellent, quam ipsi non habent, sive unam sectam illorum cum altera comparemus, sive in unius sectæ consideratione solummodo sistamus. Unius sectæ facta comparatione cum altera, non adinveniri hanc unitatem, est manifestum omnibus, quum unaquæque earum sua propria dogmata habeat, sua propria præcepta, et quidem etiam opposita dogmatibus, et præceptis alterius sectæ. Idem etiam constat, si ad unamquamque sectam singulariter animum advertamus. Quoniam vero res prope infinita esset, ostendere velle, sectarios omnium temporum aut post breve tempus suum magistrum dereliquisse, atque condidisse novam sectam, aut licet non dereliquerint magistrum, quædam nova suo ipsos ingenio semper procudisse; nunc solummodo illud ostendemus, systema hæresiarcharum hujusmodi esse, ut mutationi necessario obnoxium sit. 1. Quidem est omnium hæresiarcharum proprium et interpretari Sacras litteras, prout sibi magis arriserit, atque erigere novæ doctrinæ cathedram. 2. Protestantes potestatem eas interpretandi tribuunt omnibus, ceteri vero hæretici quam hac in re præter omne jus auctoritatem sibi vindicant, ceteris denegare non possunt. 3. Quum hæresiarchæ a commu-

ni in Ecclesia semper recepta doctrina recedant, ut sui quoque recedant a sua, prout eis placuerit, multo potior sane ratio est. Neque enim adeo imprudens quisquam eorum esse potest, ut licet ipse suam auctoritatem universæ Ecclesiæ Catholicæ auctoritati prætulerit, nolit tamen, ut ceteri sane propriam singularem auctoritatem præferant. Uno verbo: intrinsecum in unaquaque secta scissionis principium inest.

Dices. Etiam ex religione Catholica variæ semper sectæ prodierunt, quemadmodum Calvinus quoque animadvertit in *Præfat. Institut.* ad Regem Galliæ. Et Lib. 4. *Instit.* cap. 13. §. 14. illud superaddit, apud nos tot schismaticorum esse conventicula, quot sunt monasteria, in quibus privatum altare erectum fuit, et privatim Monachi Sacramenta suscipiunt, quæ sane una simul ab omnibus antiquis temporibus sumebantur,

R. Dist. ant., et eadem ratione variæ sectæ prodierunt tum ex religione Catholica, tum ex secta Calvinistica, aut quavis alia contraria Catholicæ, neg.. diversa ratione, conc. Est profecto tota doctrina Catholicæ Ecclesiæ ita comparata, ut omnino conspiret ad unitatem servandam : contra vero hæreses ex sui propria natura gignunt schismata. Quandoquidem in Ecclesia Catholica habetur certa regula controversiarum finiendarum, cui omnes sese conformare debent, et semel ac quidam sese non conforment, e suo sinu Ecclesia eos expellit. Unde ex Catholica Ecclesia variæ sectæ prodierunt non propter doctrinam illius, sed ob malitiam diaboli, hominumque illi obsequentium perversitatem. Hæretici autem controversiarum finiendarum nullam regulam habent, indeque est, ut vel in ipsis *Confessionibus*, quas pro certa regula omnium ediderunt ii, qui in sua secta ceteris præsidebant, neque uniformitas deprehendatur, neque eadem capita doctrinæ proponantur; sed quæ in una sunt posita veluti certissima dogmata fidei, in alia aut omittantur, aut omnino rejiciantur (a).

Quando novum altare ita erigitur, ut fides Ecclesiæ Catholicæ deseratur; tunc sane habetur conventiculum schismaticorum, et hæreticorum : ceterum nullo modo obstat unitati fidei, ut novum altare erigatur sub una, eademque tum fide omnium Catholicorum, tum communione Sacramentorum, tum subjectione, quæ debetur Præsulibus, et potissimum Romano Pontifici. Novum altare secundum priorem rationem erigitur ab hæreticis, secundum alteram a Catholicis. Falsum est autem, primis temporibus Monachos non habuisse proprium altare, in quo Sacramenta reciperent, uti constat ex S. Epiphanio in epist. ad Joannem Hierosolymitanum, et S. Augustino lib. *De Moribus Eccles.* num. 70.

Prop. II. Catholici arctissimo vinculo uniti sunt tum suis Præsulibus, tum Supremo capiti Ecclesiæ.

Prop. prior pars. Unio membrorum inter se haberi non potest, nisi

(a) Consulatur *Corpus*, *et Syntagma confess. fidei* editum Genevæ ann. 1654.

simul omnia cum suo capite conjungantur, atque ita quidem, ut istud præsit, regat, et moderetur, illa subjiciantur, et pareant. Sine capite enim, quod omnia membra regat, neque etiam morale corpus subsistere potest. Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: iis ergo in religione Catholica Fideles subduntur, omnesque propter subjectionem suo Præsuli, veluti multa membra suo capiti, colligantur. »Unde scire debes (inquiebat S. Cyprianus epist. 69.) Episcopum in Ec»clesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non »sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum »Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam »communicare se credunt."

Prob. altera pars. Sunt igitur Catholici omnes una cum suis Episcopis arctissimo vinculo conjuncti Supremo Ecclesiæ capiti. S. Irenæus quum ad refutandos hæreticos nimis longum esse videret, enumerare successiones omnium Ecclesiarum, unius tantum Romanæ Ecclesiæ successionem persequutus fuit, quia, uti ipse, inquit, lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 2. *ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles.* S. Optatus *Cont. Parmenianum* lib. 2. »Igitur negare »non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopa»lem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, »unde et Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omni»bus servaretur. . . . ut jam schismaticus, et peccator esset, qui con»tra singularem cathedram alteram collocaret." S. Cyprianus epist. 55. loquens de Schismaticis: »post ista (inquit) adhuc insuper, pseudo»episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent et ad Petri ca»thedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta »est, a Schismaticis, et prophanis litteras ferre:" Epist. 73 ait, quod Christus super Petrum *ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit, et ostendit.* S. Hieronymus epist. 15. ad *Damasum* num. 2., alias epist. 57. »Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitu»dini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super il»lam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum »agnum comederit, prophanus est. . . . Non novi Vitalem, Meletium »respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit." S. Augustinus epist. 43. num. 7., alias epist. 102., loquens de Cæciliano Episcopo ait: »Qui posset non curare conspirantem multitudinem »inimicorum, quum se videret et Romanæ Ecclesiæ, in qua semper »Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, et ceteris Ecclesiis, unde »in ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum." Ex his vero, quam maxime potest, constat de veritate alterius partis nostræ propositionis.

§. II.

De Ecclesia quatenus est Sancta.

S. Augustinus *Retractat.* lib. 2. cap. 18. animadvertit, quod dixit in libris *De Baptismo* de Ecclesia non habente maculam, aut rugam, accipi debere, non quasi ipsa talis »Jam sit, sed quæ præparatur, ut »sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam igno»rantias, et infirmitates membrorum suorum habet, unde quotidie tota »dicat: *dimitte nobis debita nostra*" Quamvis ergo Ecclesia plura membra sancta nunc quoque habeat; tamen plura ex illis longe absunt a sanctitate: in rete enim sunt boni, et mali pisces, in agro frumentum, et zizania, sicuti inquiebat S. Augustinus *ad Donatistas post Collationem* cap. 8. num. 11. Id tamen non obstat, quin in Ecclesia sit revera sanctitas.

Prop. Sancta est Ecclesia ob sui vocationem, atque professionem, atque etiam in pluribus suis membris habet interiorem sanctitatem.

Prob. 1. pars. Apostolus *Ephesios* 1. 4. ait: »Elegit nos in ipso ante »mundi constitutionem ut essemus sancti, et immaculati in conspectu »ejus in caritate." Petrus in I. epist. 2. 9. »Vos autem genus electum, »regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis." Hæc sufficere arbitror ad ostendendam sanctitatem vocationis Ecclesiæ. Prob. 2. pars. Omnis doctrina fidei Catholicæ Ecclesiæ a Deo est, eamque in verbo Divino scripto, vel tradito expressam habemus, neque judicium de illa commissum est hominibus privatis, quemadmodum contingit in sectis hæreticorum, sed iis, quibus id muneris ex divina institutione demandatum est. Præcepta vero morum Ecclessiæ Catholicæ et spectata in se ipsis rationi consentanea sunt, et ex divina auctoritate nobis servanda præcipiuntur. Quæ vero sunt propria ipsius Ecclesiæ præcepta a divina lege proficiscuntur, atque omnia comparata sunt ad promovendum divinum cultum, et Fidelium sanctitatem procurandam. Talem ergo doctrinam Catholica Ecclesia tenet, atque profitetur, ut nihil magis sanctitati accommodatum esse possit. S. Justinus in utraque Apologia hoc argumenti genus contra Paganos latissime prosequutus fuit, idemque fecerunt etiam alii Apologistæ Christianæ Religionis.

Prob. 3. pars. Quæ enim sanctitas in multis eorum floruit, qui Catholicam Religionem professi fuerunt, semperque ob eamdem rationem florebit in pluribus quoque aliis ejusdem professionis, dubitare neminem sinit Ecclesiam in aliquibus suis membris habere sanctitatem etiam interiorem. Christus enim, qui fuit hujus Religionis auctor, atque institutor, fons est, et origo totius sanctitatis: Apostoli, super quos, veluti supra fundamentum, Ecclesiam ædificatam fuisse legimus, singulari sanctitate præcelluerunt, et eorum vestigia a multis eorum pressa fuisse novimus, qui eisdem in munere successerunt. Nulla deinde un-

quam fuit ætas, nulla conditio personarum, in qua semper Ecclesia aliquos sanctitate præcellentes non habuerit, quemadmodum certa auctoritate traditum habemus.

Dices. Semel ac Ecclesia sancta sit ob sui vocationem, atque professionem, inde consequi deberet, ut qui in utraque persistunt, sancti essent: sed ex istis sunt paucissimi, qui sanctitatem attingunt: ergo.

R. dist. maj., semel ac exterius interiusque agerent conformiter ad vocationem, atque professionem, conc., si non conformiter agerent, neg: Est sane in Ecclesia triticum, sunt et zizania. Quidam, prout debent, ita vivunt, ut illorum tota ratio agendi vocationi, et professioni Catholicæ omnino respondeat: sunt quoque multi, qui omnino aliter agunt, ac requirit Catholica vocatio, et professio. Unde ex hoc constat, tam vocationem, quam professionem sanctam esse, quia viventes accommodate ad eas sanctitatem assequuntur, ab eorum vero præceptis recedentes a sanctitate longe distant. Propter istos autem de sanctitate Ecclesiæ nihil detrahitur, quemadmodum monet S. Augustinus lib. 1. *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ* cap. 34. num. 76. »Nunc vos illud admoneo (inquit »contra hæreticos oblatrantes) ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledice»re desinatis vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et »quos quotidie, tamquam malos filios, corrigere studet.... In agro qui»dem Domini sinuntur esse, et cum bonis seminibus crescere, sed veniet »tempus, quo zizania separentur."

§. III.

De Ecclesia, quatenus est Catholica.

Ecclesia græce Catholica dicitur, latine autem generalis, et universalis. Juxta quam acceptionem cur talis dicatur, nunc explicandum est a nobis. »Catholica enimvero, seu universalis vocatur (inquit S. Cyrillus »*Catech.* 28. num. 23.) quod per totum orbem ab extremis terræ finibus »ad extremos usque fines diffusa est." Aliunde vero, quemadmodum etiam ex Vincentio Lirinensi novimus in *Commonit.* cap. 3. »quod ubique, quod »semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim vere, proprieque »Catholicum; quod ipsa vis nominis, ratioque declarat." Hæc ergo duo sunt, quæ nostræ Ecclesiæ propria esse, nunc ostendemus.

Prop. Ecclesia jure merito Catholica dicitur, tum quia ubique gentium extenditur, tum quia ejus de fide, atque moribus eadem semper apud omnes doctrina ab ipso initio Christianæ Religionis ad hæc usque tempora fuit, ac semper erit.

Prob. prior pars prop. Universitas Ecclesiæ ob ejus extensionem in omnibus locis constat ex iis, quæ de Christo hic triumphante in sua Ecclesia Regius Propheta prædixit *Psalm.* 2. 8. »Postula a me, et dabo ti»bi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ."

Psal. 21. 28. »Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fi»nes terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.« *Psal.* 71. 8. »et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque »ad terminos orbis terrarum.« Quapropter, sicuti inquit S. Augustinus epist. 199. alias 80., num. 47. »Ecclesia fructificat, et crescit in univer»so mundo. Adhuc enim habet, quo crescat, donec fiat, quod de Christo »in Salomonis figura prophetatum est 71. 8: *Dominabitur a mari usque »ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terræ.* 85 9. *Omnes gen»tes, quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine.* Nulla re»linquetur terrarum, ubi non sit Ecclesia.« Num. 48. ita prosequitur: »In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet, ut sit, non ut »omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium.« Et in *Psal.* 2. v. 8. dictum esse animadvertit num. 7. *terminos terræ, ut omnes gentes intelligamus.*

Omnes, inquam, gentes intelligamus, non quatenus simul, et eodem tempore Catholica Ecclesia omnes complectatur, sed quatenus in toto orbe terrarum nulla natio est, sive gens, aut locus, in quo vel nunc non sit, vel anteactis temporibus diffusa non fuerit, vel sequentibus temporibus futurum non sit, ut Religio Catholica diffundatur. Hoc sane præfigurarunt oracula Prophetarum, quum in iisdem prædictum fuisse legamus, non quidem simul omnibus gentibus Christum dominaturum esse, sed omnibus gentibus, nulla habita ratione temporum.

Prob. altera pars. Nullus superest dubitandi locus, quin fides, et doctrina Ecclesiæ sit universalis, atque propterea etiam Ecclesia æquo jure dicatur universalis, et revera sit, semel ac una, eademque semper fuerit apud omnes fides, ac doctrina illius: sed fides, atque doctrina Ecclesiæ, una eademque semper fuit apud omnes: ergo ex hoc quoque capite Ecclesia est universalis. De Minori propositione inde constat, quia Ecclesia e suo sinu eos semper ejecit, qui sequuti fuere novam doctrinam, atque illi contrariam, quam ipsa ab Apostolis sibi traditam accepit, semperque diligentissime custodivit. Deinde quemadmodum hujus capitis §. 1. ex Irenæo animadvertimus, et nemini non perspectum esse potest, omnium Ecclesiarum, quæ sunt ubique gentium, omnino eadem est fides, eadem dogmata, non alia principia, quæ regunt fidem, atque mores. Profecto semel ac mutata fuissent, quæ Ecclesia ex Divina traditione semel recepit, ea sane et apud omnes Ecclesias tam longe, lateque diffusas, et tam longo spatio temporum tantam conformitatem, immo tam singularem unitatem servare non potuissent, sed in ipsis quoque Ecclesiis non secus, ac in sectis hæreticorum, nova dogmata introducta fuissent, semperque introducerentur.

Deest autem hæc utraque universitas cuilibet sectæ hæreticorum. Hæ enim omnes angustiis temporum, atque locorum semper circumscriptæ fuerunt, neque in universum orbem terrarum unquam pervagarunt. Ex his pleræque jam evanuere: plures evanescunt in dies: aliæ pugna suorum inter se tendunt ad interitum.

Eam vero omnium sectarum esse conditionem, ut quoad capita do-

ctrinæ semper variæ, atque inconstantes esse debeant, jam animadvertimus (a), atque ipsa experientia confirmatum habemus.

Dices. Ecclesia undequaque non extenditur: nam in aliquibus partibus mundi valde exiguus est numerus Catholicorum, in aliis multis omnino nullus: ergo ex hoc capite non potest dici universalis.

R. Nos jam explicasse, qua ratione intellegi debeant oracula prophetica de diffusione Ecclesiæ in omnes gentes, et nationes. Verumtamen hic illud superaddi potest, dum de universitate Ecclesiæ sermo est, attendendum esse ad diffusionem successivam, et eam quidem talem, ut complectatur totum illud tempus, quo militans Ecclesia perseverabit in terris. Neque hunc explicandi modum adversari Sacris litteris quispiam dixerit: quando enim in libris tum Novi, tum Veteris Testamenti futurum prædicitur, ut Christus sit salus usque ad fines terræ ejus possessio ubique extendatur, dominetur a mari usque ad mare, in ejus nomine prædicetur remissio peccatorum in omnes gentes; futura quidem hæc omnia, et alia similia prædicuntur, non tamen aut præscribitur tempus, intra quod futura erunt, aut modus designatur. Illud quoque superaddi potest, ad universitatem Ecclesiæ non requiri, ut simul, et eodem tempore magis extendatur, quam omnes simul sectæ, sed satis est, ut qualibet secta majorem extensionem semper habeat. Ceterum si accipiatur extensio Ecclesiæ, quemadmodum revera accipi debet secundum successionem; tunc etiam omnibus sectis simul acceptis eam magis diffusam esse, nullus supererit dubitandi locus. Postremo est etiam attendendum, nunc quoque in omnibus fere regionibus mundi esse aliquos, qui Religionem Catholicam teneant, atque profiteantur, multosque curare, ut ea semper magis ac magis extendatur. S. Augustinus Cresconio objicienti sibi superesse multas gentes barbaras, quæ adhuc in Christum non crediderant, lib. 3. contra eumdem num. 71. respondet, præter eas nationes, quæ receperant Evangelium, *in ceteras Evangelium crescendo fructificare.* Item objicienti Cresconio in orbe esse multas hæreses, quæ non communicant cum Ecclesia, num. 74. respondet, orbem plenum esse et hæreticis, et servis fidelibus, *quia et mare plenum est amaris fluctibus, plenum est et dulcibus piscibus.* Tandem ajenti Cresconio Orientem non communicare cum Africa, reponit num. 77., Orientem non communicare cum Africa *in paleis hæreticis ab area Dominica separatis*, communicare autem *in frumentis Catholicis, et interioribus paleis.*

§. IV.

De Ecclesia, quatenus est Apostolica.

Nunc de ultima nota Ecclesiæ agendum est a nobis, atque explicandum, qua ratione dicatur, et revera sit Apostolica.

(a) *Hujus cap. §. 10 prop. 1.*

Propositio. Ecclesia est etiam Apostolica tum quia credit, et docet, quod Apostoli crediderunt, et docuerunt, tum quia fundata ab Apostolis regitur per successores Apostolorum.

Prob. prior pars prop. Illud sæpe Patres hæreticis objecerunt in confutationem eorum errorum, in quibus versabantur, doctrinam, quam illi tuebantur, ab Apostolica longe diversam esse, contra vero eidem omnino conformem doctrinam Ecclesiæ. »Traditionem Apostolorum (inquie»bat S. Irenæus lib. 3 *Cont. Hæres.* cap. 3. num. 1.) in toto mundo ma»nifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint »videre." Tertullianus *De Præscript.* cap. 20. »Apostoli (inquit) Eccle»sias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fi»dei, et semina doctrinæ ceteræ deinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quo»tidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant; ac per hoc et ipsæ Apostolicæ de»putantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum." Unde cap. 31. ostendit, hæreticos inde convinci de falsitate suæ doctrinæ, quia eadem contraria esset doctrinæ Apostolorum: »Ipsa enim doctrina eorum (inquit) »cum Apostolica comparata ex diversitate, et contrarietate sui pronuntia»bit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut »Apostoli non diversa inter se docuissent; ita et Apostolici non contraria »Apostolis edidissent: nisi illi, qui ab Apostolis didicerunt, aliter præ»dicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ »licet nullum ex Apostolis, vel ex Apostolicis, auctorem suum proferant, »ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur; tamen in ea»dem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur pro consangui»nitate doctrinæ."

Nunc vero Ecclesiam esse eamdem, immo et unam cum Ecclesia quinque priorum seculorum, quam quidem fuisse vere Apostolicam, etiam ipsi hæretici non diffitentur, inde patet, quia si a priori defecisset, aliqua eorum animadverti possent a nobis, quæ in qualibet mutatione hujus generis apparere solent, hoc est, antiquorum dogmatum nonnulla prorsus sublata, alia mutata, aut corrupta, quædam autem de novo conficta videremus, indeque in Ecclesiis maxima diversitas etiam in fidei dogmatibus conspici deberet, atque ab iisdem, quæ nunc unitas quoad rem istam diligentissime custoditur, semperque custodita fuit, prorsus sublata appareret. Non solum enim non præsupponi, sed ne confingi quidem potest, tantam omnium Ecclesiarum in hujusmodi perturbatione fuisse consensionem, ut singulæ, veteri fide abjecta, unam, eamdemque recenter institutam amplexæ fuerint.

Prob. altera pars. Et primo quidem est Ecclesia *superædificata*, sicuti ait Apostolus *Ephes.* 2. 20., *super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Aliunde quoque constat, regimen Ecclesiæ esse commissum Episcopis, quum iis dictum fuisse legamus *Actor.* 20. 28. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Modo videndum superest, utrum qui Ecclesiæ præsunt, sint successores Apostolorum. Sunt profecto tales: nam ipsi Sacram ordinationem receperunt

ab aliis Episcopis, qui successione Episcopatus minime interrupta ab ipsis Apostolis Episcopi ordinati fuere, eorumque auctoritati successerunt. Huic successioni Patres innitentes jam inde a primis seculis hæreticos refutarunt, atque demonstravere, nullam talem successionem esse apud illos, sed eam adinveniri in sola vera Ecclesia. Tertullianus in lib. *De Præscript.* cap. 32. ita in hanc rem habet: »Ceterum si quæ (hæreses) »audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis »traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo »origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, »ita per successiones ab initio decurrente, ut primus ille Episcopus aliquem »ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseve»raverit, habuerit Auctorem, et Antecessorem. Hoc enim modo Ec»clesiæ Apostolicæ census suos deferunt." Plures deinde Ecclesias Apostolicas enumerat. S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæres.* cap. 3. num. 1. »Ha»bemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in »Ecclesiis, et Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docue»runt, quale ab illis deliratur." Hinc etiam S. Optatus lib. 2. *Cont. Parmenianum*, semel recensita successione Episcoporum primæ cathedræ ad ostendendam veritatem Ecclesiæ Catholicæ, ita contra eumdem insurgit: *Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Quemadmodum autem isti Patres suo tempore et recensere poterant, et revera recensebant Episcoporum successionem, quam ducebant ab Apostolis, contra vero hæretici ex eo tunc tempore ad id faciendum provocati a nostris nunquam rem eamdem præstare potuerunt; ita et nunc quoque tum nostri, tum hæreticorum cujusvis sectæ conditio est.

Hic autem illud esse animadvertendum arbitramur, non oportere, ut inquiramus in succesiones quorumlibet Episcoporum, sed satis esse, ut constet de succesoribus in cathedra Petri, ex qua unitas Sacerdotalis orta est. Semel ac enim compertum sit de successione illius, simul quoque compertum fit omnibus, esse Successores Apostolorum omnes illos Episcopos, qui cum Cathedra Petri unitate fidei, et communionis conjuncti sunt. Hinc vero est, quod neque S. Irenæus lib. 3. *Cont. Haereses* cap. 3. Præsules Lugdunenses, quibus ipse successerat, nec Eusebius in suo *Chronico* Cæsarienses, nec S. Epiphanius *Hæresi* 27. num. 6. Salaminenses, nec S. Optatus Milevitanus lib. 2. *Cont. Parmenianum* Milevitanos, nec S. Augustinus epist. 53., alias 165. num. 2., Hipponenses recensuerit, sed omnes successionem Romanorum Pontificum usque ad sua tempora texuerunt.

LIBER QUARTUS

De Auctoritate Romani Pontificis.

Postquam disputavimus de Auctoritate Ecclesiæ universim acceptæ, est nunc pertractandum a nobis singulariter de Supremo visibili capite

ejus, atque statuendum, quanta sit Auctoritas decretorum illius, ut inde perspectum fiat, cujusnam firmitatis apud unumquemque ea argumenta esse debeant, quæ Theologus ad probandas suas assertiones ex hujusmodi principio depromit. Rem totam, quam paucis fieri poterit, complectemur. Est ea sane adeo gravis, ut Thomas Morus, et firmissime illam in Christiana Religione constabilitam, et reliquorum, quæ ad eamdem spectant, basim, et fundamentum esse, pronuntiaverit, postquam initio Anglicani schismatis, data opera, plurimorum spatio dierum diligentius expendit, quam certis principiis niteretur, et illa semel sublata, quænam perturbatio in dogmatibus Christianæ Religionis reliqua foret (a). Ut igitur ab initio totius rei exordiamur, atque ita tota explicatio ejus facilior evadat, in 1. cap. ostendemus, esse debere in Ecclesia caput visibile: in 2. hoc visibile caput a Christo fuisse constitutum in persona Petri: in 3. Petrum fuisse infallibilem, quatenus docebat, quæ sunt fidei, universam Ecclesiam: in 4. in eodem Petro fuisse Supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam: in 5. Petrum Romanæ Ecclesiæ usque ad obitum præfuisse, eique succedere Romanos Pontifices: in 6. Romanos Pontifices esse infallibiles, quatenus, quæ sunt fidei, universam Ecclesiam docent: in 7. item esse in eis supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam.

CAPUT PRIMUM.

De Capite visibili Ecclesiæ.

Nullum dari visibile caput, quod sibi demandatum habeat Supremum regimen totius Ecclesiæ, sed in ea nunc quoque ipsum Christum exercere officium capitis, et regis, falso putarunt Marsilius de Padua, et Joannes de Janduno, quos Joannes XXII. damnavit hæreseos in Constitutione incipiente: *Licet juxta* apud Martenium tom. 2. *Anecdotorum* pag. 704., et Michäel Cesenas, quem etiam damnavit idem Joannes XXII. Constitutione, quæ incipit: *Dudum ad nostri* cit. tomo apud Martenium pag. 709., ac Joannes Hus, damnatus et ipse in Constantien. Concilio sess. 15. Hos omnes sequutus fuit Galvinus lib. 4. *Inst.* cap. 6. §. 9., et Marcus Antonius de Dominis *De Ecclesiast. Republica* lib. 1. cap. 1.

Prop. I. Quia Ecclesia est visibilis, requirit etiam visibile caput.

Prob. prop. Ecclesiam esse visibilem, jam ostensum est a nobis in præced. lib. cap. 3. §. 1. igitur inde inferendum putamus, etiam caput illius visibile esse debere. Nam licet inter cetera membra præemineat caput; tamen exigit ratio proportionis, quæ intercedere debet inter partes unum aliquod simul componentes, ut caput sit ejusdem naturæ, et speciei cum aliis membris: quia ergo Ecclesia est visibilis, oportet, ut

(a) Legatur Petrus a Soto *in Defens. Cathol. Confess. De una, et Visibil. Ecclesia necessario agnoscenda* cap. 78.

etiam caput visibile habeat. Et certe si illud non haberet, in suo regimine esset deterioris conditionis ipsa secularis republica; quod sane nullo modo dici potest. Nam tum Ecclesia, tum respublica secularis est visibilis: utraque ergo ex sui natura exigit caput visibile: igitur si hoc haberet respublica secularis, non Ecclesia, hæc præ illa quoad hanc partem esset conditionis deterioris.

Quapropter licet Christus nunc sedens ad dexteram Patris etiam exteriori regimine suam Ecclesiam per se gubernare possit, nullo adhibito ministerio hominum; tamen semel ac suam Ecclesiam voluerit esse visibilem, quam maxime conveniens fuit, ut ei visibile caput præficeret, quemadmodum illius conditio requirebat.

Dices I. Christus, dum Ecclesiæ fundamenta posuit, Apostolos sibi coadjutores assumpsit: Apostolis vero successerunt Episcopi, atque eadem nunc Ecclesiæ forma perseverat: igitur licet ministris visibilibus Ecclesia nunc indigeat, non tamen visibili capite. Ita Marcus Ant. de Dominis lib. 1. *De Ecclesiast. Rep.* cap. 1. num. 16. et seq.

R. dist. ant., et dum Ecclesiæ fundamenta posuit, ipse egit personam capitis visibilis, conc., fuit tunc Ecclesia sine capite visibili, neg. Neque a nobis negatur, neque ab aliquo negari potest, Christum, dum Ecclesiæ fundamenta posuit, Apostolos in sui adjutorium assumpsisse, iisque Episcopos succedere: attamen, dum ipse Christus nobiscum egit, visibilis quoque capitis personam sustinuit, quemadmodum citato loco etiam Marcus Antonius tradit, affirmans, Christum *præcipuum Pastorem, Doctorem, et Episcopum olim, etiam visibilem fuisse.* Modo ergo Ecclesia visibili capite destituta foret, semel ac, præter Christum, nullum aliud visibile caput admittatur. Quia ergo nunc Ecclesia a primitiva non differt, ideo in ea admittatur oportet visibile caput, quod Christi præcipui Pastoris, Doctoris, et Episcopi, olim etiam corporalis, vices expleat in iis omnibus, quæ spectant ad gubernationem exteriorem.

Dices II. Christus caput Ecclesiæ esse dicitur, atque revera est: ergo non sine injuria Christi aliud caput confingitur.

R. cum distinct. caput primum, supremum, atque invisibile, conc. visibile, atque subordinatum, neg. Licet enim et ipse Petrus petra esset, inquit S. Basilius (a): *Non ut Christus petra, sed ut Petrus petra erat.* Christus enim vere est petra inconcussa: *Petrus vero propter petram.* Est ergo capitis et interius vi motiva, atque sensitiva influere in cetera membra, et exterius ea regere, ac moderari: »interior autem influxus gratiæ (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 8. art. 6.) non est ab aliquo, nisi »a solo Christo, cujus humanitas ex hoc, quod est Divinitati conjuncta, »habet virtutem justificandi: sed influxus in membra Ecclesiæ quantum »ad exteriorem gubernationem potest aliis convenire: et secundum hoc »aliqui alii possunt dici capita Ecclesiæ secundum illud *Amos* 6. 1. *Op-*

(a) Tom. 2. in Append. *Homil. De Pœnitent.* num. 4. juxta edit. Maur.

»*timates capita populorum*, differenter tamen a Christo. Primo quidem »quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui ad Ec»clesiam pertinent secundum omnem locum, et tempus, et statum; alii »autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut »Episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiam secundum determinatum tem»pus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ scilicet tempore sui Pontifica»tus, et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu »viæ." Deinde superaddit, Christum propria virtute, et auctoritate esse caput Ecclesiæ, alios vero omnes, prout funguntur legatione Christi. »Non »ignorat fides vestra, (inquit S. Augustinus Serm. alias 49., nunc 137. »num. 1.) Charissimi, et ita vos didicisse novimus.... quia Dominus no»ster Jesus Christus, qui jam pro nobis passus est, et resurrexit, caput »est Ecclesiæ, et est corpus ejus Ecclesia, et in ejus corpore unitas mem»brorum, et compago caritatis, tamquam sanitas existit." Hinc ajebat Apostolus II. *Corint.* 5. 20. *Pro Christo ergo legatione fungimur.*

C. Apostolus *Ephes.* 4. 15. et seq. hæc habet: »Veritatem autem fa»cientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. »Ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam »subministrationis secundum operationem, in mensuram uniuscujusque »membri augmentum corporis facit." Ex his vero constat, Christum haberi debere sicuti unam personam in Ecclesia Militante, atque Triumphante: ergo nullum visibile caput admitti debet. Ita Marcus Anton. de Dominis lib. 1. *De Ecclesiast. Republ.* cap. 1. num. 7.

R., nos ab eo quærere, quo sensu velit, Christum esse unam personam cum Ecclesia, utrum in sensu physico, an in mystico: si in priori; id sentit, quo nihil absurdius est, quia membra physica suo capiti physico unita esse debent physice. In spirituali itaque sensu loquitur Apostolus, influxumque spiritualem Christi in Ecclesiam explicat. »Corpus naturale (inquit S. Thomas lect. 5. in cap. 4. epist. *ad Ephes.*) »tria habet: scilicet compactionem membrorum ad invicem, ligationem »per nervos, et mutuam subministrationem." Explicat deinde sistendo auctoritati Apostoli quomodo hæc tria a Christo in mysticum corpus Ecclesiæ descendant: »Et primo (inquit) compactio per fidem: unde dicit: »*ex quo*, scilicet Christo, qui est caput nostrum, ut modo dictum est, »*totum corpus compactum est*, id est, coadunatum. . . . Secundo fluit »a Christo capite in corpus Ecclesiæ suæ mysticum connexio, et colliga»tio: quia oportet adunata aliquo nexu, vel vinculo necti, vel colligari: »et propter hoc dicit: *et connexum per omnem juncturam subministra»tionis*, id est, per fidem, et caritatem, quæ connectunt, et conjun»gunt membra corporis mystici ad mutuam subministrationem. . . . Ter»tio a capite Christo in membris, ut augmententur spiritualiter, influi»tur virtus actualiter operandi: unde dicit: *secundum operationem in »mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit.*" Ex his vero omnibus constat de falsa interpretatione.

C. Apostolus I. *Corint.* 12. 12. ita habet: »Sicut enim corpus unum »est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis quum

»sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus." Igitur Christus est aliquid unum cum tota Ecclesia, ita ut Christus, et Ecclesia constituant unum integrum corpus conflatum ex capite, et ex membris: ministri sunt membra et ejus quidem corporis, cujus caput est Christus, qui membris licet utatur, non tamen altero capite: ergo. Ita Marcus Antonius de Dominis loco supra cit. num. 4.

R. Concedi a nobis, Christum simul cum tota Ecclesia esse aliquod unum: *Nam ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus*, sicuti legitur *Ephes.* 1. 22.: item concedi, tum ministros, tum ceteros Fideles esse membra ejus corporis, cujus caput est Christus: dum tamen infertur, Christum uti quidem suis membris, non tamen altero capite; distinguimus: non utitur altero capite, quod tale sit respectu ipsius Christi, conc., respectu ceterorum membrorum, neg. Aliud est, omnes Fideles, ne ministris quidem exceptis, esse membra Christi, et Christum unicum caput omnium hujusmodi membrorum, aliud vero inter hæc membra unum aliquod esse, quod præsit ceteris, et sit eorum omnium caput. Si Christi Supremi capitis ratio habeatur; omnes Fideles sunt membra, alioquin Christus dici non posset Supremum caput: si autem ipsorum membrorum; unum supra cetera præcellat, oportet, eaque regat, atque moderetur. Hoc vero est, quod tradit etiam Apostolus, qui postquam affirmavit, *Roman.* cap. 12. nos esse unum corpus in Christo, illud supperaddidit, datas fuisse nobis secundum gratiam diversas donationes, inter quas eam quoque recenset; qua nonnulli prælecti fuere, ut *præessent* ceteris, hoc est, aliis membris, licet, qui præessent, æque, ac alii, unum in Christo corpus constituerent. Hoc idem confirmat etiam in isto 12. cap. epist. 1. *ad Corint.*, ad quod adversarius noster apellat: nam nos omnes in unum corpus fuisse baptizatos, et esse corpus Christi, Apostolus quidem tradit; verum membrorum munera diversa esse affirmat, quia v. 12. *si totum corpus oculus: ubi auditus? si totum auditus: ubi odoratus?* Quare si habeatur ratio comparationis, quam instituit, sicuti diversa sunt munia membrorum corporis physici, licet ejusdem corporis æque sint membra; ita etiam membrorum corporis Christi diversa munia ad invicem esse debent, licet omnia respectu Christi in se habeant rationem membri. Inter hæc autem diversa munera, ipsius Ecclesiæ conditio exigit, ut illud quoque habeatur, in quo supremum regimen resideat.

Non solum alia loca Divinarum Scripturarum, sed etiam Sanctorum Patrum, quæ idem Adversarius nobis opponit, quæque ostendunt, Christum Ecclesiæ esse Supremum caput, ulteriori nostra explicatione non egent, ac propterea ad alia pergimus.

CAPUT SECUNDUM.

De Capite illo visibili, quod Christus in ipsa Ecclesia constituit.

Petrum a Christo suæ Ecclesiæ datum fuisse supremum caput, atque illi collatam supremam auctoritatem non tantum honoris, et dignitatis,

qualem in eo agnoscunt etiam multi eorum, quos refutandos aggredimur, sed potestatis quoque, atque jurisdictionis, nunc ostendemus, ut inde compertum esse possit, qualis auctoritas in successore ejus admittenda sit.

Id nunc animadverti debet, hoc esse discriminis inter auctoritatem ordinis, ac dignitatis, et inter auctoritatem potestatis, atque jurisdictionis, ut illa posita sit in quadam exteriori præeminentia honoris, ista vero in facultate interiori, quam quis supra ceteros quoad ea omnia habeat, in quibus præficitur eis. Primatum ordinis etiam Hæretici, atque Schismatici admittunt: nam *Reformatos Primatum tantum ordinis in Papa agnoscere*, tradit Salmasius in Præfat. Operis. *De Primatu Papæ*. Nilus *De Causis dissensionum* lib. 1. una cum ceteris schismaticis admittit tantum *Primatum ordinis*, *et in verbis magis*, *quam in rebus positum*.

Prop. Christus suæ Ecclesiæ Supremum caput constituit S. Petrum, eumque non solum ordinis, et dignitatis, sed etiam supremæ potestatis, et jurisdictionis auctoritate communivit.

Prob. prop. prior pars. Tria præ ceteris magis distincta loca in Evangelio quoad rem istam occurrunt: in uno promittitur Petro Suprema præfectura auctoritatis, et potestatis super universam Ecclesiam, in altero eadem promissio confirmatur, in tertio impletur. Nunc de singulis, et primo de his, quæ leguntur *Matt.* 16. 16. Quum Christus venisset in partes Cæsareæ Philippi, quæsivit a discipulis, quemnam ipsum esse, dicerent homines: ad hæc illi non unum judicium omnium esse reposuerunt: putare aliquos, Filium hominis esse Joannem Baptistam, alios Eliam, nonnullos Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Hoc audito, Christus ait: *Vos autem quem me esse dicitis?* Tunc sane, uno excepto Petro, omnes tacuerunt. Petrus ergo solus ille fuit, qui respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Nulla usque modo concertatio est in expositione hujus loci inter nos, atque ipsos Acatholicos. Sequentia videamus, et interim animadvertimus illud unum, hoc est, nunc esse sermonem singulariter inter Petrum, et Christum, et Petrum singulariter confessum fuisse, Christum esse Dei Filium. Christus ergo, hac Petri confessione semel audita, ita illum affatus fuit: »Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, »et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego »dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam »meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo cla»ves Regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit liga»tum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum »et in cælis." Hæc omnia manifesta sunt, nullamque in se obscuritatem habent. Petrus, et quidem unicus inter ceteros alios, qui simul adstabant, non carne, et sanguine revelantibus, sed Patre, qui est in cælis, Christum esse Dei filium confitetur: Christus ob hanc fidei confessionem super illum Ecclesiam ædificandam esse prædicit ac propterea illi se daturum spondet claves regni cælorum, quibus ligatum, aut solutum esset in cælis, quod in terris solveret, aut ligaret. Plana hæc sunt, et obvia unicuique: mirum tamen est, quam multa Adversarii nostri ad

illa obscuranda confinxerint. Lutherani, et Calvinistæ recentiores etiam ad quasdam tricas grammaticales recurrunt, antiquiores vero omnem in eo operam ponunt, ut verum sensum verborum pervertant, cum quibus uniuntur etiam alii quidem, qui Catholici haberi volunt. Nunc ergo contra istos, quoniam in refellendis nugis illorum non est, cur tempus absumamus. Consulatur Mamachius *Orig. et Antiquit. Christ.* lib. 4. par. altera cap. 1. §. 9.

Petrum ergo esse illam petram, supra quam Christus Ecclesiam ædificandam prædixit, nullus dubitare potest. Quandoquidem sive legatur: *Tu es Petrus*, uti in Græco, et in nostra Vulgata; sive: *Tu es Petra*, quemadmodum habetur in Syriaco, et in Hebraico, semper æque constat, Petrum esse subjectum illud, super quod Ecclesiam extruendam esse, Christus prædixit. Hæc enim pronomina: *Tibi*, *Tu*, et *super hanc*, ita in loquutione Christi conjunguntur ut, unum, idemque subjectum certissime designent, et illud quidem subjectum, quod vocabatur Simon, quod erat filius Jonæ, et quod a Christo Petrus appellatus fuit: rursus illud subjectum, quod, Christum esse Filium Dei, et quidem revelante Patre, qui est in cælis, confessus fuerat. Ex his autem, nobis quoque tacentibus, constat, quam longe a vero contra evidentissimam loquendi rationem aberrent tum ii, qui nomine petræ omnes Fideles, vel fidem eorum, tum alii, qui, Christum intelligi, volunt.

Illa verba: et *super hanc petram* referenda esse ad Petrum, Patres unanimiter tradunt, tamen nonnulli eorum, confessionem Petri, alii vero, personam illius nomine petræ designatam fuisse, tradunt. Loca eorum solummodo indicabimus. Prioris sententiæ sunt S. Hilarius lib. 6. *De Trinitate* num. 36., S. Gregorius Nyssenus cap. ult. *De Trinitate*, S. Ambrosius *De Incarnat.* cap. 5. num. 34 S. Epiphanius *Hæresi* 59. num. 7., S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 54., alias 55. *in Matt.* num. 2., S. Augustinus *Tract.* 7. *in Joan.* num. 20., S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *De Trinitate*, Theodoretus epist. 77., S. Petrus Chrysologus *Serm.* 154., S. Isidorus Hispalensis lib. 7. *Originum* cap. 9., S. Joan. Damascenus *Orat. De Transfigurat.* num. 6., et S. Thomas 2. 2. quæst. 174. art. 6. Alterum ex Græcis Patribus tenuit Origenes *in Matt.* num. 139., S. Cyrillus Hierosolym. *Catechesi* 18. num. 25., S. Joan. Chrysostomus lib. 5. *Adversus Judæos* num. 2., S. Joan. Damascenus *De Recta sententia* num. 4. ex Latinis Tertullianus *De Pudicitia* cap. 21., S. Cyprianus epist. 33., S. Ambrosius *Exposit. in Lucam* lib. 6. num. 97., S. Greg. Magnus lib. 5. Indict. 13. epist. 20., alias 32. Uno verbo dicamus: pars maxima Patrum Matthæi locum ad Petri personam refert.

Ex his autem perspicuum est, Patres in expositione hujus loci, de quo agimus, sibi mutuo consentire, licet nonnulli eorum ad personam Petri, alii ad confessionem ejus eumdem referant. Semper enim inter se mutuo absque ulla dubitatione conveniunt, Petrum esse illum, super quem ædificationem Ecclesiæ faciendam esse, Christus promisit. Unde longe a vero Dupinius aberrat, dum *De Antiq. Eccles. Discipl.* Dissert. 4. cap. 1. §. 1. Primatum Petri ex citato loco S. Matthæi evinci non pos-

se, inde affirmat, quia non una ille, eademque ratione a SS. Patribus, et interpretibus exponitur: quemadmodum enim modo observavimus, diversitas, quæ occurrit in illorum explicandi ratione, non tollit, sed firmat eorumdem unanimem consensionem quoad promissionem factam a Christo de Ecclesia ædificanda supra Petrum. Hinc vero est, ut unus, idemque S. Pater utramque explicationem in diversis locis sequatur.

Quod ex cit. loco Matthæi omnino constat, quidam in dubium inde revocare vellent, quia traditio Patrum, qui verba Christi ad personam Petri referunt, est multo minor traditione aliorum Patrum, qui verba Christi referunt ad confessionem Petri. Numerum horum Patrum esse majorem numero illorum, tuetur Launojus epist. 7. ad Gulielmum Vœllum, Eybelius (a), et nuperus quidam Auctor (b) Launojum sequutus, qui audacter affirmavit, iterum iterumque lectis a se Operibus SS. Patrum, quæ habemus, constare nomine Petræ septemdecim tantum illorum intellexisse personam Petri, et plusquam quadraginta quatuor fidem, vel confessionem Petri. Auctor non minus Ecclesiastica dignitate Eminentissimus, quam celebritate nominis in litteraria republica ob multa præclara opera, quæ in lucem edere nunquam destitit, nuperum Auctorem tanta copia monumentorum omnium temporum refutavit (c), quantum in nullo unquam opere cujusvis auctoris hac de re collecta fuerunt, ac nemini locum reliquit uberius ostendendi, traditionem omnium seculorum stare pro persona Petri, non vero pro confessione illius, quamvis non desierint Patres, qui ad hanc quoque respexerint. De re ista undequaque absoluta non est igitur, cur agamus: hoc igitur unum contendemus, omnino constare de posito a Christo fundamento Ecclesiæ supra Petrum tam ex auctoritate illorum Patrum, qui verba Christi ad personam Petri, quam ex aliorum Patrum, qui eadem verba ad confessionem Petri retulerunt.

1. Iidem Patres verba Christi retulerunt modo ad personam Petri, modo ad confessionem illius, sicut supra animadvertimus, et etiam Launojus in cit. Epist. consentit, dum recenset Patres, qui pro persona Petri, vel pro Confessione illius steterunt: profecto semel ac bi Patres sibi adversati non fuerint, dum verba Christi ad confessionem Petri retulerunt, ad personam Petri referri non negarunt.

2. Non solum non negarunt, sed etiam voluerunt: nam qua tandem de confessione loquuti fuerunt? Utrum fortasse de Confessione omnium Apostolorum, quos Christum confessos fuisse non legimus? An generatim de quadam confessione, uti dicunt, in abstracto, quæ nullius propria sit? Utrumque sane ridiculum est, atque commentitium: nam et solus Petrus cum Christo, et solus Christus cum Petro colloquebatur: solus

(a) In Opere: *Cosa è il Papa.*

(b) In opusculo: *riflessioni sopra il Breve del Sommo Pont., in cui si condanna il libro di Eybel.*

(c) In Opere: *Confutazione dei due libri diretti contro il Breve: Super Solliditate* vol. 1. par. 2. *Analisi* 8.

Petrus confessus fuit, Christum esse Filium Dei vivi, et Christus, habita ratione hujusmodi confessionis, dixit ad Petrum: *Et ego dico tibi &c.*

3. Fides Petri, semel ac sit revera illius, ad personam Petri refertur, indeque fides Petri confitentis divinitatem Christi est persona Petri confitentis divinitatem Christi. Fides enim est virtus, qua fit confessio veritatis revelatæ; ille tamen, in quo est fides, non autem ipsa fides, veritatem revelatam confitetur.

4. Cuinam a Patre Cælesti revelatum fuit, Christum esse Filium Dei? Petro sane, atque illi tantum fecit hanc revelationem non caro, et sanguis, sed Pater Cælestis. Hac semel habita revelatione, Petrus confessus fuit Christum esse filium Dei vivi: facta a Petro hujusmodi confessione, Christus spopondit, supra eum se confitentem suam Ecclesiam ædificaturum. Quare Christus Petrum confitentem, seu quod idem est, Petri actualem Confessionem respiciens, supra illum suam Ecclesiam ædificare decrevit. Quando igitur Patres Petri confessionem respiciunt, Petrum confitentem, et quidem ex divina revelatione, respiciunt; Petrum, qui suo ore dixit: tu es Christus filius Dei vivi; Petrum, quem Christus beatum dixit ob factam sibi revelationem; Petrum, qui propter præcedentem confessionem audivit a Christo: tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. De posito igitur a Christo fundamento Ecclesiæ supra Petrum constat tam ex auctoritate illorum Patrum, qui verba Christi ad personam Petri, quam aliorum, qui ad confessionem Petri referunt.

Lucæ cap. 22. 31. et seqq. Christus in Petro confirmavit eam Supremam præfecturam in universam Ecclesiam, quam illi se daturum esse *Matthæi* cap. 16. spoponderat. Quum ergo Christus, cœna facta, Apostolis omnibus futurum promisisset, ut in suo regno sederent judicantes duodecim tribus Israel, ad unum Petrum, ceteris Apostolis præsentibus, conversus ita illum affatus fuit: »Simon, Simon, ecce Satanas expetivit »vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non defi»ciat fides tua, et ut aliquando conversus confirma fratres tuos." Christus omnes Apostolos a tentatione Satanæ appetendos affirmat; pro uno tamen Petro rogat, ne deficiat fides illius: uni Petro committit, ut fratres in fide confirmet: igitur etiam Apostoli fuerunt in numero illorum fratrum, qui a Petro in fide confirmandi erant: itaque, ne exceptis quidem Apostolis, cura confirmandi in fide fratres uni Petro commissa fuit. Quum ergo Ecclesia fundata sit in recta doctrina fidei, ex eo quod illius Supremum magisterium uni Petro committatur, magis magisque Suprema præfectura super universam Ecclesiam jam promissam *Matt.* cap. 16. in eodem confirmata manet.

Joan. 21. traditum habemus, Christum redivivum a mortuis contulisse Petro quod *Matt.* cap. 16. promiserat, et *Lucæ* cap. 22. confirmaverat. »Quum ergo prandissent (scilicet discipuli discumbentes cum »Christo, sicuti legitur *Joannis* cit. cap v. 15.) dicit Simoni Petro Jesus: »Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam, Domine, tu scis, »quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos." Hanc interrogationem ite-

rum, iterumque Christus fecit Petro, a quo quum eamdem responsionem semper accepisset, etiam secunda vice, sicut fecerat in prima, præcepit illi, ut suos agnos, in tertia autem, ut suas oves pasceret. Nullus est hic quoque dubitandi locus, quin Christus hisce verbis Petrum fuerit singulariter alloquutus, atque singulariter illi commiserit, quod aliis discipulis adstantibus nullo modo commisit: immo vero eos curæ Petri subjecerit, quum illi tam oves, quam agnos pascendos tradiderit. Nam omnes quidem discipulos, qui tunc simul aderant, Christus ad prandium vocavit, omnibusque etiam panem, et piscem ipse porrexit: at vero quando agere cœpit de suprema cura committenda suarum ovium, et agnorum; tunc sane tantum cum Petro rem sibi esse, qua fieri majori evidentia poterat, ostendit. Nam Petrum vocans proprio nomine, et eo quidem, quo ipsum compellaverat, quando super eumdem Ecclesiam extruendam promiserat; ab eo quæsivit, utrum se diligeret plusquam ceteri: primæ, et alteri responsioni Petri, ut agnos suos, tertiæ autem ut suas oves pasceret, universo, ac generatim ulla sine distinctione reposuit. Ad Petrum ergo tantum dictum fuisse singulariter: *Pasce oves meas: pasce agnos meos*, qui negaverit, sane non video, quidnam tandem ille negare non possit. Constat ergo ex tribus prædictis locis, S. Petrum a Christo constitutum fuisse Supremum caput totius Ecclesiæ. »Quis enim nesciat (ita S. Gregorius Epist. lib. 7. indict. 15. epist. 40., alias 37.) Sanctam Ecclesiam, in Apostolorum »Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, »ut Petrus a petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum*: cui rursus dicitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: iterumque: *Simon Joannis amas me? Pasce oves »meas.* Itaque quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola »Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est."

Prob. altera pars. Profecto quum Christus *Matt.* cap. 16. promiserit Petro, super eum suam Ecclesiam ædificaturum se esse, veluti supra præcipuum, omniamque primum fundamentum, eique, qui uti basis ad sustinendam Ecclesiam erat elevandus, daturum claves regni cælorum, quibus quidquid solveret, aut ligaret in terris, esset solutum, aut ligatum in cælis: et quum *Lucæ* cap. 22. ipsum Petrum certiorem fecerit, se rogasse, ut non deficeret fides illius, atque etiam illi præceperit, ut fratres in fide confirmaret; dicendum sane est, hisce verbis: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*, eam Petro potestatem collatam a Christo fuisse, quæ requirebatur, ut exequeretur, quod debebat juxta promissiones sibi factas *Matt.* cap. 16., et *Lucæ* cap. 22. At vero ut primum, præcipuumque Ecclesiæ fundamentum esset, ut omnis solvendi, et ligandi, prout primo fundamento Ecclesiæ convenit, potestatem haberet: ut propter fidei suæ indefectibilitatem ceteros omnes in fide solidare, atque confirmare posset, illud necessario requirebatur, ut Supremam in universam Ecclesiam præfecturam haberet, et eam quidem potestatis, atque jurisdictionis: hæc ergo est, quæ Petro promissa fuit

Matt. cap. 16., confirmata *Lucæ* cap. 22., collata prædictis verbis *Joannis* cap. 21.

Et re quidem vera ligandi, solvendique potestas sine auctoritate veræ jurisdictionis intelligi non potest: sine ea item confirmandi fratres in fide, nulla habetur solida ratio, cui ipsi fratres obtemperare debeant: rursus sine ea pastor gregi frustra præficitur: si ergo Petro, uti primo fundamento, supra quod extrueretur Ecclesia, ligandi, solvendique potestas collata fuit; si omnes fratres, excepto nemine, in fide confirmare; si omnes tam oves, quam agnos pascere debebat, necessario requirebatur, ut Suprema præfectura auctoritatis, et potestatis super universam Ecclesiam illi conferretur.

Dices. Semel ac Patres, qui nomine petræ fidem, et confessionem intellexerunt, *absque ulla relatione* ad Petrum intellexerint, tunc sane ex verbis *Matt.* non evincitur amplius, quod nos modo contendimus: sed Patres ita senserunt: ergo. Prob. min. S. Hilarius *De Trinitate* num. 36. ita habet: »Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio »est." S. Gregorius Nyssenus cap. ult. *De Trinitate*: »Petra vero fidei »tamquam fundamentum, quia ipse Dominus ait ad Principem Apostolo»rum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*" S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *De Trinitate*: »Petram opinor nihil »aliud, quam inconcussam, et firmissimam discipuli fidem vocavit, in »qua Ecclesia Christi ita fundata, et firmata esset, ut non laberetur." S. Joan. Damascenus *Orat. De Transfigurat.* num. 6. »hæc est firma illa, et »immota fides, supra quam, tamquam petram Ecclesia fundata est." Ergo.

R. Hæc, et alia nonnulla loca Patrum nobis opponere Marcum Antonium de Dominis lib. 1. *De Republ. Ecclesiast.* cap. 7., verum in his sermonem esse de fide, et confessione *absolute*, *et sine relatione ad personam Petri*, ille solus putaverit, qui velit, Patres respexisse ad fidem *absolute*, *et sine relatione ad Petrum*, dum de fide, et confessione Petri loquerentur. Loqui autem eos de fide et confessione Petri, ex ipsis verbis unicuique constat. Hoc autem tum de supradictis Patribus, tum de aliis, quos ipse citat, æque perspectum est, indeque loca illorum a nobis exscribenda non esse, putavimus. Suæ ergo obstinatæ obcœcationis non minus hac in re, quam in aliis multis, Marcus Antonius de Dominis manifestum argumentum præsefert. Bohemerus tamen et ipse quoque non minus obcœcatus *De Jure Parochiali* sect. 8. cap. 1. §. 1. ad locum *Matt.* cap. 16. v. 18. respiciens ita habet: »Hunc locum contra ausus Pontificiorum, fundamentum Ecclesiæ Pe»trum statuentium, solide ex Patrum dictis defendit Marcus Antonius »de Dominis *De Republ. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 6."

C. Verba illa: *Et super hanc petram &c.* juxta explicationem Patrum spectant æque ad Petrum, ac ad ceteros Apostolos: ergo. Prob. ant. unius tantum S. Augustini, licet etiam aliorum auctoritate posset. Ille ergo *Tract.* 119. *in Joann.* num. 4. ita habet: »Quum et illud »(scilicet, tu es filius Dei vivi) unus pro omnibus dixerit: et hoc (vi»delicet, tibi dabo claves) cum omnibus, tamquam personam gerens

»ipsius unitatis acceperit." Ergo. Hunc locum una cum pluribus aliis depromtis tum ex S. Augustino, tum ex ceteris Patribus Justinus Febronius opposuit *De Statu Ecclesiæ* cap. 1. §. 2. num. 3., indeque collegit, communiorem esse sententiam illorum Patrum, »qui Christi verba de »S. Petro quidem, sed ita accipiunt, ut quemadmodum Petrus Domino »omnes interroganti suo, et condiscipulorum nomine respondit; ita et in »replica Christi cum Petro intelligantur reliqui quoque Apostoli, quip»pe qui revera omnes sunt fundamentum Ecclesiæ." Unde concludit, Christum esse *unicum*, et *primarium* fundamentum suæ Ecclesiæ, et semel ac Petrus dicatur *secundum*; et *ministeriale*, etiam de ceteris Apostolis idem affirmandum esse.

R. Hanc rem totam non posse perspicue explicari paucis, sua tamen in longiore disputatione inerit utilitas. 1. Igitur animadverti debet, omnes Apostolos, sive æque Petrum cum ceteris Apostolis, accepisse Spiritum Sanctum, et ligandi, solvendique potestatem. 2. Omnes Apostolos, sive æque Petrum cum ceteris Apostolis, pastores gentium a Christo fuisse constitutos, dum præcepit illis, ut docerent omnes gentes. 3. De omnibus Apostolis, sive æque de Petro cum ceteris Apostolis, dictum fuisse *Apocalypsis* cap. 21. v. 14. esse duodecim fundamenta Ecclesiæ, et super ea Ecclesiam extructam *Ephes.* 2. 20. Apostolum tradidisse. Ex his autem consequitur, ut si ratio Apostolatus habeatur, fuerit æqualis dignitas, et auctoritas tum Petri, tum ceterorum Apostolorum. Hinc vero est, ut Apostoli diviserint inter se gregem, qui sibi traditus ad pascendum fuerat, atque inter eos etiam Petrus, quatenus ipse quoque erat Apostolus, singularem partem illius excolendam assumpserit.

Quamvis autem id facultatis, atque potestatis, quod ceteris Apostolis collatum fuisse legimus, etiam Petrus una cum illis receperit; non tamen quod facultatis, atque potestatis tum *Matt.* cap. 16., tum *Lucæ* cap. 22., tum *Joannis* cap. 21., Christus contulit Petro, alii Apostoli receperunt. Quemadmodum enim jam animadvertimus, ceteris Apostolis adstantibus, uni tantum Petro dixit Christus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: uni tantum Petro: *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; uni tantum Petro: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Contra vero quando agebatur de institutione Apostolatus, non uni tantum aut alteri Apostolorum, sed omnibus, secluso nemine, dixit Christus: *Euntes docete omnes gentes*, omnibus, inquam, sine alicujus exclusione: *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; *et quorum retinueritis, retenta sunt*: et tum Paulus in epist *ad Ephes.*, tum Joannes in sua *Apocalypsi* de omnibus Apostolis æque affiamarunt, quod Ecclesiæ fundamentum essent. Dubitari ergo non potest, quin Petrus supra ceteros Apostolos quidpiam aliud præter Apostolatum a Christo receperit, et illud quidem talis, tantæque jurisdictionis, ut ipse Petrus evaserit singulare, præcipuumque fundamentum totius Ecclesiæ, singularem ligandi, et solvendi potestatem, singularem auctoritatem confir-

mandi fratres in fide, et singularem potestatem (in quo uno omnia continentur) pascendi omnes agnos, et omnes oves Christus illi contulerit.

Et re quidem vera tota ratio Apostolatus in hisce verbis continetur: *sicut misit me Pater, ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc autem dixit Jesus, sicuti *Joannis* 20. 21. et seqq. legitur, quando una sabbatorum apparuit Apostolis, dum clausi manerent propter metum Judæorum. Videamus quid postea actum, et Petro singulariter, nullo autem modo ceteris Apostolis, collatum fuerit. Post dies octo iterum apparuit illis Jesus, et Thomæ incredulitatem redarguit, iterumque postea Discipulis se manifestavit ad mare Tiberiadis. In hac vero manifestatione post multa, quæ inter Jesum, et omnes Discipulos æque intercesserunt, idem Jesus, adstantibus Discipulis, Petrum singulariter de suo in se amore semel, iterum, ac tertio interrogavit, respondentique sibi semel, iterum, ac tertio, quod illum amaret, eidem semel, ac iterum præcepit, ut suos agnos, tertio, ut suas oves pasceret, sicuti habetur *Joannis* 21. 15. et seq. Institutione ergo Apostolorum semel facta, eisque omnibus tota illa collata auctoritate, atque potestate, quæ Apostolatus propria erat, Apostolis præsentibus, Christus omnium agnorum, omniumque ovium pascendi singularem curam, et potestatem Petro tantum contulit: ergo aliquid aliud supra Apostolatum illi contulit: Petrus ergo tunc a Christo recepit singularem potestatem, quæ sane est auctoritatis, et jurisdictionis super universam Ecclesiam, sibi antea singulariter promissam *Matt.* cap. 16., et confirmatam *Lucæ* cap. 22.

Nunc ergo ad S. Augustinum veniamus. Profecto negari non potest, in aliquibus locis S. Augustinum tradidisse, nomine *Petræ* non Petrum, sed Christum intelligi debere. Id enim aperte affirmat *Serm.* 76. num. 1., alias 12. *De verbis Domini*, *Serm.* 295. num. 1., alias 108. *De Diversis*, atque alibi. Illud quoque certum est, S. Augustinum *Tract.* 50. *in Joann.* num. 12., et *Tract.* 124. num. 5., lib. *De Agone Christiano* num. 32., *Serm.* 295. num. 2. alias 108. *De Diversis*, tradere, Petrum nomine Ecclesiæ claves a Christo recepisse.

Ea ergo de causa S. Augustinus nomine *Petræ* Christum quandoque intellexit, ut semper ob omnium oculos pateret, Christum esse illud primum, supremumque fundamentum, supra quod Ecclesia ædificata esset, Petrum autem secundum a Christo fundamentum: »Petra (inquit *Serm.* »76. num. 1.) principale nomen est. Ideo Petrus a petra, non petra a Pe»tro.... Super me ipsum Filium Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam. Su»per me ædificabo te, et non me super te." Serm. 170. num. 2. »Quia »ego Petra, tu Petrus; neque a Petro petra, sed a petra Petrus.... *Et su»per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: non super Petrum, quod »tu es: sed supra petram, quam confessus es. *Ædificabo* autem *Ecclesiam meam*: ædicabo te, quia in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ." Eamdem explicandi rationem sequitur S. Doctor etiam in aliis locis. Verum enimvero an fortasse Catholici unquam negarunt, Christum esse lapidem angularem fundamenti ipsius Ecclesiæ? Supra Christum,

uti supra fundamentum supremum Ecclesiam extructam esse? Hæc vero sunt, quæ S. Augustinus animadvertenda proponit, dum petræ nomen ad Christum refert, ac super hanc petram et ipsum quoque Petrum ædificatum esse, contendit, et ab eadem petra dictum Petrum.

Ideo autem nomine Petræ Christum sæpe intellexit S. Doctor, quia res illi erat cum Donatistis, qui Sacramentorum virtutem in sanctitate ministrorum reponebant. Quia ergo semel ac Ecclesia in Petro fundata dicatur, aliqui, licet præter omnem rationem, inde occasionem accipere posse videbantur præsumendi de sanctitate ministrorum, ponendique super eos spirituale ædificium; S. Augustinus totam rationem fundamenti revocavit ad Christum. Hac de re compertum est ex *Serm.* 76. num. 2., alias 13. *De Verbis Domini*, in quo, ut alia loca nunc omittam, ad refellendum errorem Donatistarum tradit in Petri, et Pauli nomine baptizari neminem, et Petrum ædificatum supra petram, non petram supra Petrum.

Ceterum S. Augustinus etiam quando vocem *Petræ* ad Christum retulit, in Petro agnovit *Apostolatus Principatum.* Nam Serm. alias 6., nunc. 76. num. 3. ita habet: »Idem ergo Petrus a petra cognominatus »beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens." Immo vero etiam ad ipsum Petrum vocem *Petræ* quandoque retulit: inquit enim *Enarrat.* in Psal. 138. num. 22. »Jam dudum quia dixerat: *Tu es* »*Christus Filius Dei vivi*: audivit: *non tibi revelavit caro, et sanguis,* »*sed Pater meus, qui in cælis est*, ideo petra, ideo beatus." Et *Retractat.* lib. 1. cap. 21. num. 1., ut »harum duarum sententiarum (hoc est »earum, quarum una pro petra Petrum, altera Christum intelligit) quæ »sit probabilior, eligat lector." Quum ergo lectori optionem relinquat ex his duabus sententiis amplectendi eam, quæ sibi probabilior videbitur, id omnibus evidenti argumento esse debet, S. Doctorem pro certo non habuisse nomine petræ Christum intelligendum esse. Adversarii tamen nostri hac Augustini explicatione, quæ neque est litteralis, neque litterali obesse potest, et contra nos, et contra unanimem explicationem SS. Patrum opponunt, atque ex ea, quod nunquam voluit S. Augustinus, evincere conantur.

Profecto a nemine negari potest, sensum litteralem esse illum, in quo dogmata fidei suum præcipuum fundamentum habent; juxta litteralem vero sensum nomine petræ intelligi Petrum, et per se constat, et unanimis Traditio docet: igitur quum sensus mysticus et innitatur litterali, et contra eum inde quoque esse non possit, quia litteralis ex verborum, mysticus ex rerum significatione ducitur, nemo non videt, mysticam explicationem petræ, quam Augustinus aliquando sequitur, non obesse litterali, atque in isto dogma fidei positum esse.

Ea vero Sancti Augustini sententia fuit, quando affirmavit, Petrum Ecclesiæ gestasse personam, in persona Ecclesiæ et claves, et munus pascendi oves accepisse, ut voluerit, Petrum propter Primatum sui Apostolatus figurata quadam generalitate singulariter gessisse personam Ecclesiæ, ita ut claves, et munus pascendi oves in persona Ecclesiæ rece-

perit, sicuti primus, præcipuusque hic in terris rector illius, atque moderator: »Petrus Apostolus (inquit S. Doctor *Tractat.* 124. *in Joannem* »num. 5) propter Apostolatus sui Primatum Ecclesiæ gerebat figurata »quadam generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, »natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia »unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo* »*claves &c.* universam significabat Ecclesiam." Etiam *Serm.* 76. num. 2., alias 13. *De Verbis Domini* Petrum propter Primatum Ecclesiæ personam gessisse tradit, inquiens: »Idem ergo Petrus a petra cognomina»tus Beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens." Quamvis autem Petrus propter Primatum, et Principatum sui Apostolatus Ecclesiæ personam gesserit, etiam dum claves, et munus pascendi oves a Christo recepit; ipsi tamen, et non Ecclesiæ, dictum fuit: *Quodcumque ligaveris*; et: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, quemadmodum sensus litteralis evidentissime præsefert. Neque S. Augustinus dum explicat, quod in Petro quoad rem istam præfiguratum putat, sensumque mysticum exponit, litteralem rejicit. Quid? anne dum affirmat *Tract.* 124. *in Joan.* num. 7. Joannem Ecclesiæ triumphantis gessisse personam, quando supra pectus Domini in cœna recubuit, illum supra pectus Domini revera recubuisse, fortasse negavit?

Ad solutionem ergo cujusvis difficultatis, quoniam nimis longum esset, omnia persequi velle, illud adverti debet, nonnullos Patres quandoque affirmasse, potestatem clavium Ecclesiæ collatam fuisse, primo quidem ut ostenderent, hujusmodi potestatem ad commodum, utilitatem, et ædificationem Ecclesiæ totam comparatam esse: secundo ut innuerent potestatem clavium personæ Petri ita affixam non fuisse, ut cum illo simul perierit, et non potius semper in Ecclesia permanserit, quatenus ea in se retinet successores Petri eadem, ac ille fuit, potestate præditos: tertio ut inculcarent, solummodo in Ecclesia peccata remitti, extra eam autem id nullo modo fieri posse. Hoc vero est, quod S. Augustinus potissimum urget *De Doctrina Christiana* lib. 1. num. 17., in *Enchiridio* num. 27., *Serm.* 149. num. 7., alias 24. *De Diversis*, et *Serm.* 295. num. 2., alias 108. *De Diversis.*

CAPUT TERTIUM.

De Infallibilitate Petri, quatenus docebat Ecclesiam, aut oves firmabat in fide.

Petrum non fuisse errori subjectum, dum, sui Primatus habita ratione, Ecclesiam doceret ea, quæ sunt fidei, nunc ostendendum aggredimur ex illis tribus locis Sacræ Scripturæ, de quibus in præced. cap. disputavimus.

Prop. Petrus errare non potuit, dum, quæ sunt fidei, Ecclesiam doceret, aut oves in fide confirmaret.

Prob. prop. Ædificium suam profecto firmitatem a fundamento mu-

tuatur, non vero fundamentum ab ædificiō: at vero Ecclesia, cui Christus futurum promisit, ut portæ inferi nunquam contra eam prævalerent, supra Petrum, uti supra suum fundamentum, superextructa fuit: igitur etiam fundamentum id firmitatis habeat, oportet, quod est in Ecclesia, atque ita quidem, ut non ipsum ab Ecclesia, sed Ecclesia ab ipso firmitatem recipiat. Ea ergo promissione, qua Christus *Matt.* cap. 16. affirmavit, nunquam futurum esse, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, primo Petrum, deinde Ecclesiam respicit.

Hæc fuit communis consensio Patrum in explicatione illorum verborum: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nam, sicuti in cap. præced. animadvertimus, in eo tantum Patres hac in re inter se differunt, ut quidam eorum illa verba: *Et super hanc petram* ad singularem confessionem Petri, qua Christum esse filium Dei confessus fuit, alii autem ad personam Petri referant: priores in fide Petri firmamentum Ecclesiæ positum dicunt: alii statuunt, Petrum esse illam unicam Petram, supra quam Christus suam Ecclesiam ædificaturum promisit. Quapropter ex omnium Patrum unanimi consensione consequitur, infallibilitatem fidei primo convenire Petro, deinde Ecclesiæ. Nam Petrus est columen, substentaculum, atque fundamentum ejus Ecclesiæ, adversus quam portæ inferi prævalere non possunt: quomodo autem id muneris substinere posset, si infallibilitatem ea ipse ratione non haberet, qua convenit illi, qui est fundamentum infallibilitatis in alio existentis?

Deinde *Lucæ* cap. 22. legimus, Christum rogasse pro Petro, ne deficeret fides illius, itemque Petro præcepisse, ut fratres in fide confirmaret. Quæ duo simul unita ostenduut, Christum sua oratione ad Patrem respexisse id, quod voluntate consequenti ipse volebat, et orationem ejus exauditam fuisse a Patre, alioquin, ut suos fratres in fide confirmaret, Petro non præcepisset. De duplici voluntate Christi agemus, sed tempore. Interim audire præstat S. Thomam lect. 1. in cap. 5. epist. *ab Hebr.* explicantem illa verba Apostoli: *exauditus est pro reverentia sui*, sibique inde objicientem, Christum exauditum non fuisse nec pro se, quia a se non transivit calix, sicut ipse petiit, nec pro aliis, quia Judæi, pro quibus in cruce rogavit, indulgentiam consequuti non fuerunt: »Dicendum est (ait S. Doctor) quod Christus in omnibus, quæ »voluit fieri, fuit exauditus. Ipse autem secundum appetitum sensualitatis, et secundum voluntatem, in quantum est quidam appetitus »naturalis, refugiebat mortem, et quantum ad hoc orabat, ut ostenderet se verum hominem, sed voluntate consequente rationem deliberatam volebat mori. Unde dicit *Matt.* 26. 39. *verumtamen non sicut »ego volo, sed sicut tu.* Item nolebat, quod ignosceretur omnibus, sed »illis tantum qui crediderunt, et multi postea conversi sunt."

Postremo cum illa Suprema præfectura, quam Petrus super universam Ecclesiam *Joann.* cap. 21. a Christo recepit, infallibilitas necessario conjungitur: nam semel ac Petrus in doctrina fidei falli potuisset; tunc procul dubio universa Ecclesia ab ipso sui initio talem Supremum

moderatorem habuisset, et quidem Christi auctoritate sibi datum, a quo in errorem induci posset: suæ ergo Ecclesiæ Christus non consuluisset, ut ea ab omni periculo erroris longe abesset: hoc autem dici nullo modo potest: igitur ne illud quidem.

Dices I. Stare potest, supra Petrum Ecclesiam extructam fuisse, quin tamen ille habuerit privilegium infallibilitatis: ergo ex citato loco Matthæi non evincitur, quod nos modo contendimus. Eo vel maxime, quia infallibilitatem non Petro, sed Ecclesiæ promissam fuisse legimus (a).

R. cum distinct., et sine hujusmodi privilegio veri fundamenti rationem habuisset, nego, non habuisset, conc. Ad fundamentum spectat ædificium sibi superimpositum substentare, indeque in eo inesse debet quidquid ad substentationem ædificii requiritur. Hoc vero est, quod deesset fundamento Ecclesiæ, semel ac illud falli posse admittatur: esset enim infallibilis Ecclesiæ fallibile fundamentum: in se igitur Ecclesia non haberet illud fundamentum, quo ipsa, qualis in se est, scilicet infallibilis, substentari posset: veram ergo fundamenti rationem non haberet, atque Christus suam Ecclesiam extruxisset supra fundamentum, a quo ipsa Ecclesia firmitatem sibi necessariam habere nullo modo posset. Profecto S. Leo (b) fundamentum Ecclesiæ ita in Petro positum fuisse tradit, ut per ipsum dona in Ecclesiam derivarentur: »Sed hujus mu»neris Sacramentum (inquit) ita Dominus ad omnium Apostolorum offi»cium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium »summo principaliter collocarit, ut ab ipso quasi quodam capite dona »sua velut in corpus omne diffunderet. . . . ut æterni templi ædificatio »mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret."

Tu es Petrus, inquit Christus *Matt.* 16. 18. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Inde ergo Christus affirmat, nunquam futurum, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævaleant, quia eamdem supra Petrum erat ædificaturus. Quare quum Christus, Ecclesiæ fundamento semel constituto, et nullo habito respectu ad alia, Ecclesiæ promittat infallibilitatem; dicendum sane est, si attendatur connexio verborum, hujusmodi infallibilitatem eum retulisse ad fundamentum, ac propterea significasse huic eamdem infallibilitatem primo loco tribui oportere. Hinc Origenes hæc Evangelii verba explicans in *Matt.* tom. 12. num. 11. ita habet: »Quam autem, *eam*? an enim petram, supra quam Christus ædificat »Ecclesiam? Ambigua quippe loquutio est. An quasi unam, eamdemque »rem, Petrum, et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo: nec enim »adversus petram, supra quam Christus Ecclesiam ædificat, nec adver»sus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt." S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *De Trinit.* hac de re ita: »Petram, opinor, nihil aliud, quam incon»cussam, et firmissimam Discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia ita

(a) Ita Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 10. alias 15., cap. 2., seu verius Auctor sub ficto nomine Bossuetii.

(b) Epist. 10. cap. 1. justa edit. Cacciari.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

»fundata, et firmata esset, ut non laberetur, et esset inexpugnabilis »inferorum portis."

Dices II. Ex illis verbis *Lucæ*: *confirma fratres tuos*, hoc unum colligitur, Petrum ex officio accepisse, ut fratres confirmaret in fide, non autem ut *ei officio nunquam esset defuturus*. Si enim Christus jubendo præstaret, ut ipsum præceptum impleretur, omnes profecto impeccabiles evaderemus. Deinde ipsa confirmandi voce non significari infallibile judicium, constat ex his, quæ leguntur *Thessalon.* 3. 2. *misimus Timotheum . . . ad confirmandum vos*: et *Apocalyp.* cap. 3. 2. *Esto vigilans, et confirma cetera, quæ moritura erant* (a).

R. Hisce omnibus nihil magis contrarium esse posse obvio, et unicuique manifesto sensui verborum Evangelicorum. Omnes profecto Satan expetierat, ut eos cribraret: Christus ergo, ut occurreret illi malo, quod facile evenire poterat, pro fide Petri rogavit, ne unquam deficeret, atque procul dubio consequutus fuit, quod petiit a Patre. Quandoquidem Petro præcepit, ut fratres confirmaret, atque hac ratione prospexit periculo illi, quod ob Satanæ tentationem imminebat: cui certe non prospexisset, si Petrus non habuisset, ut sine periculo erroris fratres confirmaret. Quapropter infallibilitas non ad præceptum confirmandi referri debet, sicuti Bossuetius retulit, ac propterea ad rem nostram non facit, quod opponitur, hoc est, jubendo non præstare Christum, ut præceptum impleatur; sed ad promisionem, quam Christus fecit Petro, quaque ipse Petrus certior evasit, numquam futurum, ut deficeret in fide, dum fratres confirmaret. Hac vero confirmatione, de qua sermo est *Lucæ* 22. 32. indeclinabile judicium significari contendimus, quia conjungitur cum præcedenti promissione facta a Christo, cum qua sane conjuncta non est altera confirmatio, quæ *Thessalon.* 3. 2. *Apocalyp.* 3. 2. commemoratur.

At nunc paucis ostendamus, verum Bossuetium in nostram, immo vero, ipso quoque sentiente, in interpretationem SS. Patrum consensisse. In *sermonibus de Christo*, *appropinquante cœna*, die 79. ita ipse habet latine redditus (b): »Quoniam (Christus) in cohibenda suorum Apostolorum ambitione ita erat loquutus, ut ab iis, qui ejus verba non satis »expendissent, credi potuerit, nullum Primatum fuisse relictum, quin, »et diminutum fuisse illum, quem Petro tradiderat; hoc loco perinde »affatur, ut oppositum palam demonstret. *Satanas*, inquit, *expetivit »vos, ut cribaret omnes: ego autem Petre, rogavi pro te*; pro te in par»ticulari, pro te distincte: non quod alios neglexerit, sed, ut Patres ex»ponunt, quod, firmato capite, impedire voluit, ne membra nutarent. »Propter hoc igitur ait: *rogavi pro te*, non vero rogavi pro omnibus." Infra autem explicans illa verba: *Tu es Petrus &c.* »ego (inquit) Simo»nis nomen mutavi in nomen Petri ob significandam soliditatem, quam

(a) Ita Bossuetius loco supra citato cap. 3.
(b) Tom. 9. Operum illius edit. Parisien. an. 1749.

»tibi volo communicare non solum pro te, verum etiam pro tota mea »Ecclesia, quia super hanc petram volo illam ædificare."

CAPUT QUARTUM.

De suprema legislativa potestate Petri super universam Ecclesiam.

Homines, utpote prædíti ratione, licet per se videre possint, quid sibi invicem debeant, tamen est conforme rectæ rationi, ut sanctione legum civilium hac quoque in re dirigantur; ita potiori jure requiritur, certas ab Ecclesia leges esse sancitas, quibus in consequutione æternæ vitæ unusquisque dirigatur, quamvis ex Divina lege, quid credere, et agere debeat ad eam assequendam, cognoscere possit. Hinc etiam Ethnici ducti lumine rationis quosdam apud se constituerunt, qui rem Divinam moderarentur, omnesque alios quoad ea regerent, quæ ad divinum cultum spectare arbitrabantur. Multiplici sane ratione quoad rem istam suæ Ecclesiæ Christus providit: nunc tamen nos de ea tantum suprema potestate legislativa agemus, quam totius Ecclesiæ Supremo capiti visibili reliquit, quamque propterea omnes suscipere, et venerari debent.

Prop. I. Dubitari non potest, quin Christus supremam legislativam potestatem Petro contulerit.

Prob. prop. Tam de Primatu auctoritatis, et jurisdictionis, quam de suprema legislativa potestate ipsius Petri constat ex eisdem Sacræ Scripturæ locis. Quemadmodum jam vidimus, illis verbis: *Tu es Petrus &c.*, quæ *Matt.* cap. 16. leguntur: Christus se constituturum promisit Petrum suæ Ecclesiæ Supremum caput cum auctoritate potestatis, atque jurisdictionis. Præstitit Christus, quod promisit, sicut jam ostendimus, et illud non præstare non poterat, semel ac promiserat. At vero suprema legislativa potestas ita conjungitur cum Supremo capite, et cum suprema præfectura totius Ecclesiæ, ut ab iis avelli nullo modo possit: Ecclesia enim ubique locorum extendi, atque dilatari oportebat, et gentes omnes, ac nationes in sui unitatem recipere: igitur sola legislatione a suo supremo capite regi, atque gubernari poterat: nulla enim alia ratio occurrit, qua inter se dissitæ gentes sub uno regimine contineantur. Unum ergo cum altero magis conjunctum esse non potest, quam revera est, suprema legislativa potestas cum suprema præfectura auctoritatis et jurisdictionis. At vero de hac constat ex *Matt.* cap. 16. ergo etiam de illa.

Alter locus, ex quo nobis comperta est potestas auctoritatis, et jurisdictionis super universam Ecclesiam, quam Christus contulit Petro, est ille, qui *Lucæ* cap. 22. legitur. in quo habemus, et singulariter pro Petro Christum rogasse, ne deficeret fides illius, et singulariter illi præcepisse, ut fratres confirmaret in fide. Ut ergo Petrus hoc sibi demandato a Christo munere fungi posset, publica in eo, et suprema legislativa potestas requirebatur, qua et definiret, quidnam ad rectam fidem spectaret, si quando de rebus fidei aliqua controversia inter fratres

oriretur, et statueret, quidnam honestati morum conveniret juxta præscripta Evangelicæ legis, et eos ab Ecclesia separaret, qui obstinate in errore persisterent, et cetera omnia disponeret, quæ ad publicam totius Ecclesiæ utilitatem conducerent. Nihil enim horum est, quod sine suprema legislativa potestate perfici possit, semel ac ea universam Ecclesiam attingere debeat. Sicut ergo verba Lucæ supremam præfecturam Petri super universam Ecclesiam ostendunt, ita etiam de suprema legislativa potestate ejus nullum dubitandi locum relinquunt.

Idem præstant etiam verba *Joannis* cap. 21. quibus pascendi agnos, et oves Suprema cura Petro commissa fuit. Rationales profecto agnos, et oves Petrus pascere debebat: id autem sine legislativa suprema potestate ab eo perfici nullo modo poterat, quum ovile curæ illius commissum, qua late patet orbis, extendi deberet, nullaque alia ratione pasci posset, quam legislatione, quæ et a suprema potestate esset et ei omnes agni, atque oves omnino subjicerentur. Cum illa ergo cura pascendi agnos, et oves, quam Petro traditam fuisse *Joannis* cap. 21. legimus, suprema quoque legislativa potestas oportet, ut conjungatur; ac propterea etiam de ista ex verbis Joannis omnino compertum habemus.

Prop. II. Petri legislativa potestas, que ex illius suprema præfectura auctoritatis, atque potestatis super universam Ecclesiam proficiscebatur, suprema erat, nullique alteri potestati subjecta,

Prob. prop. Semel ac enim hujusmodi legislativa potestas proficiscatur, sicuti revera illam proficisci ostendimus, a Primatu auctoritatis, atque jurisdictionis super universam Ecclesiam, ipsi Primatui conformis esse debet: sed nullo modo esset conformis, si suprema non esset, et alicui alteri auctoritati subjiceretur: tunc enim ex ipsa sui ratione opponeretur Primatui auctoritatis, atque jurisdictionis: igitur Petri legislativa potestas, quæ ex illius suprema præfectura auctoritatis, atque potestatis super universam Ecclesiam proficiscebatur suprema erat, nullique alteri potestati subjecta. Quare mirandum non est, si Patres unanimi consensione Petro ea tribuerunt, quæ in illum tantum cadere possunt, qui suis legibus habet alios sibi subjectos, ipse vero non subjicitur alienis. Origenes *Homil.* 5. *in Exodum* num. 3. de Petro loquens ait: *Vide magno illi fundamento, et petræ solidissimæ, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino.* S. Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 2. num. 19. vocat S. Petrum *Apostolorum fundamentum, et Principem.* S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 7. *Ecclesiæ columen.* S. Epiphanius *Hæresi* 30. num. 17. *Electum discipulorum Principem*; *Hæresi* 39. num. 7. supra Petrum *modis omnibus Ecclesiam extructam esse, affirmat.* S. Joan. Chrysostomus in lib. *Adversus Judæos* num. 3. tradit, quod S. Petrus "sic abluit illam primam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit." S. Cyprianus epist. 55. *a Petri Cathedra, et Ecclesia principali* unitatem Sacerdotalem exortam dicit. S. Hilarius *Tract.* in Psal. 131. num. 4. vocat S. Petrum *primum Filii Dei confessorem, et Ecclesiæ fundamentum.* Insuper in *Comment. in Matt.* cap. 7. num. 6. *Apostolatus Principem.* S. Am-

brosius *De Virginitate* cap. 16. num. 105. in S. Petro fuisse dicit *Ecclesiæ fundamentum*, *et magisterium disciplinæ*. S. Hieronymus in lib. *Adversus Jovinianum* num. 26. unum Petrum supra ceteros Apostolos constitutum affirmat ad tollendam occasionem schismatis. S. Augustinus *De Baptismo cont. Donatistas* lib. 8. num. 2. docet, *Petrum Primatu Apostolorum excellenti gratia præminere*. S. Leo *Serm.* 3. cap. 2. ex toto mundo unum Petrum electum dicit, *qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur*. S. Greg. Magnus *Regulæ Pastoral.* par. 2 cap. 6. S. Petrum, auctore Deo, *Sanctæ Ecclesiæ Principatum* tenere, affirmat; idem traditur, ut alios Patres omittam, etiam a S. Bernardo *De Considerat.* lib. 2. cap. 2. num. 15.

Dices. SS. Patres ita de Apostolis loquuti fuerunt, ut existimasse videantur, eamdem tum Petri, tum ceterorum Apostolorum auctoritatem fuisse: ergo. Prob. ant. S. Hilarius in *Psal.* 138. *Ecclesiæ oculos* vocavit Apostolos; S. Augustinus in *Psal.* 142. *Arietes*, *duces ovium*, *præcipua membra pastoris*, *et congregatores unius gregis*: lib. 2. *Cont.* 2. *epist. Gaudentii* cap. 12. affirmat, Christum reliquisse Apostolos Ecclesiæ suæ *Vicarios*, atque in hunc *Vicariatum* consentit etiam S. Ambrosius in *Psalm.* 38., et S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 11. in II. epist. *ad Corint.* ergo. Hæc Marcus Antonius de Dominis lib. 1. *De Ecclesiast. Republica* cap. 4. num. 14., qui etiam in præced. cap. et seq. auctoritate Patrum contendit evincere unam, eamdemque Petri, et ceterorum Apostolorum fuisse auctoritatem.

R. dubitari non posse, quin Patres tribuerint Apostolis non solum prædictos titulos honoris, sed etiam multos alios; verum non habita comparatione omnium Apostolorum inter se, sed Apostolorum cum grege. Profecto si gregis ratio habeatur, erant sane Apostoli omnes Ecclesiæ oculi, Duces ovium, præcipua membra Pastoris, et Ecclesiæ Vicarii: verumtamen, non repugnat, ut inter eos, qui, habita ratione inferiorum, obtinet gradum superiorem, sit unus, qui dignitate, atque auctoritate iisdem præsit, ac propterea supremum caput omnium dici debeat, atque revera sit. Hoc vero est, quod Patres voluerunt, constantissimeque tenuerunt. Præter loca eorum, jam allata a nobis, hæc alia rem istam ostendunt. *Petrus Apostolorum Princeps*, *et in Ecclesia primus*, *Homil.* 3. *De Pœnitentia* num. 4. *Primus Apostolorum*, *cui totus terrarum orbis commissus*, *Orat.* 8. *Adversus Judæos* num. 3., *Chori Apostolorum Princeps*, *os Discipulorum*, *et columna Ecclesiæ* a S. Joanne Chrysostomo vocatus fuit. *Petrum omnium Apostolorum primum*, *Serm.* 147. alias 24. *De Sanctis*, num. 1., *Apostolorum Principatum tenentem*, *Serm.* 76., alias 13. *De Verbis Domini*, num. 3., *Primatu Apostolorum excellenti gratia præminere*, lib. 2. *Cont. Donatistas* num. 2. affirmat S. Augustinus. Apostolorum *Caput* Petrum vocavit S. Optatus Milevitanus lib. 2. *Adver. Parmenianum* cap. 2., et S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. *Perfectiorum gubernatorem*, quia cura quoque Pastorum credita illi fuit. Alia multa hisce similia in medium adduci possent; verum hæc sufficere arbitramur.

Prop. III. Suprema S. Petri legislativa potestas etiam vim cogendi habuit.

Prob. prop. Illud animadvertatur oportet, aliud esse quærere, cur Petro potissimum præ ceteris aliis Apostolis præfectura super universam Ecclesiam tradita fuerit, aliud vero, quem ob finem hujusmodi præfectura instituta sit, hoc est, qua de causa unum supremum visibile caput, cui subessent omnes, et universa Ecclesia regenda committeretur, Christus in sua Ecclesia posuerit. De priori Sancti Patres non conveniunt inter se, neque nunc refert, ut eorum diversas opiniones percenseamus: de altero unum, idemque sentiunt, atque tuentur, ad servandam unitatem in tota Ecclesia, Christum in ea posuisse supremum visibile Caput, cui omnes subesse deberent. Hoc vero est, quod nunc ad rem nostram quam maxime refert, illudque auctoritate Patrum ostendatur, oportet. S. Cyprianus epist. 55. loquens de Schismaticis ait: *Novigare audent et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est.* Epist. 70. *Unde Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis, et ratione fundata.* In lib. *De Unitate »Ecclesiæ »*ait: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una »monstretur.*" S. Optatus lib. 7. *Cont. Parmenianum* cap. 3. ait: *bono unitatis B. Petrum..... præferri Apostolis omnibus meruisse*, et lib. 2. cap. 2. cathedram Episcopalem idcirco uni Petro collatam fuisse, affirmat, ut in ea unitas servaretur ab omnibus. S. Ambrosius in epistol. ad Imperatores (a) tradit ab Ecclesia Romana dimanare *in omnes venerandæ communionis jura.* S. Hieronymus lib. 1. *Adversus Jovinianum* num. 26. *Propterea* (inquit) *inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Et in *Dialogo cont. Luciferianos* num. 9. »Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors »quædam, et ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in Ecclesia effi»cientur schismata, quot Sacerdotes." Tandem S. Leo, ut alios omittamus, epist. 10. ad Episcopos provinciæ Viennensis (b) loquens de prædicatione Evangelii ita habet: »Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad »omnium Apostolorum Officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro »Apostolorum omnium Summo principaliter collocarit, et ab ipso, quasi »quodam capite, dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se »mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate re»cedere." Unanimis ergo Patrum sententia fuit, Christum ad servandam unitatem in universa Ecclesia Primatum Petro contulisse.

Ex hoc autem illud necessario consequitur, id potestatis Patrum a Christo recepisse, quod ad eamdem unitatem servandam, et custodiendam requirebatur. Profecto potestas jurisdictionis, quæ in se contineret vim coactivam, ad id necessaria erat: nam sine ista fieri non poterat, ut schismata tollerentur, iisque omnibus prospiceretur, quæ insurgerent contra unitatem, quemadmodum unicuique facile constare potest. Qua-

(a) *Class. 2. epist. 2.*
(b) *Juxta edit. Baller. cap. 1.*

propter omnes quidem Apostoli præfecti fuerunt Ecclesiæ, ut ejusdem unitati prospicerent; verum inter eos, et S. Petrum id maxime interest, ut unitati singularum Ecclesiarum illi advigilare deberent, Petrus autem pro ratione sui Primatus vindicandi, et conservandi unitatem totius Ecclesiæ jus, atque potestatem receperit, sicuti *chori Apostolorum Princeps*, *et Apostolorum Principatum tenens*, Est ergo manifestum, Petri supremam legislativam potestatem etiam vim cogendi in se habuisse.

Dices. Hac de re nullum argumentum habemus in Sacris litteris: ergo. Prob. ant. Nullibi legimus, Petrum hac vi coactiva usum fuisse: ergo.

Dist. ant., et quamvis hoc non legamus, tamen constat ex Sacris litteris de hac potestate coactiva, conc., non constat, neg.: Primatum jurisdictionis, et auctoritatis rem esse, quæ aperte traditur in Sacris litteris, jam ostendimus: est illud quoque demonstratum a nobis, ad hujusmodi Primatum necessario consequi supremam potestatem legislativam, et cum ista vim cogendi esse omnino conjunctam. Quamvis ergo non legamus, S. Petrum hac vi aliquando usum fuisse: tamen de ea dubitari nullo modo potest. Est vero compertum ex Sacris litteris, eadem usum fuisse S. Paulum, licet eamdem cum Petro supremam legislativam potestatem non haberet. Nam ipse Paulus, quemadmodum 1. *Corint.* 5. 3. et seqq. legimus, protulit sententiam condemnationis contra hominem incestuosum ferendam a Corinthiis simul congregatis, indiscriminatim autem contra omnes, qui peccaverint, sua potestate se usurum esse, idem Apostolus II. *Corint.* 13. 2. et seqq. comminatur, prohibuitque Corinthiis, sicuti II. *Corint.* cap. 6. 14. legitur, ne cum Infidelibus consortium haberent, atque ne in suis contra se mutuo contentionibus ad judicia Ethnicorum appellarent, uti constat ex cap. 6. epist. 1. *ad Corint.*; demum, uti ex II. *ad Corint.* cap. 10. 6. testatum habemus, monuit Corinthios, se in promptu habere, ulcisci omnem inobedientiam. Quum ergo S. Paulum potestate coactiva æquo jure usum fuisse, dici debeat, eamdem quoque in S. Petro fuisse, potiori jure dicatur oportet, quum longe præcellentiori auctoritate præ ceteris Apostolis potitus ipse fuerit.

CAPUT QUINTUM.

De supremo visibili Capite Ecclesiæ, quod S. Petro successit.

Petrus sane ille fuit, quem Christus et supremum suæ Ecclesiæ visibile caput constituit, et eidem Ecclesiæ cum suprema auctoritate potestatis, atque jurisdictionis præfecit: quia vero Petrus non erat semper duraturus, aliundeque Ecclesia visibile caput ex sui natura requirit, sicuti in hujus lib. cap. 1. jam ostendimus, oportebat, ut esset aliquis, qui Petro succederet in regimine Ecclesiæ, ejusque haberetur, ac revera esset supremum visibile caput. Hoc de supremo visibili capite nunc agere instituimus, atque illud esse Romanum Pontificem, ostendendum

aggredimur. Petrum ergo fuisse Episcopum Romanæ urbis, eique usque ad obitum præfuisse, primo evincemus, deinde vero Romanos Pontifices illi succedere in Episcopatu.

Petrum vel Romam non venisse, vel hujus urbis Episcopatum non tenuisse, sæculo 14. et seqq. nonnulli quidem rem incertam esse dixerunt, alii vero omnino falsam: ante sæculum autem 14. nemo fuit, qui vel de adventu Petri in Urbem, vel ejus Episcopatu Urbis dubitaverit.

Prop. I. Petrus Romam venit, in ea omnium primus fidem Christi Gentibus annuntiavit, atque Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, eique usque ad obitum præfuit.

Prop. prima pars. S. Petrus in fine suæ epist. prioris ita habet: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Putasse autem veteres a S. Petro sub nomine Babylonis Romam designatam fuisse, *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 15. Eusebius testatur. Et re quidem vera ad neutram ex duabus Babyloniis, hoc est, Chaldeæ, et Ægypti, Petrus respexit: nam quo tempore ille scribebat, ex Strabone lib. 17. novimus, Babylonem Ægyptiam exiguum castellum fuisse, et ne quidem notum incolis longe dissitis, quales erant ii, ad quos Petrus suam priorem epistolam dedit. Babylon autem Chaldeorum multo quidem illustrior erat; tamen antea eversa fuerat, quam Petrus scriberet priorem epistolam, sicuti ex Josepho *Antiquit. Judaic.* lib. 18. cap. 9. perspectum habemus. Neque est, cur dicatur, a S. Petro factam fuisse mentionem Provinciæ Babyloniorum: nam Babylon fuit nomen urbis, non vero provinciæ, et S. Petrus facit mentionem Ecclesiæ coactæ in Babylone, non autem dispersæ per provinciam Babyloniorum. Quemadmodum ergo S. Joannes Romam, quæ, uti tradit S. Leo in *Serm.* 1. *De Apostolis Petro, et Paulo*, quum omnibus dominaretur gentibus, omnium *serviebat erroribus*, Babylonem passim vocavit, sicut monet Tertullianus in lib. *Cont. Judæos* cap. 9., et S. Hieronymus lib. 2. *Cont. Jovinianum* num. 38., atque ex cap. 17. *Apocalypseos* aperte colligitur: ita etiam S. Petrus eodem eam nomine compellandam censuit (a).

Prob. altera pars. Quum Paulus Romæ adhuc in carcere detineretur, scribens ad Philippenses in fine suæ epistolæ ita habet: 4. 22. *Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes Sancti, maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt.* Hos autem a S. Petro in Christiana fide institutos fuisse, nullus superest dubitandi locus. Illud etiam *Actorum* cap. 10. memoriæ traditum habemus, Petro manifestatum fuisse divinitus, etiam Gentibus Evangelium esse promulgandum, et cap. 11. ab eo omnium primo iisdem promulgatum revera fuisse. Dicendum ergo est, Petrum non multo post a revelatione in mystico linteo sibi facta, qua, Gentes in consortium Evangelii adsciscendas esse, cognovit, ex Hierosolymitano carcere profugum venisse Romam, atque ibidem primum omnium Evangelium promulgasse. Hinc consensione plurimorum

(a) Vid. inter alios Fogginius *Exercit. Crit. de Rom. D. Petri itinere.*

traditum habemus, S. Marcum, rogantibus Romanis, Evangelium Romæ conscripsisse, prout illud a S. Petro in eadem urbe promulgatum fuerat. Hoc sane affirmat Eusebius *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 14. S. Hieronymus in *Cathalogo Ecclesiast. in Marco*, S. Epiphanus *Hæresi* 51. num. 7., et Theophylactus in *Argumento Evangelii S. Marci.*

Prob. tertia pars. Omnes Veteres, qui seriem Pontificum Romanorum descripserunt, originem successionis a S. Petro duxisse, novimus. Ex Græcis id præstitit S. Irenæus lib. 3. *Adversus Hæreses* cap. 3. S. Epiphanius *Hæresi* 27. num. 6., ex Latinis vero Tertullianus lib. *De Præscript. adversus Hæreticos* cap. 36. S. Optatus Milevitanus lib. 2. *Cont. Parmenianum*, et S. Augustinus epist. 52., alias 165. num. 2. Romæ autem Petrum coronatum martyrio fuisse, Dionysius Corinthius, qui vixit anno centesimo ab obitu Apostolorum, tradit apud Eusebium lib. 2. *Hist. Ecclesiast.* cap. 25., sicuti etiam apud eumdem affirmat Cajus, qui quinquagesimo anno ab ipso Dionysio floruit; Egesippus vicinus et ipse temporibus Apostolorum lib. 3. *De Excidio Hierosolymæ* cap. 2., Eusebius in *Chronico* ann. 71. a Christo nato, Origenes lib. 3. *in Genesim*, uti refert Eusebius lib. 3. *Ecclesiast. Hist.* cap. 1., S. Joan. Chrysostomus *Homil.* 22. in *epist. ad Rom.* num. 2., ex Latinis Tertullianus in lib. *De Præscript. adver. Hæreticos* cap. 36., S. Ambrosius in *Serm. cont. Auxentium* num. 13., S. Hieronymus in *Catalogo Script. Ecclesiasticorum in Petro*, S. Augustinus *De Consens. Evangelist.* lib. 1. num. 16., et tandem, ut alios omittamus, S. Leo in *Serm. De Natali Apost. Petri et Pauli.*

Et re quidem vera Petrum et fuisse Episcopum Ecclesiæ Romanæ, et retinuisse eumdem Episcopatum usque ad mortem, summa, atque suprema dignitas Ecclesiæ Romanæ evidenter demonstrat: hæc enim Ecclesia, omnibus consentientibus, cunctarum prima, atque præcipua habita semper fuit. Talis autem prærogativa non aliunde in illam proficisci potuit, nisi quia Petrus, qui fuit Princeps Apostolorum, et totius Dominici gregis curam sibi commissam habuit, illius proprius pastor extitit. Hinc S. Cyprianus epist. 55., atque etiam alibi Romanam Ecclesiam vocat *catedram Petri*, Sozomenus *Ecclesiast. Hist.* lib. 4. cap. 14. *Petri Sedem*, S. Optatus Milevitanus *Cont. Parmenian.* lib. 2. *Petri Cathedram Episcopalem*, S. Hieronymus in *Catalogo Script. Ecclesiast. in Petro*, *appellat Cathedram Petri*, S. Augustinus lib. 2. *Cont. litteras Petiliani* num. 118. similiter *Cathedrum Petri*, tandem S. Gregorius Magnus lib. 2. epist. indict. 10 epist. 53. affirmat idem esse ire ad Petrum Apostolum, ac ad Romanum Pontificem. Ex hisce vero omnibus perspicuum est, quod nos modo contendimus.

Dices contr. priorem partem. Petrum ad Urbem accessisse, nonnulli tradiderunt fulti Papiæ auctoritate: sed Papiæ non multum fidei tribui debet: ergo.

R. Hac de re nobis compertum esse ex S. Clemente in 1. epist. *ad Corinthios* num. 5., qui et auditor Petri, et Papia fuit antiquior, ex S. Ignatio in epist. ad *Romanos* num. 9., qui cum Petro, et Joanne egit,

quæque de suo magistro tradidit, a Papia accepisse, in nullius unquam mentem venerit, ex S. Irenæo lib. 3. *Advers. Hæreses* cap. 1. num. 1., qui dum Petri adventum in urbem commemorat, Papiæ nullam mentionem fecit, atque ex aliis Patribus priorum seculorum, immo vero ex ipsa Traditione, quæ hac de re semper communis fuit in Ecclesia. Unde licet, non multum fidei Papiæ tribuendum esse, concedamus, semper tamen æque constat, S. Petrum ad urbem accessisse.

Dices cont. alteram partem. Si Petrus Romæ instituisset Gentes in Christiana Religione, hujus rei mentionem aliquam S. Paulus fecisset, dum commemoravit illos, qui Romæ Christianam Religionem amplexi fuerant, fecisset et S. Lucas in Actis Apostolicis: sed neuter istorum fecit: ergo.

R. Tunc habendam esse rationem ejus argumenti, quod dicitur negativum, quando contrarium positivum non habetur: si autem istud revera habeatur, et quidem tale, ut de eo constet ex continua, et non interrupta traditione illorum, qui et rem ipsam noscere poterant, et certam fidem merentur, quemadmodum in casu nostro contingit; tunc sane argumentum negativum nihili faciendum est. Nam sola ipsa perspecta veritas ad aliquid affirmandum quosdam viros omni existimatione dignos inducere potuit: cur vero alii rem eamdem non tradiderint memoriæ posterorum, pluribus rationibus induci potuerunt, quas fortasse ne divinando quidem assequi possumus. »Non est statim contrarium, (inquit S. Hieronymus in *Comment. epist. ad Galat.* cap. 2.) »si quod alius dignum judicavit relatu, alius inter cetera dereliquit; et plus fidei habendum est duobus affirmantibus, quam sexcentis tacentibus."

Deinde illud adverti debet, traditione constare, a solo Petro institui potuisse in Religione Christiana illas gentes, quas Paulus commemorat: unde etiam ex eodem Paulo veritas nostra manifeste colligitur. S. autem Lucas in Actis Apostolorum historiam S. Petri contexere sibi non proposuerat, sed potissimum recensere acta Pauli sui præceptoris.

Prop. II. Romani Pontifices S. Petro succedunt in Episcopatu.

Prob. prop. Si Primatum Petro delatum in se ipso spectemus, non occurrit ratio singularis, ob quam ille uni alicui sedi alligaretur; attamen quod ipse Primatus in se spectatus non exigebat, Ecclesia omnino postulabat. Sicuti enim recte monet Bossuetius in *Defensione declarationis Cleri Gallicani* lib. 10., alias 15., cap. 5. »Petri successores quum ordinandi fuerint, de cœlo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari, commoverique, oportebit. Necesse ergo est, aliqua ut sit Catholicæ Ecclesiæ pars; ex qua existant, alii »aliisque subrogentur. Quare non modo ita constituti sunt, ut universæ »Ecclesiæ præsint, sed, quemadmodum ceteri Episcopi, peculiarem habeant, quam regant, Ecclesiam, nempe Romanam, quam Petrus fundavit, et rexit."

Et re quidem vera si qui Petro succederet, non haberetur; forma regiminis, quam Christus in sua Ecclesia constituit, statim a morte Petri esse desisset. Quandoquidem status reipublicæ non mutatur, si

nemo succedat alteri, qui in ipsa republica privatam personam gerebat. Idem contingit, si in aliquo non supremo munere reipublicæ unus non succedat in locum alterius, quum fieri possit, ut vel plura munera antea divisa inter multos uni alicui committantur, aut hoc, vel illud munus ad reipublicæ utilitatem non sit amplius necessarium. At si sermo sit de supremo munere, a quo pendet regimen totius reipublicæ, mutari necessario debet forma regiminis, semel ac in eo unus non succedat alteri, qui sit hæres ejus auctoritatis, atque jurisdictionis, quæ antea in altero inerat. Petrus sane ille fuit, supra quem Christus suam Ecclesiam ædificavit, Petro singularem ligandi, et solvendi potestatem contulit, confirmandi alios in fide, pascendi omnes tum agnos, tum oves: semel ac ergo non esset, qui Petro succederet, forma regiminis, quam Christus in sua Ecclesia constituit, statim a morte Petri sublata fuisset.

Verum non defuit, qui succederet, neque unquam deerit. Tunc enim unus dicitur succedere alteri, quando eumdem locum tenet, ac ille tenebat: at vero S. Petrus fuit Romanus Episcopus, sicuti jam ostendimus, et Summi Pontifices sunt Episcopi Romani: eosdem ergo succedere Petro, a nemine negari potest. Hinc vero est, ut et Ecclesia Romana *Petri Cathedra* a Sanctis Patribus vocata fuerit, et Romani Pontifices dicti sint *successores Petri*. »Factus est autem Cornelius Episcopus de »Dei, et Christi ejus judicio. . . . (inquit S. Cyprianus epist. 52.) quum »Fabiani locus, id est, quum locus Petri, et gradus cathedræ Sacer»dotalis vacaret." S. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutychetem, quæ est 25. inter epistolas S. Leonis (a) inquit: »in omnibus autem hortamur »te, Frater honorabilis, ut his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ Ci»vitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in »propria sede et vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei verita»tem." S. Hieronymus epist. 55. ad Damasum num. 2., alias epist. 57. »Beatitudine tuæ (inquit) id est, cathedræ Petri communione conso»cior. Supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio" S. Bernardus lib. 2. *De Considerat. ad Eugenium* cap. 8. num. 14. »Age, indagemus adhuc »diligentius, qui sis, quam geras videlicet personam pro tempore in »Ecclesia Dei. Qui es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex . . . potesta»te Petrus." Hinc mirandum non est, si Auctores Ecclesiastici a S. Petro duxerunt originem Pontificum Romanorum, sicuti jam monuimus.

Dices. Romani Pontifices et vocati fuere ab aliis Vicarii S. Petri, et ipsi se ipsos quandoque vocarunt: inter succesorem autem, et Vicarium magnum discrimen intercedit: ergo.

R. Eo sensu Romanos Pontifices et revera esse, et quandoque etiam tum a se ipsis, tum ab aliis vocari vicarios S. Petri, quatenus, sicuti inquit S. Leo Serm. 2. in *die Assumpt. ad Pontificatum*, in Persona Romani Pontificis vivit potestas S. Petri, excellit auctoritas, atque dignitas in indigno hærede non deficit. Usitatum vero fuit apud Veteres, ut æque

(a) *Juxta edit. Baller.*

vicarii, ac successoris nomine designarentur, qui alteri succederent in tota dignitate, atque potestate muneris. S. Cyprianus epist. 77. ad Stephanum Papam, facta commemoratione Cornelii, et Lucii, eorumdem *Vicarium*, et *Successorem* Stephanum vocat. Ita etiam S. Gregorius M. epist. lib. 11. indict. 4. epist. 4., alias 65., Mediolanensem Episcopum vocat *Vicarium S. Ambrosii.* Quare mirandum non est, si iidem ipsi Romani Pontifices, qui Vicarios S. Petri se esse dixerunt, tum illa verba: *Tu es Petrus &c.* tum alia: *Confirma fratres tuos*, tum demum rursus alia: *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas*, ad se quoque referri oportere, pro certo habuerunt, sicuti mox ostensuri sumus.

Prop. III. Quomodo Petri proprium fuit; ita est etiam Romanorum Pontificum, Ecclesiæ fundamentum esse.

Prob. prop. Quemadmodum ad Petrum, quatenus est totius Ecclesiæ Supremum caput, pertinent illa verba *Matt.* cap. 16. 18. *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* ita etiam spectant ad successores illius in Pontificatu. »Facessat invidia, (inquit S. Hieronym. »epist. 55. *ad Damasum*, alias 57., num. 2.) Romani culminis recedat »ambitio, cum Successore Piscatoris, et Discipulo crucis loquar. Ego nul»lum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathe»dræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Eccle»siam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus »est." Huc quoque spectant illa S. Augustini in *Psal. Cont. partem Donati.* »Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri. Et in ordine illo »Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt »superbæ inferorum portæ."

Philippus Presbyter, et in Synodo Ephesina Legatus, hæc præmisit, antequam nomine Cælestini sententiam in Nestorium ferret: »Seculis om»nibus notum est, quod Sanctissimus, Beatissimusque Petrus Apostolorum »Princeps.... a Domino nostro Jesu Christo.... claves regni accepit.... qui »ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et judicium »exercet (a)." Lecta in Chalcedonensi Concilio epistola S. Leonis ad Flavianum, Patres clamaverunt: *Petrus per Leonem loquutus est* (b). S. Leo *Serm.* 2. *in die suæ Assumptionis ad Pontificatum*: »manet ergo (inquit) »dispositio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseve»rans, susceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit.... Si quid a nobis »recte agitur.... illius est operum, atque meritorum, cujus in sede sua »vivit potestas, et excellit auctoritas." Hoc idem etiam sequentibus seculis evidentissima auctoritate confirmatum habemus. Joannes Patriarcha Constantinopolitanus in sua professione fidei, quam ad Hormisdam misit, ita hac de re (c): »Non potest Domini Jesu prætermitti sententia dicen»tis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* »Hæc, quæ Petro dicta sunt, vera probantur effectu; quia in Sede Apo-

(a) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum.* 1478.
(b) *Tom. II. Concil. dict. edit. colum.* 346.
(c) *Apud Baronium Annal. Ecclesiast. ann.* 519. *num.* 50.

»stolica inviolabilis semper religio custoditur." Synodi VI. Patres in epistola Synodica ad Agathonem ita habent (a): »Itaque Tibi, ut primæ Se»dis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, »stanti super firmam fidei petram." Theodorus Studites epist. lib. 2. epist. 12. (b) ad Paschalem I. suo, et aliorum Præpositorum nomine ita scribit: »Audi Apostolicum Caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, jani»tor regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Catholica Ec»clesia. Petrus enim Tu, Petri sedem exornans, et gubernans." Multa alia in hanc rem superaddere possemus; verum necesse non est, quum ex istis, quod nunc volumus, clare evincatur.

Id solummodo nunc advertimus, etiam ad Romanos Pontifices successores Petri referri oportere illa verba: *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Id constat etiam ex locis mox citatis, nam Petrus in Summis Pontificibus adhuc vivit, et judicium suum exercet: per eosdem loquitur: ejus in sua Sede adhuc vivit potestas, et excellit auctoritas: in Sede Apostolica inviolabilis semper religio custoditur: stat Summus Pontifex super petram fidei, immo ipse est petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica. Hæc autem omnia demonstrant portas inferi adversus Pontificem prævalere non posse. Hoc vero est, quod inculcat S. Gelasius epist. 4. ad Anastasium (c), et Leo IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum epist. 1. cap. 7. (d).

Pro. IV. Illa verba *Lucæ* cap. 22. *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: et *confirma fratres tuos* etiam ad Romanos Pontifices successores Petri referri debent.

Prob. prop. S. Gelasius I. in epist. 5. ad Honorium dissimulare nec posse, nec debere affirmat, quæ *suam sollicitudinem forma perstringat*, quia Petro a Christo dictum fuerat: *et tu conversus confirma fratres tuos* (e). Pelagius II. epist. 3. ad Eliam, et Episcopos Istriæ ex iisdem verbis Christi infert, fidem Petri, quæ viget in successoribus illius, mutari non posse (f): »Nostis enim (inquit) in Evangelio Dominum procla»mantem: *Simon, Simon, ecce Satan expetivit vos &c.* Considerate, cha»rissimi, quia veritas mentiri non potuit, nec fides Petri in æternum »quassari poterit, vel mutari." Elias autem, aliique Schismatici Petri fidem personalem non vocabant in suspicionem, sed ab ipsius Pelagii, et Romanæ Ecclesiæ communione abhorrebant ob probatam ab ipso damnationem trium Capitulorum, qua fidem Synodi Chalcedonensis convelli arbitrabantur. Hanc ergo falsam opinionem Pelagius inde refutat; quia propter ea, quæ Christus *Lucæ* cap. 22. ad Petrum dixerat, Ecclesia Romana, Romanique Pontifices nunquam accusari possunt de errore fidei.

(a) *Tom. II. Concil. edit. Harduini, colum.* 1438.
(b) *Apud Sirmondum tom.* 5.
(c) *Tom. II. Concil. edit. Harduini, colum* 493.
(d) *Tom. VI. Concil. edit. Harduini, colum.* 930.
(e) *Tom. V. Concil. edit. Venet. colum.* 298.
(f) *Tom. III. Concil. edit. Harduini, colum.* 414.

S. Gregorius Magnus epist. lib. 7. indict. 15. epist. 40., alias 37., ad Eulogium Episcopum *pro ipso principatu solam Apostolorum Principis sedem in auctoritate convaluisse*, inde quoque affirmat, quia Chsistus dixit Petro *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* S. Agatho Papa in epist. ad Constantinum, et Tiberium Imperatores, quæ Actione 4. Concilii VI. lecta fuit, eamque uti a Spiritu Sancto per os Petri dictatam Patres susceperunt, ita habet (a): »Hæc est enim veræ fidei regula, »quam et in prosperis, et in adversis veraciter tenuit, ac defendit hæc »spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ.... illibata fide tenus permanet secundum ipsius Domini divinam pollicitationem, quæ suorum discipulorum Principi in Sacris Evangeliis facta est: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*" Theodorus Studita epist. lib. 2. epist. 12. ad Paschalem Papam (b): »Huc »igitur (ait) ab occidente, o Christi imitator, *Exurge, et ne repellas in »finem*: tibi dixit Christus Deus noster: *et tu aliquando conversus con»firmabis fratres tuos.* Ecce tempus: ecce locus." Nicolaus I. in epist. 9. ad Michaelem Imperatorem (c): »Quum vices illius (inquit) per abun»dantiam cælestis gratiæ egerimus, cui specialiter a Deo dicitur: *Pasce »oves meas*: et rursus: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*" Joannes VIII. epist. 73. ad Lambertum Comitem ita eum monet (d): »Ideo Sedes Apostolica libera semper existens liberam ubique suam mit»tit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: *Ego rogavi pro »te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma »fratres tuos.*" Tandem, ut omittamus alia multa, quæ in hanc rem afferre possemus, S. Gregorius VII. epist. lib. 2. epist. 31. ad Henricum Romanorum Regem postquam innuit Ecclesiam Constantinopolitanam a Romana dissidere in dogmate de Spiritu Sancto, Armenios fere omnes a recta fide aberrasse, et universos pene Orientales præstolari, *Quid fides Apostoli Petri inter diversas opiniones eorum docernat*, ait (e) »Inestat enim nostro tempore, ut impleatur, quod pius Redemptor spiritali »gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare, et præcipere, dicens: *Ego rogavi pro te: Petre, ut non deficiat fides tua, et tu ali»quando conversus confirma fratres tuos.*"

Prop. V. Etiam illa verba *Joannis* cap. 21. *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, non magis ad Petrum, quam ad Romanos Pontifices successores illius referri debent.

Prob. prop. De hoc capite doctrinæ constat ex iis, quæ in tribus præcedentibus propositionibus disseruimus. Nam si quomodo Petri proprium fuit; ita etiam Romanorum Pontificum est, Ecclesiæ fundamentum esse: et sicut contra Petrum portæ inferi prævalere non potuerunt; ita nec

(a) *Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 1082.
(b) *Apud Sirmondum tom.* 5.
(c) *Tom. V. Concil. edit. Harduini colum.* 175.
(d) *Tom. II. Concil. edit. Venet colum.* 60.
(e) *Tom. VI. Concil. edit. Harduini, colum.* 1282.

possunt contra Romanos Pontifices: et sicut ad Petrum spectavit in fide confirmare fratres; similiter id spectat ad Romanos Pontifices; inde consequitur, etiam illa verba *Joan.* cap. 21. *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, ad Romanos Pontifices æque pertinere, ac ad Petrum spectarunt. Nam Petrus a Jesu Christo quod sibi promiserat *Matt.* cap. 16., et *Lucæ* cap. 22. confirmaverat, tunc recepit, quando suprema cura omnium agnorum, et ovium *Joan.* cap. 21. illi commissa fuit. Quare si non minus Petro, quam Romanis Pontificibus conveniunt, quæ *Matt.* cap. 16., et *Lucæ* cap. 22. leguntur, ea quoque convenire debent, quæ habentur *Joan.* cap. 21. de cura omnium agnorum, atque ovium. Hinc vero est, ut etiam ex Traditione compertum habeamus, ad Romanum Pontificem Successorem S. Petri non minus ea duo priora loca, hoc est, *Matt.* cap. 16., et *Lucæ* cap. 22., referri oportere, sicuti usque modo vidimus, quam alterum *Joan.* cap. 21., in quo agitur de cura pascendorum omnium agnorum, atque ovium. S. Gelasius (a). Romano Pontifici tam illa verba tribuit: *Et tu conversus confirma fratres tuos*, quam hæc alia: *Petre amas me? pasce oves meas.* Idem fecit S. Gregorius Magnus, qui una simul conjunxit etiam illa verba *Matt. Tibi dabo claves regni cælorum* (b). Conjunxit etiam Adrianus I. in epist. ad Carolum Magnum (c). Nemini ergo dubium esse potest, quin etiam illa verba *Joan.* cap. 21. *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, non magis ad Petrum, quam ad Romanos Pontifices successores Petri referri debeant.

CAPUT SEXTUM.

De Infallibilitate Romani Pontificis, quatenus Ecclesiam docet.

Summus Pontifex, et sicuti homo privatus judicium suum proferre potest, et quatenus universæ Ecclesiæ præest: rursus judicia ejus, quatenus universæ Ecclesiæ præest, non sunt omnia unius, ejusdemque conditionis: »Respondent enim sæpe Pontifices (inquit Canus *De Locis »Theologicis* lib. 6. cap. 8. ad 7.) ad privatas hujus, aut illius Episcopi »quæstiones, suam opinionem de rebus propositis explicando non sen»tentiam ferendo, qua Fideles obligatos esse velint ad credendum." Et Bellarminus lib. 4. *De Romano Pont.* cap. 14. ait: »multa esse in epi»stolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed so»lum opiniones Pontificum ea in re nobis declarant." Quare plura Summorum Pontificum judicia rem, aut personam singularem respiciunt, vel etiamsi versantur circa quædam dubia de re universali, tamen illa et fidem universorum non attingunt, et in eorumdem definitionibus Pontifices se esse sequutos præseferunt opinionem, quam probabiliorem, vel certiorem, ac magis tam locis, et temporibus, quam personis esse ac-

(a) *Loco supra cit.*
(b) *Loco supra cit.*
(c) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum.* 773.

commodatam arbitrabantur. Hinc mirandum non est, si quandoque, novis rationibus supervenientibus, judicia, lata a prioribus Pontificibus, mutata fuisse novimus a subsequentibus, quum in illis non ageretur de fidei, dogmatibus, quæ semper eadem esse debent, neque ullam mutationem subire possunt. Hujus capitis prop. 6. statuemus, quid de illis definitionibus sentiendum sit.

Alia vero sunt Romanorum Pontificum judicia, quæ ab omnibus credenda, vel facienda respiciunt, iisque Pontifices, uti Suprema Capita Ecclesiæ, quibus divinitus datum est pascere totum ovile Christi, quæ sunt fidei, aut quæ spectant ad mores, docent omnes Fideles, contrariumque errorem uti hæreticum proscribunt, et a Catholica communione, et fide eos sejunctos declarant, qui suis definitionibus sese non subjecerint. Talia judicia sunt veræ, atque proprie dictæ definitiones fidei, eaque quando Summi Pontifices promunt, *ex Cathedra* loqui dicuntur. Id sane acceptum fuisse videtur ex illis verbis *Matt.* cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi* Moyses enim fuit unicus, atque Supremus legislator Judaici populi, et a cathedra Moysis idem populus accepit ea omnia, quæ lex Vetus in se complectabatur. Quare quum Summus Pontifex tunc potissimum fungatur munere sibi proprio confirmandi omnes in fide, quando edit definitiones fidei; ideo similitudine accepta a cathedra Moysis, cui datum erat, ut populum informaret in iis omnibus, quæ spectabant ad legem Veterem, *ex Cathedra* eum loqui, merito dici consuevit.

Prop. I. Summus Pontifex errare non potest, dum Ecclesiam docet ea, quæ sunt fidei, aut oves pascendo illas in fide confirmat.

Prob. prop. Petrum errare non potuisse, quatenus, quæ sunt fidei, docebat Ecclesiam, aut pascendo oves in fide confirmabat, jam evicimus (a) ex iis, quæ Christum Petro dixisse legimus tum *Matt.* 16. 19. et seq., tum *Lucæ* 22. 32. et seq., tum *Joann.* 21. 15. et seq. Est item jam ostensum a nobis (b), Petrum fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ, eique usque ad suum obitum præfuisse, atque Romanos Episcopos habere in suo Episcopatu successores; sicuti etiam prædicta loca *Matthæi*, *Lucæ*, et *Joannis*, ex quibus constat de infallibilitate Petri, dum quæ sunt fidei, Ecclesiam doceret, aut pascendo oves in fide confirmaret, eodem modo spectare ad Petrum, ac ad Romanos Pontifices successores illius: nullus igitur dubitandi locus superesse videtur, quin Summus Pontifex errare non possit, dum Ecclesiam docet ea quæ sunt fidei, aut oves pascendo easdem in fide confirmat.

Dices I. A nemine negari potest, aliquos Summos Pontifices in quosdam errores, et quidem graviores, aliquando incidiise: sed hoc stare non potest cum ea infallibilitate, quam iisdem vindicamus: ergo.

R. Cum distinctione, dum quæ sunt fidei, Ecclesiam docerent, neg.: dum passi quid humanum, labentesque in errorem tali magiste-

(a) *Hujus lib. cap.* 3.
(b) *Hujus lib. cap.* 5.

rio non fungebantur, conc. Modo nobis in animo non est, Summos Pontifices vindicare, si non ab omnibus, saltem a multis erroribus, in quos incidisse ii contendunt, qui infallibilitati Pontificiæ adversantur: nam eidem nihil inde derogatur, quod nonnulli Pontifices in aliquem errorem lapsi fuerint. In confesso est apud omnes, illa judicia Pontificum Romanorum esse veras, et proprie dictas definitiones fidei, in quibus proponitur dogma fidei credendum ab omnibus, atque, lata sententia, ii omnes a Catholica communione et fide esse præcisos statuitur, qui hujusmodi judiciis non acquieverint. Etiam ipse Maimburgus, qui Pontificiam infallibilitatem acrius impugnavit, hac in re non dissentit a nobis in suo illo historico Tractatu *De Statu, et Prærogativis Ecclesiæ Romanæ, illiusque Episcoporum*; latine enim redditus ita habet: »Quæstio in hoc sita est, num, quando Papa in Cathedra Roma»na loquitur, ut Fidelium omnium magister, et doctor. . . . Christia»nos docet universos, definit, proponitque toti Ecclesiæ per bullam, »seu constitutionem, quid credendum sit, num, inquam, ita pronun»cians Romæ Pontifex, sit infallibilis, nec ne." In hoc consentiunt omnes, qui sunt ejusdem cum ipso sententiæ, neque necesse est, ut testimonia eorum in medium adducamus. Hoc autem semel posito, ita nos modo: in quoscumque tandem errores prolapsi fuerint aliqui Summi Pontifices, fuerunt sane illi solummodo personales, atque nemo non dare debet, dum in eosdem impegerunt, eos neque ex Cathedra fuisse loquutos, neque ut Fidelium omnium magistros, atque doctores, neque universos Christianos docuisse, neque definiisse, aut proposuisse toti Ecclesiæ per bullam, seu constitutionem, quid credendum sit. Quapropter quoquot hujus generis errores in medium proferantur, nihil iisdem contra sententiam nostram evincitur: »Quid enim (inquit »Serryus in priori Dissertat. *De Rom. Pontifice* cap. 1. num. 3.) si Pe»trus Romanorum Pontificum primus Christum (quod obiicere illi so»lent) in passione se nosse negavit? Quid si Marcellinus, Pontificum »alter, in publica persequutione suppliciis victus, thus idolis adole»verit? Quid si Liberius exilii tædio superatus Arrianæ tandem perfi»diæ, et S. Athanasii damnationi subscripsit? Quid si Vigilius trium »Capitulorum damnationi diu obstitit? Quid si Honorius, datis ad Ser»gium epistolis, Monothelitarum errori favere visus est, aut etiam fa»vit? Quid si Joannes XXII. in errorem de visionis beatæ dilatione pro»pendere visus est, propendissetque re ipsa? Ita ne iis in casibus, aliis»que jactari solitis judicium solemne aliquod, quale ipsimet late descri»bunt, tulere laudati Pontifices, ut ad quæstionem, quæ nobis in »manibus est, exempla hujusmodi trahi possint? . . . A præsenti igi»tur instituto longe abeunt tot illa errantium, ut ajunt, in fide Pon»ticum exempla, si quo sensu debet, ipsique volunt, de Pontificum »infallibilitate quæstio ventiletur."

Et re quidem vera de infallibilitate Petri, atque Pontificum Romanorum constat ex iis, quæ leguntur *Matt.* 16. 18. et seq., *Lucæ* 22. 32. et seq., *Joannis* 21. 15. et seq., ex iisdem etiam constat de

suprema præfectura Petri ; et Pontificum Romanorum super universam Ecclesiam cum auctoritate potestatis, atque jurisdictionis: quod utrumque jam a nobis ostensum est: ergo infallibilitas est annexa Petro, et Romano Pontifici, quatenus hujus supremæ præfecturæ munere fungentes, quæ sunt fidei, docent omnes Fideles: publica auctoritate, atque publico decreto decernunt, quid uti conforme, quid uti contrarium rectæ fidei ab omnibus haberi debeat.

Dices II. Infallibilitas Ecclesiæ promissa fuit: ergo non est, cur ea in ejusdem Ecclesiæ supremo capite admittatur. Prob. con. Hæc infallibilitas in supremo capite admitteretur ad utilitatem Ecclesiæ: sed Ecclesia ex divina promissione est in se infallibilis: ergo. Hinc illa verba: *ut non deficiat fides tua*, referri debent ad infallibilitatem Ecclesiæ, non vero Petri, et successorum illius, quia Petro dicta fuerunt, sicuti S. Augustinus arbitratur, quatenus gerebat personam Ecclesiæ.

R. Distinguendo priorem prop. qua probatur assumptum: et ex hoc etiam unicuique constare debet de infallibilitate ejus supremi capitis, conc., constare non debet, neg. Tantum abest, ut infallibilitas supremi capitis opponatur infallibilitati Ecclesiæ, quin potius etiam ex infallibilitate istius de infallibilitate illius unicuique compertum esse debeat. Nam quia Ecclesia est infallibilis, oportet, ut etiam infallibile sit supremum caput illius, et fundamentum, supra quod extructa est, alioquin fieri posset, ut in errorem ab eo induceretur, a quo cum suprema auctoritate potestatis, atque jurisdictionis regi debet, indeque dicendum foret, Christum infallibilitati suæ Ecclesiæ non consuluisse.

Illa verba: *ut non deficiat fides tua*, licet juxta litteralem sensum unicuiqui obvium respiciant fidem Petri, prout erat supremum caput Ecclesiæ; tamen etiam ad fidem Catholicæ Ecclesiæ referri possunt, quatenus fides illius innititur fidei Petri, supra quem ipsa Ecclesia et extructa, et in ejusdem fide confirmata, atque pascenda illi tradita fuit. Hinc S. Petrum ob jurisdictionem super universam Ecclesiam, hoc est, *propter Primatum*, *quem in discipulis habuit*, seu, *propter Apostolatus sui Primatum*, gessisse figuram, et personam Ecclesiæ, affirmat S. Augustinus in *Psalm.* 108. num. 1., et *Tract.* 124. in *Joannem* num. 5. Quo autem sensu dixerit S. Augustinus, Petrum in persona Ecclesiæ recepisse munus confirmandi fratres, ac pascendi agnos, et oves, jam est explicatum a nobis hujus libri cap. 2.

Prop. II. Sedes Apostolica, Cathedra, et Ecclesia Romana sunt quid unum, atque idem cum Romano Pontifice, si ad judicia, definitionesque fidei attendatur.

Antequam propositionem istam ostendamus, adverti debet, sedem a sedente distingui secundum quamvis acceptionem, velle eos omnes, qui Romanis Pontificibus etiam in definitionibus fidei infallibilitatem denegant (a), atque ajunt, Patres non de Romano Pontifice, sed de Ro-

(a) Primus hujus opinionis auctor fuisse videtur Alliancensis in *Tract.*,

mana Ecclesia, Romana fide, ipsa Petri cathedra, ac Sede Apostolica loqui, *dum quærunt illud immotum in fide, quod Ecclesiæ principali, Romanæ scilicet, inesse necesse est* (a), ac propterea constare tum ex Sacris litteris, tum ex Traditione non Romano Pontifici, sed Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem promissam esse.

Nomine ergo sedis, vel cathedræ si locus ille intelligatur, in quo sedet, qui præest ceteris, duo pro ratione sui magisterii eosdem informat; tunc sane sedes, et cathedra a sedente distinguitur. Simili ratione si nomine Ecclesiæ intelligatur aliqua Ecclesia singulari suo Episcopo subjecta, aut Ecclesia universalis, quatenus illius supremo capiti subjicitur, distinguitur sane et Ecclesia singularis a suo Episcopo, et universalis a suo supremo capite. His præmissis.

Prob. prop., atque contra notionem communem esse, ostenditur, ut, doctrinæ habita ratione, sedes a sedente, cathedra a præceptore, Ecclesia a suo Episcopo distinguatur. Quandoquidem non a sede, sed ab illo, qui quiescit in ea, dum docet alios, doctrinæ præcepta promuntur: ille sane est, qui proponit veritatem doctrinæ, atque statuit, quid sentiendum, et tenendum sit. Hæc autem etiam ad sedem referuntur, sed sensu minus proprio, atque semper ipsius sedentis habita ratione. Similiter cathedra non disputat, non pronuntiat, quid sit verum, aut falsum, quid sequendum, aut fugiendum, sed hæc omnia præstat, qui cathedram moderatur, ac propterea quæ doctrinæ præcepta cathedræ tribuuntur, non propter se illi tribuuntur, sed propter eum, qui eamdem regit. Nomine autem Ecclesiæ vel universalis, vel unaquæque Ecclesia singularis intelligitur: si de universali loquamur, eam componunt omnes Fideles, qui professione ejusdem Christianæ fidei, et eorumdem communione Sacramentorum sub regimine legitimorum Pastorum, et præcipue Romani Pontificis inter se colligati sunt: singularem vero omnes Fideles singulari alicui Pastori subjecti constituunt. Si quis ad omnia membra Ecclesiæ tam universalis, quam singularis Ecclesiæ doctrinam universalis, vel singularis Ecclesiæ ita referat, ut vel a supremo Præsule universalis: vel a singularibus Præsulibus singularum Ecclesiarum suum principium illam habere, propagari, et in alios diffluere nolit, atque contendat, esse propriam doctrinam membrorum vel universalis, vel singularis cujusque Ecclesiæ; hic profecto tribueret membris, quod eis secundum se spectatis nullo modo convenit, sed solummodo convenire potest propter caput, cui conjunguntur, ac propterea non aliter, ac ille, qui sedem, vel cathedram docentem faceret ob doctrinam præceptoris, membra docentia constitueret ob doctrinam sui capitis. Ex his vero perspectum est, Sedem Apostolicam, Cathedram, et Romanam Ecclesiam idem esse cum Romano Pontifice, si ad judicia, definitionesque fidei attendamus. *Secreta enim* (sicuti inquit Thomas-

seu *Apologia ad Papam, et Cardinales* tom. 1. Operum Gersonis edit. Antuerpien.

(a) *Bossuetius Defens. &c. lib.* 10., *alias* 15., *cap.* 6.

sinus *Dissert.* 20. *in Synodum* VI. *Œcumenicam* num. 18.) *a Pontifice, et Pontificio Clero sedes inane figmentum est, vacuumque simulacrum, et sine mente sonus.*

Prop. III. Patres dum vel de doctrina fidei, vel de iis, quæ ad eamdem spectant, sermonem habuere, nomine Sedis, Cathedræ, et Ecclesiæ Romanæ, Romanos Pontifices intellexerunt.

Prob. prop. Auctoritate Traditionis, quoniam ex Sacris litteris jam comprobavimus infallibilitatem in rebus fidei Petro, ejusque successoribus tribuendam esse. Patres Synodi Sardicensis in epist. ad Julium I. (a): »Hoc enim optimum, (inquiunt) et valde congruentissimum esse, vide»bitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis qui»busque provinciis Domini referant Sacerdotes.« Episcopi Africani in priori Synodo Carthaginensi ita habent in epist. ad Innocentium I., dum illum certiorem faciunt de iis, quæ a se decreta erant (b): »Hoc itaque »gestum, Domine Frater Sancte, caritati tunc intimandum duximus, »ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur au»ctoritas pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate etiam »corrigenda.« Patres Concilii Milevitani, dum eidem Innocentio exponunt errorem inimicorum gratiæ Christi, ita habent (c): »hæc ad San»ctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Car»thaginensem Ecclesiam, et Carthaginensis provinciæ Coepiscopos nostros, »quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scri»psisse comperimus.« Episcopi Tarraconenses in epist. ad Hilarium Papam successorem S. Leonis de ordinatione Episcopi facta a Silvano Episcopo Calaguritano contra regulas Patrum (d): »Proinde quia his præ»sumptionibus, quæ unitatem dividunt, quæ schisma faciunt, veloci»ter debet occurri: quæsumus Sedem vestram, ut quid super hac parte »observari velitis, Apostolicis affatibus instruamur.« Patres Gallicani in II. Arausicano Concilio congregati ad condemnationem errorum Fausti Rejensis (e): »Unde (inquiunt) id nobis secundum admonitionem, et au»ctoritatem Sedis Apostolicæ, justum, ac rationabile visum est, ut pauca »capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patri»bus de Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa »collata sunt, ad docendos eos, qui aliter, quam oportet, sentiunt, ab »omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere debere»mus.« Eamdem, ac Patres congregati in Conciliis, etiam Summi Pontifices loquendi rationem quoad rem istam tenuerunt (f). »Quum ergo (in»quit Zosimus) tantæ auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium

(a) *Apud Coustantium in Collect. epist. Roman. Pont. epist.* 3. *num.* 1.
(b) *Apud eumdem epist.* 15. *num*, 1. *inter epist. Innocent. I.*
(c) *Apud Coustantium epist* 27. *num.* 3.
(d) *Tom. I. Concil. edit. Harduini colum* 787.
(e) *Apud Sirmondum Tom. I. Concil. Galliæ.*
(f) *Apud Coustantium in Collect. epist. Rom. Pont. epist.* 12. *num.* 1.

»majorum studia firmaverit, ut tam humanis, quam divinis legibus, et »disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, »ipsius quoque potestatem nominis obtinere, non latet vos." Bonifacius in epist. ad Rufum (a) Sedem Romanam consultam fuisse affirmat, quando Romani Pontifices consulti fuere. Cælestinus vero in epist. ad popul. Antiochenum (b), quæ in causa Athanasii a Romano Pontifice gesta fuerant, a Sede Apostolica gesta fuisse, dicit. Unum S. Hieronymum superaddamus, quamvis multa alia possemus: ipse ergo ita habet in epist. 15. ad Damasum, alias 57., num. 2. ipsum rogans, ut sibi significaret, utrum dici posset, in Deo esse tres hypostases: »Ideo mihi cathedram Petri, »et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc animæ »meæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Ego nul»lum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathe»dræ Petri communione consocior." Quod ergo hac in re suadet etiam ipsa ratio naturalis, Patres sua auctoritate confirmavere.

Dices. S. Irenæus loquens de præcellentia Ecclesiæ Romanæ lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 2. »Ad hanc enim Ecclesiam (inquit) pro»pter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam." Tertullianus *De Præscript. Hæreticorum* cap. 36. »Habes Romam, un»de nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui to»tam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!" S. Cyprianus epist. 45. ad Cornelium: „Navigare audent ad Petri cathedram, et ad „Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est." S. Optatus Milevitanus lib. 2. *De Schismate Donatistarum* cap. 2. unicam, et singularem dicit eam cathedram, in qua Petrus omnium primus insederit, *Caput Apostolorum*. Patres Concilii Aquilejensis ita rogant Augustos: „Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sa„crosanctam fidem Apostolorum, ne turbari sineret, obsecranda fuit ve„stra clementia." S. Hieronymus epist. 15., alias 57., ad Damasum *Cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam* consulendam censuit. Epist. ad Theophilum 63., alias 68. scribit: „Se Patrum non transire „terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore lauda„tam, cujus se esse participem, Alexandrina Ecclesia gloriatur." S. Augustinus epist. 43., alias 162, num. 2. veneratur Romanam Ecclesiam, *in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus*. Hanc celebrat etiam Gelasius epist. 4. ad Anastasium Imperatorem, confidentissime scribens: *quia munda radix est Apostoli Petri gloriosa confessio*. Idem confirmat etiam in epistola ad Euphemianum. Hæc vero omnia ostendunt, Ecclesiæ Romanæ, non vero Summo Pontifici infallibilitatem tribuendam esse.

R. Ad hæc omnia paucis. S. Irenæus lib. 3. *Cont. Hæreses* cap. 3. num. 1. affirmat, Apostolos *latenter a reliquis* plura tradidisse illis, *quos successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes*.

(a) *Apud eumdem epist. 15. num. 16.*
(b) *Apud eumdem epist. 15. num. 1.*

Quia vero, inquit num. 2., nimis longum esset enumerare successiones omnium Ecclesiarum, id se facere dicit quoad Romanam tantum Ecclesiam, ut hac ratione omnes de suo errore convicti remaneant, quia ad hanc Ecclesiam propter potiorem, vel potentiorem principalitatem necesse est convenire eos, qui sunt undique fideles, quum in ea conservata fuerit traditio Apostolorum. Hoc autem semel constituto, num. 3. recenset Episcopos, qui Petro successerunt usque ad Eleutherium, atque per eos usque ad nos pervenisse affirmat illam traditionem, quæ est ab Apostolis. Quapropter ad Petrum, et successores illius refert doctrinam Ecclesiæ Romanæ, quæ habet priorem, vel potentiorem principalitatem, ad quam omnes convenire debent.

Quæ autem S. Irenæi, eadem et Tertulliani ratio fuit. Præmittit Tertullianus, Ecclesias Apostolicas esse perlustrandas, ut de traditione Apostolica constare possit, quoniam apud illas suam doctrinam Apostoli deposuerunt. Romanæ mentionem faciens, eam inde celebrat, quia Apostoli totam doctrinam una cum suo sanguine in illam profuderunt, atque post pauca ita prosequitur: *Videamus quid didicerit, quid docuerit.* Quum vero hæretici jactarent, suam doctrinam recepisse ab Apostolis, ita contra eos cit. lib. cap. 36. insurgit: »Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex »Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem." Censuit ergo Tertullianus, constare de veritate doctrinæ Ecclesiarum Apostolicarum ex successione Episcoporum: *Qui cum Apostolis perseveraverint.* Quare S. Irenæum sequutus doctrinam Romanæ Ecclesiæ ad successores Petri in Episcopatu, uti ad suum caput, et fundamentum, revocavit.

S. Cyprianus quum dicit: *Navigare audent ad Petri cathedram*, loquitur de Felicissimo, atque aliis in eodem scelere cum ipso consociatis. Ad Cornelium profecto isti navigaverant, eosque Cornelius a se ejecit, atque ab Ecclesia segregandos mandavit. Cathedræ ergo nomine Pontificem insidentem in ea S. Cyprianus intelligit.

S. Optatus Milevitanus lib. 2. *De Schismate Donatistarum* cap. 2. ad Petrum, et successores illius eam unitatem refert, quam ab omnibus esse servandam dicit: affirmat enim cum Romana cathedra unitatem ab omnibus servandam, quia in illa sedit unus Petrus: deinde successores illius, quos, sicuti S. Irenæus, et Tertullianus fecerat, postea enumerat.

Patres Concilii Aquilejensis affirmant, ab Ecclesia Romana proficisci jura communicationis, quia præest huic Ecclesiæ, qui Petro succedit (a).

S. Hieronymus dum consulit cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam, Damasum ipsum consulit, atque ab illo quærit, quid sentiendum sit de tribus hypostasibus. Quo autem sensu consulit cathedram

(a) *Vide epist. Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 837.

Petri, etiam se meminisse dicit, Romanam fidem esse Apostolico ore laudatam.

In Romana Ecclesia principatum cathedræ Apostolicæ semper viguisse, S. Augustinus affirmavit: tamen in lib. *Cont. epist. Fundamenti* num. 5. ait, quod se teneret in Ecclesia Catholica etiam »ab ipsa Sede »Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commen»davit, usque ad præsentem Episcopatum succesio sacerdotum." Quibus sunt affinia hæc alia, quæ habet S. Doctor in lib. *De Utilit. credendi* num. »35. Dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confes»sionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, »frustra hæreticis circumlatrantibus... culmen auctoritatis obtinuit?" Ex quibus constat, S. Augustinum referre auctoritatem sedis ad auctoritatem Petri, et ad non interruptam seriem successorum illius.

Gelasius dum celebrat confessionem Petri, simul Imperatorem certiorem facit, se curare, ut hujusmodi confessio *Nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur* (a), et in fine epistolæ eadem sibi, ac sedi Apostolicæ tribuit. In epist. autem ad Euphemianum refert auctoritatem Apostolicæ Sedis ad eam potestatem ligandi, atque solvendi, quam Petrus accepit a Christo, atque affirmat a Pontificibus, et præcipue a B. Petri Vicario, cognosci debere, quæ divina sunt (b).

Ad solutionem aliorum multorum, quæ in medium afferri possent, quæque revera afferuntur ob Adversariis nostris, illud animadverti debet, Patres immobilitatem sedis Apostolicæ, firmitatemque fidei Ecclesiæ Romanæ semper referre ad promissionem factam Petro, et in persona Petri successoribus illius, proindeque non in Romana sede, atque Ecclesia ponere principium ejus immobilitatis, quam eidem dicunt inesse, sed in Præside illius, totiusque Ecclesiæ supremo capite. Et re quidem vera Christum pro Petro, non pro Romana Ecclesia, orasse legimus, ne deficeret fides illius; Petro, non Romanæ Ecclesiæ præcepisse, ut fratres confirmaret in fide; Petro, non Ecclesiæ Romanæ, omnes agnos, et omnes oves pascendas tradidisse. Hoc sane est, quod sensus litteralis locorum Matthæi, Lucæ, et Joannis evidentissime præsefert.

Prop. IV. Sunt definitiones fidei non solum quæ ab omnibus credenda esse, sed etiam quæ servanda Summi Pontifices definiunt, et præcipiunt, sive quæ spectant ad mores.

Judicii infallibilitate semel constituta in Romano Pontifice respectu definitionum fidei, nunc est singillatim explicandum a nobis, quæ referri debeant ad definitiones fidei, et quæ non debeant. Ad definitiones fidei referenda esse etiam quæ spectant ad mores, in hac propositione contendimus: talia tamen ea tantum esse volumus, quæ necesse est, ut serventur ad æternam salutem consequendam. Istorum enim præcipue habita ratione, Summus Pontifex et suo supremo magisterio utitur, et ea potestate, quam habet super omnes Fideles.

(a) *Tom. II. Concil. edit. Harduini col.* 894.
(b) *Cit. tomo colum.* 879.

Prob. prop. Assensum fidei præbere debemus non minus iis, quibus juxta divinum verbum scriptum, vel traditum aliquid credendum nobis præcipitur, quam aliis, quibus ex eodem principio quidpiam faciendum, vel omittendum constituitur: utrumque enim genus præceptorum haberi præsupponitur ex revelatione divina, cui profecto fides quoad omnia præstari debet: quare tam est hæreticus, qui sua fide non complectitur credenda, quam qui faciendo servare vele recusat, quia non obstante publico judicio Summi Pontificis, in divina revelatione traditâ illa esse, non credit. Hæc vero de causa si quispiam rapiat aliena, non tamen tucatur, hujusmodi facinus ab Evangelica lege permitti; gravissime quidem peccat, non tamen hæreticus dici potest: si autem illud tucatur, nullum dubium supererit, quin sit hæreticus. Definitiones ergo, quæ respiciunt credenda, in eo quidem distinguuntur ab aliis definitionibus, quæ versantur circa mores, ut illis præcipiatur, quod interius præstare, istis autem quod exterius aut prosequi, aut aversari debemus: verum utroque genere difinitionum vel præcipitur id, quod in verbo divino continetur, vel prohibetur, quod eidem opponitur. Est igitur manifestum, ad definitiones fidei referri debere, non solum, quæ Summi Pontifices credenda, sed etiam, quæ servanda, definiunt, atque præcipiunt, seu quæ spectant ad mores, ac propterea etiam quoad ista judicium illorum esse infallibile.

Idem tamen existimandum non est de aliis judiciis, quæ personas privatas, et facta singularia respiciunt. Quemadmodum enim animadvertit Innocentius III. *De Sentent. excommunicat.* in cap. *A nobis.* »Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: »judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam et »fallere sæpe contingit, et falli: propter quod contingit interdum, ut »qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: et qui liber »est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus." S. Thomas *Quodlibeto* 9. art. 16. postquam dixit, judicium Ecclesiæ falli non posse in iis, quæ spectant ad fidem, posse vero in aliis, quæ facta singularia respiciunt, hæc superaddit: »Canonizatio vero Sanctorum medium est »inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam »professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum »est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit." Et re quidem vera aliquando erravisse, nullo unquam exemplo comprobari poterit.

Prop. V. Ea quoque judicia Summorum Pontificum, quæ versantur circa facta dogmatica, spectant ad definitiones fidei.

Ad jus referri debent eae definitiones, quæ aliquod caput fidei in se spectatum respiciunt: aliae autem, quæ pro sui objecto habent doctrinam, aut sententiam alicujus proditam verbo, vel scripto, circa factum dogmaticum versantur: circa factum quidem, quatenus est quoddam factum, aliquod doctrinæ caput scripto, vel verbo a quopiam fuisse propugnatum; dogmaticum vero, quia cum hujusmodi facto conjungitur etiam dogma. Ita si de Arrii causa agatur, 1. queri potest, utrum quod contra Arrium difinitum fuit, jure merito difinitum sit: 2. utrum in

scriptis suis verbi consubstantialitatem Arrius impugnaverit: 3. utrum Arrius revera fuerit auctor illorum scriptorum, qui eidem tributi fuere. Si primum quæratur; erit quæstio solummodo juris: si alterum; facti dogmatici: si tertium; facti personalis. Definitio supremi capitis Ecclesiæ non personale, sed dogmaticum factum respicit, semel ac agatur de condemnatione alicujus erroris, quem scripto quispiam propugnaverit, atque expendatur, utrum in hoc, vel illo libro, aut scripto error fidei contrarius contineatur, et quidem secundum illum sensum, quem liber, aut scriptum præseferunt in suis verbis, non vero secundum alterum, quem, ad sui arbitrium, et contrarium obviæ significationi verborum, ipse auctor in mente habere potuerit. Nam hic sensus non potest Ecclesiæ innotescere, et jure merito semper ea præsupponit, auctorem loquutum fuisse juxta illum sensum, quem verba auctoris omnino præseferunt.

Nunc probatur propositio. Est dogma fidei, quas nunc habemus Sacras litteras Testamenti Veteris, atque etiam Novi, esse illas, quas conscripserunt auctores inspirati divinitus: easdem enim uti divinitus inspiratas recipit, et probat Ecclesia, quam sane in hoc judicio falli non posse, firmissime tenemus, alioquin ex verbo divino scripto dogmata fidei tanta cum securitate erui a nobis non possent. Neque Ecclesia suo judicio efficit, aut efficere potest, ut ii libri sint inspirati divinitus, qui revera non sunt, sed dum fert sententiam de libris divinitus inspiratis, semper facti veritatem præsupponit, hoc est, ad nos usque pervenisse eos libros, quos conscripsere autores inspirati divinitus.

Quod autem in verbo divino scripto, idem quoque in tradito contingit. Nam divinæ fidei ea esse, quæ communi consensione Sanctorum Patrum tradita habemus, nullus Catholicorum dubitat. At vero in hoc quoque judicio infallibili ipsum factum habet suum locum: nam Traditiones Apostolicas, prout eas acceperant ab Apostolis, Fideles custodivisse, easque, prout illi custodierunt, longo spatio annorum licet interveniente, ad nos pervenisse, quoddam factum est cum infallibili principio de Traditionibus ita connexum, ut istud frustra infallibile censeatur, semel ac non constet de certitudine ejusdem facti. Ex his autem necessario consequitur, factum dogmaticum tale esse, ut si Ecclesiæ judicium, quod circa illud versatur, non habeatur uti infallibile, de auctoritate divini verbi tum scripti, tum traditi actum sit.

Unde mirandum non est, si tum antiquis, tum etiam sequentibus, non interrupta successione, temporibus Ecclesia condemnaverit non solum auctores errorum, sed etiam eorumdem scripta, in quibus tales errores innisse definivit. De Arrio, ejusque scriptis constat ex Socrate *Ecclesiast. Hist.* lib. 1. cap. 19, ex Sozomeno lib. 1. *Ecclesiast. Hist.* cap. 22, de Pelagio, atque scriptis illius ex Innocentio I. epist. 31. num. 5., item de Theodoro, Theodorito atque Iba ex *Collatione* 8. Concil. V. (a). Hinc jure merito Martinus V. in Concilio Constantiensi in suis litteris ad omnes Ar

(a) *Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 193.

chiepiscopos, Episcopos, et Inquisitores dum constituit, quænam confessio expetenda sit ab iis, qui suspecti erant de erroribus damnatis in Concilio, hæc inter alia habet (a). »Item, utrum credat, quod condemnatio»nes Joannis Wicleff, Joannis Hus, et Hieronymi de Praga, factæ de »personis eorum, et libris, et documentis per sacrum generale Constan»tiense Concilium, fuerint rite, et juste factæ, et a quolibet Catholico pro »talibus tenendæ, et firmiter asserendæ. Item, utrum teneat, credat, as»serat, Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, et Hie»ronymum de Praga fuisse Hæreticos et pro hæreticis nominandos, et de»putandos, et libros, et doctrinas eorum fuisse perversos, propter quos, et »quas, et eorum pertinacias, per Sacrum Concilium Constantiense pro hære»ticis sunt condemnati." Idem servavit etiam Leo X. in Bulla Apostolica *Exurge Domine* contra errores Martini Lutheri. Ne ergo hæreticis patrocinandi suum errorem ullus locus relinquatur, ac catholicis aliqua supersit ratio dubitandi de illis fidei definitionibus, quæ, habita ratione aliquorum errorum contra fidem, ab Ecclesia prodierunt, ne quispiam suis cavillationibus cum maxima perturbatione Ecclesiæ ab omni errore immunia esse ea scripta contendat, quæ in se continere errores contra fidem, Ecclesia definivit; etiam ea judicia Summorum Pontificum, quæ versantur circa facta dogmatica, pertinere ad fidem, firmissime tenendum est.

Dices. Ecclesia falli non potest, quando hæc vel illa, quæ sunt divinitus revelata, credenda decernit: sed quando de facto dogmatico suum judicium promit, quod spectat ad factum, non est divinitus revelatum: ita, ut utar exemplo, quod ad rem nostram facit, non est divinitus revelatum, quinque propositiones proscriptas ab Innocentio X. contineri in Augustino Jansenii: ergo judicium Ecclesiæ de facto dogmatico non est infallibile (b).

Nuperus Theologus Placentinus in epist. 1. §. 26. ad Episcopum Brixiensem hoc argumenti genus ita proponit: »Undenam constat, Deum »vel in Veteri, vel in Novo Testamento revelasse, quemdam Episco»pum Iprensem seculo 17. futurum hæreticum, atque typis editurum »tomum in folio, in quo continerentur quinque propositiones hæretica»les?" Superaddit: »in traditione a Christo Apostolis, et ab Apostolis »relicta Ecclesiis nullum dictum occurrit, quo inducamur ad habendum »hujusmodi factum, ut revelatum." Hæc ille latine redditus.

R. dist. maj. Ecclesia falli non potest quando hæc, vel illa utpote divinitus revelata credenda proponit, vel damnat errorem divinitus revelatis oppositum, conc., falli non potest, habita solummodo ratione doctrinæ, quam credendam proponit, non vero erroris, quem damnat, sicuti oppositum divinæ revelationi, neg.: Distinctio inter jus, et factum ab Antonio Arnaldo ad eludendam vim condemnationis quinque

(a) *Tom.* 8. *cit. edit colum.* 314.

(b) Huc sane recidunt multa, quæ habet Montaltius epist. Provinc. 18.

propositionum in Augustino Jansenii contentarum excogitata, a Jansenistis probata, atque recepta, res quidem plane, atque simplex esse videtur; tamen est ipsa revera talis, ut per eam errores contra fidem ab Ecclesia proscripti, saltem incerti, atque dubii esse possint apud fideles, indeque auctoritas decretorum Ecclesiæ apud eos vilescat. Hic ante omnia duo esse a nobis recolenda putamus, quæ initio hujus propositionis jam præmonuimus: 1. Nunc disputationem non esse de puro facto, sed de facto dogmatico, quale est condemnatio erroris contra fidem, in hoc, vel illo opere contenti, v. g. in operibus Arrii, Origenis, Jansenii &c. Ratio dogmatis prout nunc spectat ad nostrum propositum, in condemnatione erroris contra fidem consistit, ratio facti in eo posita est, ut error contra fidem in aliquo scripto, vel typis dato opere contineatur. 2. Nunc sermonem non esse de facto personali, quod ipsam personam respicit, hoc est, Arrii, Origenis, Jansenii &c. Nam Ecclesia, habita prævio examine totius doctrinæ in aliquo opere contentæ, simulque ejusdem doctrinæ potissimum cum divino verbo inspirato facta comparatione, fert quidem judicium de errore in aliquo opere contento juxta obvium sensum verborum; ceterum quæ fuerit auctoris mens, atque sententia, uti fide certum nullo modo decernit, quamvis illum damnet, semel ac de falsitate ejus doctrinæ constat. Nam aliquem auctorem scripto unum promere, atque defendere, alterum interius sentire, præsupponere æquo jure non potest. Quare illum quidem, qui in suis scriptis sentit contra fidem, uti hæreticum habet, et tunc vel maxime, quando in suo errore obstinatum sese præsefert, tamen definitio dogmatica Ecclesiæ non supra errantem, sed supra errorem illius cadit. Hæc duo iterum animadvertenda duximus, quia adversarii, ut fucum faciant imperitis, quæstionem meri facti cum quæstione facti dogmatici sæpe confundunt, sicut etiam condemnationem erroris cum condemnatione auctoris errantis. Utrumque Montaltius quandoque fecit in epist. Provinciali 17., et 18., eumque inter alios nuperus Theologus Placentinus in epist. 1. ad Episcopum Brixiensem §. 29. et alibi imitatus fuit. Nunc de eo, quod ad rem nostram potissimum interest.

Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis, sicuti ab Apostolo distincte traditum habemus I. *ad Timot.* 3. 15. S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* 109. serm. 1. num. 17. de fundamento Ecclesiæ quærit, atque juxta Apostolum I. *Corint.* 3. 11. ita respondet: *fundamentum*, *inquit*, (Apostolus) *nemo potest ponere præter id quod positum est*, *quod est Christus Jesus.* Quibus positis item secundum Apostolum I. *ad Timot.* 3. 15. de Ecclesia ita pronuntiat: *ipsa est prædestinata columna*, *et firmamentum veritatis.* Ecclesiæ igitur singulariter, prout ipsa est columna, et firmamentum veritatis, totum depositum fidei commissum est: sed sicut ad custodiam commissi gregis non solum requiritur, ut pascantur oves, sed etiam ut caveatur, ne lupi insidiantes ipsum perdant; ita etiam ad custodiam depositi fidei non solum oportet, ut tradita in verbo divinitus inspirato fidelibus credenda proponantur, atque præcipiantur, sed etiam necesse est, ut illis caveatur a falsis doctoribus sua pravitate

doctrinæ puritatem fidei corrumpere conantibus: ergo hoc utrumque Ecclesia præstare ex divina institutione debet: sed alterum præstat, quando uti rectæ fidei contrarios proscribit, damnat, et anathematizat errores in aliquo scripto, vel typis edito opere contentos: ergo quando hoc facit, id sane facit, quod ex divina institutione facere debet.

At Ecclesia quando aliquid credendum præscribit, quod est divinitus revelatum præscribit credendum; quando autem damnat hunc, vel illum errorem alicujus auctoris, non damnat id, quod ex divina revelatione damnandum esse constat, quum non constet, ex divina revelatione, hunc, vel illum errorem contineri in opere istius, vel alterius auctoris. Verum enim vero et damnat Ecclesia, quod virtute supremi magisterii a Christo sibi commissi damnare debet, et damnat, quod esse damnandum ex divina revelatione cognoscit, et oportet, ut singulariter damnet hos, vel illos errores contentos in aliquo opere hujus, vel alterius auctoris. Primum jam confecimus, alterum, atque tertium nunc conficere conabimur.

Sicut igitur Ecclesia, quando agitur de aliquo dogmate fidei, quod omnibus credendum proponit, atque præcipit, verbum divinitus revelatum consulit, illiusque doctrinæ firmiter innitens statuit, atque definit, hoc, vel illud esse dogma fidei, atque ab omnibus credendum; ita etiam quando agitur de proscribendis erroribus contentis in opere alicujus auctoris, confert, atque comparat doctrinam illius auctoris cum doctrina divinitus revelata, et semel ac ex hujusmodi comparatione facta constet, doctrinam auctoris pugnare cum doctrina divinitus revelata, et in doctrina auctoris contineri errores contrarios dogmatibus fidei, tunc sane auctoritate sui supremi magisterii a Christo sibi commissi illos proscribit, atque damnat, sicuti esse revera damnandos certo judicat ex oppositione, quam ipsi habent cum dogmatibus fidei divinitus revelatis. Ipsa igitur divina revelatio Ecclesiam quodammodo manuducit in condemnatione errorum, qui fidei Catholicæ adversantur: igitur hujusmodi condemnatio implicite quidem consequitur ex divina revelatione, attamen necessario, et infallibiliter, quum errores contrarii dogmatibus fidei, in divina revelatione contentis, necessario, atque infallibiliter opponi debeant iisdem dogmatibus: igitur ex divina revelatione propter dogmata fidei, quæ in se continet, constat de falsitate illorum errorum, quos, utpote contentos in hoc, vel illo opere, Ecclesia proscribit, sicuti contrarios dogmatibus fidei.

His accedit, Ecclesiam ab ipsa divina revelatione non solum regi in condemnatione errorum dogmatibus fidei oppositorum, sed etiam illam, habita ratione depositi fidei sibi commissi divinitus, singulariter damnare debere hos, vel illos contra fidem errores in aliquo opere contentos, et quidem prout illi in eodem opere continentur. Venenum ubi latet, detegatur oportet, ut præcaveatur, ne quispiam illud propinet. Quare ad sartum, tectumque servandum depositum custodiæ fidei, necesse est, ut errores contra fidem, qui in operibus auctorum latent, prout in iisdem, contenti, proscribantur, atque damnentur, ne fideles lectione hujusmodi librorum combibant, quæ fidei catholicæ adversantur. Hoc

sane ratio ipsa depositi fidei exposcit, hoc ejusdem fidelis custodia requirit.

Mirandum ergo non est, si Ecclesia in proscribendis quinque propositionibus contentis in Augustino Jansenii id servavit, quod jam ab antiquis temporibus semper servatum fuit in condemnatione errorum, qui in quibusdam scriptis operibus continebantur. Aliqua tantum hac de re commemorabimus, licet multa possemus.

Patres Nicæni eos errores, qui in *Thalia* Arrii continebantur, sicuti S. Athanasius *Orat. Cont. Arrian.* num. 6. et seq. advertit, proscripserunt uti contrarios Fidei Catholicæ, et anathema dixerunt Arrianis. In Synodo Ephesina Act. 2. part. 1. quæ habebantur in pluribus Nestorii *Quaternionibus* lecta fuisse, novimus, et ad lectionem illorum Nestorii condemnationem consequutam: ita igitur contra illum Patres (a): »Deprehendentes itaque partim ex libris, commentariisque ipsius, partim ex sermonibus, quos nuperrime in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quinque testimoniis comperti sunt, illum impie sentire, et prædicare, coacti per sacros canones, et epistolam Sanctissimi Patris nostri, et comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, et ab universo Sacerdotum consortio, et cœtu alienum esse definit.«

Patres Concilii VI. Œcumenici Act. 13., Coram se lectis pluribus, quæ non est, cur nunc commemoremus, ita pronuntiarunt (b): »Sanctum Concilium dixit: cognitionem accipientes prolatorum libellorum, atque chartarum, sive aliorum opusculorum, comperimus in unam eamdemque impietatem concurrere. Et prævidimus, prophana, et animæ perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne concremari.«

In Concilio Lateranensi IV. ita contra errores Abbatis Joachim sancitum legimus num. 2. (c) »Damnamus ergo, et reprobamus libellum, sive Tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis.... Si quis igitur sententiam, seu doctrinam præfati Abbatis Joachim in hac parte defendere, vel approbare præsumserit, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur.«

Profecto neque in Veteri, neque in Novo Testamento Deus revelavit, futurum quemdam Arrium, qui in sua *Thalia* propugnaret errores a Patribus Nicænis proscriptos uti hæreticos; futurum quemdam Nestorium, qui in pluribus *Quaternionibus* tueretur errores, quos Patres Ephesini damnarunt, sicuti oppositos Catholicæ fidei; quosdam futuros, qui in defensionem Monothelismi plura scriberent, atque varia opuscula ederent, quæ Patres Concilii VI. Œcumenici damnarunt; futurum

(a) *Tom. I. Concil. edit. Hard. colum.* 1422.
(b) *Tom. III. Concil. edit. Harduini colum.* 1354.
(c) *Tom. VII. Concil. edit. Hard. colum.* 18.

quemdam Abbatem Joachimum in suo libello, seu tractatu tuentem eos errores, quos Patres Concilii IV. Lateranensis, dogmatibus Catholicæ fidei adversari, judicarunt. Porro in Traditione a Christo Apostolis, et ab Apostolis relicta Ecclesiis nullum dictum occurrit, quo inducamur ad habenda hujusmodi facta, uti revelata. Quare, si Theologus Placentinus audiatur, neque poterant, neque debebant simul uniti Patres in Conciliis Œcumenicis absolute, atque simpliciter damnare uti hæreticos, et pro hæreticis ab omnibus esse habendos certo judicio decernere errores contentos in scriptis Arii, Nestorii, quorumdam Monothelitarum, atque Abbatis Joachim, multorumque aliorum, quos commemorare omisimus gratia brevitatis.

Uno verbo: *Ecclesia non est infallibilis in judicio factorum non revelatorum*, si audiatur Theologus Placentinus epist. 1. ad Episcopum Brixiensem §. 29. sed ad quoddam factum non revelatum spectat non solum, quod hi, vel illi errores contineantur in scripto istius, vel alterius auctoris, sed etiam quod ille, alter, alius, atque alius quavis ratione propugnaverit errorem contra fidem: ergo dum Ecclesia hujusmodi errores, non secus ac alios in aliquo scripto, vel manu exarato, vel typis edito contentos, certo judicio, atque sententia damnat ut hæreticos, et sicuti tales ab omnibus habendos esse, definit: 1. Quod non potest, de non revelatis fert judicium absolutum, cui omnes sese subjicere debeant: 2. Id juris in hoc judicio sibi usurpat, quod revera non habet: 3. Quivis propterea fidelis suum judicio Ecclesiæ conformare non tenebitur: 4. Saltem interius sentire contra tale judicium poterit, ideoque præcepto corde credendi ad justitiam solutus erit: 5. Fides fidelium non erit amplius una, quia ad unitatem fidei non minus requiritur professio dogmatum, quam detestatio errorum contra oppositorum, quum professio dogmatum vera esse non possit, si detestationem errorum oppositorum sibi unitam non habeat. Verum semel ac Ecclesiæ, prout ipsa est columna, et firmamentum veritatis, ea non tribuantur, quæ necessario tribuenda esse ostendimus, oportet, ut consequantur tum modo recensita, tum alia absurda gravissima, quibus tota ratio fidei pervertitur. Quare sicuti de quibusdam dicebat S. Augustinus epist. alias 5., nunc 118. num. 31., dicere nos possumus de iis, contra quos modo pugnamus: »conantur ergo »auctoritatem fundatissimam stabilissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine.... superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas.«

Quod in condemnatione errorum dogmatibus fidei oppositorum Concilia tum Œcumenica, tum non Œcumenica præstiterunt, Summos tantum Pontifices primis Ecclesiæ temporibus præstitisse, et deinde etiam usque ad hæc nostra tempora præstare non desiisse, certissime novimus, neque est, cur hac tota de re nunc disseramus. Legatur dissertatio IV. Thomassini in Synodum Gangrensem præcipue a num. 29. usque ad 37. »Oportet (inquit S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium, seu Tract. de Erroribus Abælardi in Præf.) ad vestrum referri Apostolatum pericula »quæque, et scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim, quæ de

»fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi, potissimum resarciri da»mna fidei, ubi non possit fides sentire defectum."

Prop. VI. Tribui non debet infallibilitas iis judiciis Pontificum Romanorum, quæ non attingunt res fidei, sed alia, quæ cum fide tam stare, quam non stare possunt.

Prob. prop. Christus promisit nunquam futurum, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent: hac autem sua promissione, quæ sunt fidei, atque ad illam spectant, complecti voluit. Quæsivit enim antea ab Apostolis, quem se homines esse dicerent, et auditis variis opinionibus, quæ circumferebantur, ab iisdem rursus petiit, quemnam vero ipsi esse eum dicerent: aliis autem tacentibus, quum Petrus respondisset: *Matth.* 16. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*: tunc sane Christus supra Petrum, veluti supra suum fundamentum, Ecclesiam ædificandam pronunciavit, et futurum confirmavit, ut portæ inferi adversus eam non prævalerent. Christus etiam rogavit Patrem, ne fides Petri deficeret, indeque Petro ipsi præcepit, ut fratres in fide confirmaret. Si ergo tum ad eam promissionem attendamus, qua Christus futurum prædixit, ut portæ inferi adversus Ecclesiam non prævalerent, tum ad alteram, qua Petri fidem non defecturam spopondit, ac propterea Petro mandavit, ut fratres in fide confirmaret, infallibilitatem iis tantum judiciis Romanorum Pontificum adjudicandam esse consequitur, quæ sunt definitiones fidei. Hinc vero est, ut non obstante mutatione temporum, locorum, atque personarum, illa judicia Romanorum Pontificum, quæ sunt definitiones fidei, nunquam aut mutata, aut omnino sublata fuisse dicamus: contra ea, quæ non sunt definitiones fidei, et mutata, et aliquando etiam omnino sublata fuerunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De suprema potestate legislativa Romani Pontificis super universam Ecclesiam.

Ad explicationem eorum, quæ in hoc capite dicturi sumus, nihil præmittamus oportet. Unde.

Prop. Ex Sacris litteris evidenti argumentatione constat, penes Summum Pontificem esse supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam.

Prob. prop. De suprema legislativa potestate S. Petri super universam Ecclesiam aperte constat ex iis, quæ leguntur tum *Matthæi* 16. 19. et seq., tum *Lucæ* 22. 32., tum demum *Joannis* 21. 15. et seqq. (a). Sanctus Petrus fuit Episcopus Ecclesiæ Romanæ, atque illi usque ad obitum præfuit (b). Petro autem succedere in Episcopatu Romanos Pontifices, et habemus ex ipsa Traditione compertum, et de hoc nullus dubitandi locus relinquitur, si ad Ecclesiæ conditionem attendamus (c).

(a) *Lib. hujus cap.* 4. (b) *Hujus lib. cap.* 5. (c) *Eodem cap.*

Aliunde etiam omnino constat, quæ leguntur tum *Matthæi* 16. 19. et seq., tum *Lucæ* 22. 32. tum *Joannis* 21. 15. et seqq., eodem modo, quo ad Petrum, etiam ad Romanos Pontifices successores illius esse referenda (a). Quemadmodum igitur ex citatis locis Matthæi, Lucæ, et Joannis constat de ea suprema legislativa potestate, quam S. Petrus super universam Ecclesiam recepit (b); ita etiam ex iisdem constare debet de ea suprema legislativa potestate, quam Romani Pontifices, Petri successores, super universam Ecclesiam habent.

Res ista illarum epistolarum auctoritate comprobatur, quas jam a primis temporibus Summi Pontifices dederunt ad varios Præsules Ecclesiarum etiam longe dissitarum. Multæ quidem illarum perierunt, ex iis tamen, quæ supersunt, quod nunc contendimus, omnino comprobatum habemus. Nam, quemadmodum animadvertit Thomassinus *Dissert.* 12. *in Appendice ad Synod. Chalcedonen.* num. 2. »Ipsæ, quæ a Syricio, et »reliquis deinceps Pontificibus, indubitatæ supersunt nobis litteræ de»cretales singulis pene verbis non copiam quamdam singularem doctri»næ, sed exertissimam potestatem, et juris dicendi Principatum osten»tant, quo Petrum, Petrique successores Christus auxit."

De suprema legislativa potestate Summi Pontificis super universam Ecclesiam constat etiam ex ea ratione, quam Synodi Œcumenicæ sequutæ sunt in suis definitionibus, atque etiam earumdem confirmatione, quam a Summis Pontificibus factam fuisse, novimus. Verum hac de re in sequenti libro.

Dices. Ex historia Ecclesiastica compertum habemus, Ecclesias etiam inter se remotissimas mutuis consiliis sibi invicem prospexisse: ita Ecclesiæ Viennensis, et Lugdunensis consultæ ab Ecclesiis Asiæ, et Phrygiæ singularibus litteris significarunt illis, quid sentirent de Cataphrygibus: consultos quoque novimus Metropolitanos ab Episcopis, quibus ipsi præerant, immo consilium, et sententiam alicujus Præsulis doctrinæ fama præcellentis alios Præsules sæpe exquisivisse, dubitari non potest: in istis autem omnibus non fuit suprema legislativa potestas: igitur hanc esse in Summo Pontifice inde colligi non potest, quia in rebus gravioribus alii Præsules sententiam ejus exquisierunt, atque ipse consultus suum judicium protulit.

R. Longe alia ratione consultos Metropolitanos, Episcopos, aut singulares Ecclesias, ac consulti fuerunt Summi Pontifices, quemadmodum etiam Constantius animadvertit in *Præfat. ad Collect. epist. Rom. Pontif.* num. 32. »jam vero (inquit) quænam alia, quam longe, lateque »patet orbis, Ecclesia est, cujus perinde, ac Romanæ, tanta fuit aucto»ritas, ut ab ea sic peteretur difficilium rerum explicatio? ... Apostoli»cæ Sedis præcipua laus fuit, ut eam non unus quidam, aut alter Epis»copus sed Christianus orbis, quantus est, maximis negotiis dirimendis »arbitram adhibuerit, idque non tantum ob sedentis singulare meritum,

(a) *Eodem cap.*
(b) *Hujus lib. cap.* 4.

»quam ob sedis auctoritatem. Quos autem Præsules aliquando in consi»lium adhibuerunt alii Præsules, adhibuerunt sane ob sedentis singulare »meritum, non ob sedis auctoritatem, atque numquam ab universo orbe »consultos fuisse legimus aliquos cujusdam determinate Ecclesiæ Præsu»les, qui succesu temporum illi, præsederint.” Quare quod ex consultationibus, atque responsionibus Romanorum Pontificum collegimus, recte collegimus.

Prop. II. Suprema legislativa potestas Romani Pontificis vim cogendi in se continet.

Prob. prop. Hujusmodi vis inerat in ea suprema potestate legislativa, quam S. Petrus super universam Ecclesiam habuit. Quum enim Primatus auctoritatis, et jurisdictionis a Christo institutus in Ecclesia fuerit ad servandam unitatem Ecclesiæ, illud profecto requirebatur, ut qui universæ Ecclesiæ cum potestate, sicut supremum caput ejus, præerat, tollere, atque amputare ea omnia posset, quæ unitati adversarentur: ad hoc autem quum vis coactiva prærequiratur; inde est, ut Petro hæc quoque simul cum potestate jurisdictionis collata fuerit (a). At vero Summus Pontifex Petro succedit in Episcopatu, et quomodo fuit proprium S. Petri, Ecclesiæ fundamentum esse, fratres in fide confirmare, et pascere omnes agnos, atque oves, est etiam Romani Pontificis (b): item quomodo Petrus habuit, etiam Summus Pontifex supremam legislativam potestatem habet, quemadmodum nunc ostendimus: igitur dubitari non potest, quin suprema legislativa potestas Romani Pontificis vim cogendi contineat.

Res ista iis omnibus judiciis confirmari potest, quæ a Summo Pontifice contra delinquentes ubique gentium pro diversitate temporum lata fuisse, novimus, quæque sunt unicuique perspecta, atque nimis in longum progrederemur, si ea aliqua etiam ex parte tantum distincte commemorare, nunc institueremus.

LIBER QUINTUS

De Auctoritate Conciliorum.

Tam Judicia Ecclesiæ, et Sedis Apostolicæ, quam etiam decreta Conciliorum, semel ac ista sint Apostolica auctoritate confirmata, sunt ejusdem auctoritatis, atque ex iisdem æque firma argumenta Theologus depromere potest ad suas assertiones comprobandas. Quia tamen hæc tria principia suam in Catholicis scholis singularem partitionem habent, atque eorum auctoritate singulariter multa constituta fuere; ideo de singulis oportebat, ut ageremus. Nunc ergo de Conciliorum auctoritate pertractabimus, et ea potissimum disputatione nostra complectemur, quæ nunc ad rem facere videntur. 1. Agemus de diversitate Conciliorum. 2.

(a) *Hujus lib. cap. 4. prop. 3.*
(b) *Hujus lib. cap. 5. prop. 2. et segq.*

Videbimus a quonam ea convocari possint. 3. Quinam iisdem præesse. 4. A quo illa confirmari debeant. 5. Quamnam auctoritatem habeant in locis Theologicis.

CAPUT PRIMUM.

De diversitate Conciliorum, sive Synodorum.

Concilia, seu Synodi aliæ sunt generales, seu œcumenicæ, aliæ nationales, aliæ provinciales, aliæ demum diœcesanæ. Synodus œcumenica omnium Præsulum convocatione celebratur. Utrum autem præter generalem convocationem sit etiam necessaria congregatio generalis, disputatur a multis: nos arbitramur ad Synodum Œcumenicam satis esse, ut ex pluribus provinciis Ecclesiæ non pauci Episcopi simul in unum conveniant, atque etiam aliqui ex locis remotioribus, prout res disquirenda postulaverit; alioquin in dubium verti deberet, utrum Concilia Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanum, et Chalcedonense generalia forent. Nicæna autem, et Ephesina Synodus, aliæque etiam illorum priorum temporum, quamvis fere ex solis Orientalibus coaluerint, uti Œcumenicæ habitæ fuere, quia per suos legatos præfuit iisdem Summus Pontifex, qui unus per se universæ Ecclesiæ, sicuti supremum caput illius, personam gerit, et etiam, quatenus Patriarcha, singulariter totam Ecclesiam Occidentalem repræsentat.

Synodi nationales dicuntur, ad quas conveniunt Episcopi, atque Archiepiscopi, sui Primatis, seu Patriarchæ auctoritate vocati; tales profecto sunt plures Synodi Romanæ, Toletanæ, atque Africanæ. Nationales autem Synodos aliquando etiam universales dictas fuisse, legimus.

Synodus provincialis coalescit ex Episcopis unius provinciæ sub regimine sui Archiepiscopi, seu Metropolitani.

Tandem Synodi Diœcesanæ sunt illæ, ad quas conveniunt tantum presbyteri unius diœcesis, iisque simul congregatis præest proprius Episcopus. Illarum Synodorum, quæ per singulas regiones, aut provincias fiunt, vel quæ ex universo Christiano orbe congregantur, mentionem fecit S. Augustinus lib. 2. *De Baptis. cont. Donatistas* cap. 3. Hisce vero tribus speciebus Synodorum, quartam addidit, hoc est, nationalem provinciarum simul unitarum, Concilium Toletanum IV. cap. 3. (a)

CAPUT SECUNDUM.

De jure convocandi Synodos.

Hæc de re non multis agemus, quamvis plura longiori disputione explicanda in ea contineantur. Illud autem monemus, in hac disputatione,

(a) *Tom. III. Concil. edit. Harduini edum.* 579.

quemadmodum etiam in aliis multis quandoque fieri debet, distingui oportere jus a facto: licet enim factum sæpe sit argumentum juris; tamen sæpissime etiam contingit, ut factum haberi non debeat pro argumento juris in faciente. Quare nunc de jure videbimus, ut de primordio auctoritatis Conciliorum certum esse possit. Quando enim de potestate disputatur, non tam quæri debet, quid factum sit, quam utrum jure, et quidem proprio, factum fuerit: nam vel ex promissione alterius, vel ex arbitrio propriæ voluntatis aliqua quandoque fiunt.

Prop. I. Convocare Synodos proprio jure convenit tantum iis, quibus divinitus datum est regere Ecclesiam Dei.

Prob. prop. Ad hoc Concilia convocantur, ut pro opportunitate temporum Ecclesiæ bono consulatur, definiatur, quid sit, vel non sit consonum rectæ fidei, quid conforme, vel non conforme regulis morum ipsius Evangelicæ legis: plura quoque statuantur, prout necessitas postulaverit, quæ spectant vel ad administrationem Sacramentorum, vel ad usum Sacrarum cæremoniarum, totumque exteriorem divinum cultum respiciunt: judicium feratur contra eos, qui de doctrinæ falsitate convincuntur, vel contra leges canonicas peccaverint; uno verbo, ut sarta tecta Religio Catholica servetur, atque etiam commoda ejus in majorem Dei gloriam, et hominum spiritualem utilitatem promoveantur. At vero hæc omnia munera in eos tantum per se cadere possunt, quibus datum est regere Ecclesiam Dei, et pascere gregem Christi: igitur quum Petrus supremus Pastor totius Ecclesiæ cum suprema potestate auctoritatis, et jurisdictionis a Christo constitutus fuerit: quum Apostoli ab eodem Christo munus prædicandi Evangelium, et ligandi, solvendique potestatem receperint, atque id sibi comissum habuerint, semel ac gentes ad veritatem Evangelicam amplectendam induxissent, ut regerent eas quoad illa omnia, quæ ad religionem Christianam spectarent; inde consequitur, ut sit eorum, qui Petro, et Apostolis in munere succeserunt, simul in unum ad Ecclesiæ negotia pertractanda convenire.

Hinc semel orta quæstione tempore Apostolorum, utrum circumcidi, et jugo legis subdi deberent gentes, quæ legem Christianam amplexæ fuerant, *Actorum* cap. 15. 6. legimus, quod *convenerunt Apostoli, et seniores videre de verbo hoc.* Hanc vero agendi rationem Ecclesia deinceps sequuta fuit: nam contra Montanistas plures Synodos Episcopi in Asia coegere, teste Eusebio lib. 5. *Ecclesiast. Hist.* cap. 16. Ejusdem lib. cap. 23, facta mentione ejus controversiæ, quæ orta erat in Asia quoad diem, in quo Pascha celebrandum esset, affirmat idem Auctor, quod *Synodi ob id, cœtusque Episcoporum convenere* in Palestina, Romæ, in Ponto, in Galliis, in Osdrœnæ provincia, atque Corinthi. Lib. 6. cap. 43. de Novato, ejusque hæresi agens inquit: »Ob quam rem »quum Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, Presbyteri vero, et Diaconi multo plures convenerunt, quumque »provinciæ Antistites quid agendum esset, seorsim consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est: Novatum, et eos, qui cum

»ipso se insolentius extulerant . . . alienos ab Ecclesia habendos." Cap. 46. cit. lib. affirmat, Dionysium scripsisse ad Cornelium Pontificem, se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo invitatum fuisse, ut ad *Synodum Antiochenam occurreret*, et cap. 27. narrat, quod adversus Paulum Samosatenum »reliqui Ecclesiarum pastores undique exciti simul omnes Antiochiam »convenerunt, tamquam adversus gregis Domini vastatorem." Tandem quam multa a Concilio Eliberitano, quod anno Christi 305. celebratum fuit, quoad disciplinam Ecclesiasticam sancita fuisse legimus? Si ergo, quæ sunt politici juris semper æque conveniunt Principibus, sive profiteantur Christianam Religionem, sive non profiteantur, aliundeque dici non possit, prædictos Antistites invasisse jura Principum, dum, iisdem inconsultis, in unum simul convenere, ut bonis Religionis prospicerent; illud sane superest, ut dicamus, a primis usque Ecclesiæ seculis constare etiam ex facto, convocationem Synodorum proprio jure convenire tantum iis, quibus divinitus datum est regere Ecclesiam Dei. Ex his omnibus colligitur, quam inepte aliqui potestati laicæ convocationem Conciliorum inde tribuant, quia res hæc in se spectata est civilis: nam est quidem talis, ita spectata in se, ut ad nihil aliud attendatur: ceterum si spectetur, a quo principio est hujusmodi convocatio, quave auctoritate ab illo fit, si conditio simul convocatorum respiciatur, si hebeatur ratio finis ipsius convocationis, est profecto undequaque spiritualis.

Dices. Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad ann. Christi 325. num. 11. animadvertit, constare ex confessione Patrum, qui ad illa convenerunt, Concilia Aurelianense I., et Toletanum III., jussu Regum convocata fuisse. Petrus de Marca *De concordia Sacerdotii et Imperii* lib. 6. cap. 18. num. 6. et seqq. facit mentionem etiam aliorum Conciliorum, quæ jussu Regum in Gallia celebrata fuisse, leguntur, indeque colligit hoc juris spectare ad Reges. Id confirmat auctoritate Gregorii Turonensis, qui refert, Episcopos neque propter injuriam temporum, neque propter difficultatem viarum obtemperare desiisse Childeberto Regi indicenti illis, ut ad urbem Virdunensem convenirent. Rursus cap. 19. num. 1. observat, a S. Gregorio Magno Reginam Brunichildem exoratam fuisse, ut synodum celebrari indiceret. Tandem ejusdem lib. cap. 20. num. 5. illud urget, Regem Sigebertum in epist. ad Desiderium Episcopum Cadurcensem constituisse, ne Synodale Concilium absque permissione Regis celebraretur. Etiam Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccles.* seculi 13. et 14. Dissert. 8. art. 2. §. 3. pluribus exemplis depromptis ex Conciliis celebratis sub 1. et 2. Dynastia Regum Christianissimorum ostendit, spectasse ad eosdem Reges Concilia convocare. Si ergo historia Ecclesiastica consulatur, constat esse potestatis civilis indicere Concilia.

R. Non solum ista; sed etiam alia concilia a prædictis auctoribus commemorari potuisse, quæ, Regibus indicentibus, habita fuisse, nullus negaverit: verum et illud quoque ex Ecclesiastica historia omnino compertum est, tum Hispaniarum, tum Galliarum Sacros Præsules in unum simul sæpe convenisse ad deliberandum de rebus pertinentibus ad

Ecclesiam, non auctoritate Principum evocatos, sed eorum, qui secundum institutionem Ecclesiasticam sibi præerant. Ut unum tantum quoad Ecclesias Hispaniæ nunc commemoremus, in XII. Toletano Concilio cap. 12. ita statutum fuisse legimus: »placuit huic venerando Concilio, ut juxta priorum canonum instituta Episcopi singularum provinciarum annis »singulis in unaquaque provincia Kalendis novembribus Concilium celebraturi conveniant." (a). Et re quidem vera in regnis Hispaniarum plura Provincialia Concilia celebrata fuisse absque ulla præcedente convocatione Regum, testata res est (b). De Conciliis autem Galliarum si loquamur dubitari non potest, et multa eorum, prævia convocatione Regum et plura etiam sine aliqua hujusmodi convocatione habita fuisse, sicuti *De Concord. Sacerd. et Imper.* lib. 6. cap. 6. et seq. etiam Petrus de Marca concedit, atque perspectum est, ut aliqua tantum indicemus, ex Aurelianen. III. ann. 538., et IV. ann. 541., ac Lugdunen. II. ann. 567. (c). Aliunde etiam in Conciliis Galliæ sancitum legimus, quo tempore Concilia haberi debeant (d). Quapropter, non minus convocantibus Regibus, quam ulla sine convocatione illorum, plura Concilia tum in Hispania, tum in Gallia habita fuisse, legimus: sicuti ergo ex iis, quæ Reges convocarunt, spectare ad eos convocare concilia, nostri adversarii inferunt; ita et nos quoque pari jure contra eas inferre possumus, spectare ad Ecclesiæ Præsules convocare Concilia, quia plura revera semper convocarunt. Ex hoc ergo capite quæstio finiri non potest, sed factum a jure distinguatur oportet, atque videndum, cuinam jus revera conveniat. Jam ostendimus, illud convenire iis, quibus datum est regere Ecclesiam Dei: hoc autem etiam ex ipso facto nunc confirmatur, quia Ecclesiæ Antistites nunquam publica lege statuissent, quando nam, et quibus anni temporibus concilia celebrari deberent, si penes eos jus convocandi Concilia revera non esset. Contra vero licet Reges Concilia indixisse legamus, tamen inde non consequitur, ut tale jus iisdem adjudicari debeat. Nam, vel consentientibus Ecclesiæ Præsulibus, Reges quandoque Concilia indixerunt, vel etiam ad ea, semel indicta sola auctoritate Regia, Ecclesiæ Præsules pro Ecclesiæ bono libere convenerunt, atque in iisdem simul uniti decrevere, quod magis e re esse illis visum fuit.

Quod autem Episcopi ad Synodum a Childeberto vocati, neque difficultate viarum, neque injuria temporum deterriti, simul in unum convenerint, argumento esse debet, et de Ecclesiasticis negotiis eos quam

(a) *Videatur Aguirrus tom. 4. collect. Concil. Hispani juxta edit. Catalani.*

(b) *Ex Aguirrio in cit. Collect. tom. 6. Vide inter alia, quæ habet de Convocatione Toletani Provincial. conc. ann. 1582. et Tarraconen ann. 1591.*

(c) *Vide Sirmondianam collect. Concil. Galliæ tom. 1.*

(d) *Vide Arausicanum I. Can. 29. Agathense Can. 7., Aurlianen. II. Can. 2., Aurelian. III. Can. 1., Aurelian. IV. Can. 37., et alia apud Sirmondum.*

maxime fuisse sollicitos, et summa cum indulgentia Regi obtemperasse. Nam hic quoque quæ est inter factum, et jus, distinctio recurrit.

S. Gregorius M. Epist. lib. 9. Indict. 2. epist. 109. ad Reginam Brunichildem data, ipsam rogat, ut ad convellenda ea mala, quæ in Ecclesia erant, Synodum fieri constituat, eam, inquam, Synodum, quam jam ipse celebrari decreverat: »Curam vero, (inquit) et sollicitudinem »ejusdem Synodi, quam fiendam decrevimus, fratri, Cepiscopoque nostro Syagrio, quem vestrum proprium novimus, delegare curavimus; »quem petimus, ut et supplicantem libenter audire, et ope juvare dig»nemini."

Rex Sigebertus in epistola data ad Desiderium Episcopum Cadurcensem præcepit quidem, ut Synodale Concilium absque permissione Regis non celebraretur; verum id præcepit, quatenus voluit de celebrando Concilio se antea certiorem fieri, non vero quatenus ad se pertineret indicere Concilia (a). Voluit igitur Sigebertus, quod simpliciter non requirebatur, sed quod ad quamdam erga se reverentiam spectare, ipse putavit.

Prop. II. Solus Summus Pontifex propria auctoritate, atque ordinario jure Synodos Œcumenicas indicere potest.

Prob. prop. Ejus est propria auctoritate, atque jure ordinario indicere Synodos Œcumenicas, qui est totius Ecclesiæ supremum visibile caput, atque ob id non solum ordinis, et dignitatis, sed etiam potestatis, atque jurisdictionis supremam potestatem habet, ac propterea etiam supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam obtinet: sed hæc omnia propria sunt solius Summi Pontificis, quemadmodum in lib. præced. jam ostendimus: est igitur solius Summi Pontificis, quemadmodum in lib. præced. jam ostendimus, propria auctoritate, atque ordinario jure Synodos Œcumenicas indicere. Ad hoc enim requiritur et supremi capitis potestas universalis, quæ supra omnes Ecclesiæ Præsules sese extendat, et suprema cura regiminis totius Ecclesiæ, et leges ferendi suprema auctoritas, quum sine quadam lege lata omnibus Præsulibus indici non possit, ut ad Synodum conveniant: semel ac ergo hæc omnia, uti propria illius, sint in Romano Pontifice, sicuti revera sunt, ejus tantum sit oportet propria auctoritate, atque ordinario jure indicere Synodos Œcumenicas.

Hoc ipsum etiam singularis ratio demonstrat: si enim agatur de potestate Ecclesiastica; nulla sane alia, sicuti potestas Summi Pontificis, super omnes Ecclesiæ Præsules extenditur: si autem de laica; nulla quoque ex sui ratione habet, ut extendatur ad omnes populos, atque nationes, ex quibus Præsules ad Concilium vocari debent: est ergo semper magis compertum, solius Summi Pontificis proprium esse indicere Concilia Œcumenica.

Dices. Octo prima Concilia Œcumenica Imperatorum auctoritate convocata fuisse, nemo dubitare potest: ea autem, licet indicta ab Imperatoribus, suscepit Ecclesia, atque venerata fuit: ergo penes Imperatores id

(a) *Consulatur tom. I. Capitularium edit. Baluzianæ pag.* 143.

juris revera esse, dici debet. Exemplum horum Conciliorum urgent Launojus lib. 6. epist. 1. ad Hambertum Mammorium, uterque Basnagius hoc est, Jacobus, et Samuel, ille quidem in *Hist. Ecclesiæ* lib. 10. cap. 2. et seqq., iste in *Annalibus Politico-Ecclesiast.* ad ann. Christi 325. et seqq., et alii omnes, qui convocandi Œcumenica Concilia potestatem Imperatoribus tribuunt.

R. Ex his omnibus nihil contra nos recte colligi posse: quam paucis fieri poterit horum Conciliorum convocationem expendamus, quum non eadem ratio in omnibus servata fuerit, videamusque, quid ex eorumdem convocatione æquo jure consequatur. Primo itaque pauca de Nicæna I.

»Aliquanto plus (Constantinum) sibi in negotiis Ecclesiasticis vindi»casse, quam laico Principi conveniret" recte Valesius animadvertit in cap. 51. lib. 3. *De Vita Constantini.* Tamen, sicuti Thomassinus monet in *Dissert.* 3. *in Synodum Nicænam* num. 5. »Condecebat vehementer, »multa condonari Imperatori, qui primus omnium Christo nomen dedis»set, Ecclesiam tot persequutionibus tandiu jactatam liberasset, ejus toto »orbe propagandæ, muniendæque, idolatriæ autem extinguendæ certam »spem faceret." Constantinum autem convocasse Synodum I. Nicænam, a multis quidem, auctorirate vero sibi propria in hanc rem usum fuisse, a nemine traditum habemus. Quemadmodum ergo supra innuimus, jus a facto hac in re distinguatur oportet, atque videatur, penes quem sit jus. Nam Concilia Œcumenica et Imperatores, et Summi Pontifices convocarunt: si ergo ad factum attendatur, æqualis est utrorumque ratio. At vero quia jus convocandi hujusmodi Concilia, quemadmodum jam ostendimus, est penes Summum Pontificem; ideo quando Romani Pontifices ea convocarunt, auctoritate sibi propria convocarunt: quando autem Constantinus Nicænum, nonnulli alii Imperatores quædam alia Concilia convocarunt, id fecerunt, annuentibus, vel consentientibus, aut etiam patientibus Romanis Pontificibus. Cum ea enim auctoritate, quam ipsi super hanc rem sibi propriam habent, stare potest, ut ipsis vel consentientibus, vel non repugnantibus, vel etiam æquo animo ob Ecclesiæ utilitatem patientibus, Concilium indicatur ab aliis, illudque semel indictum etiam sine ulla permissione eorum, ipsi postea ratum habeant ad amputandam omnem dissensionem.

Semper autem magis constabit, ad factum referri oportere, quod gesserunt Imperatores in convocatione Conciliorum, si advertamus, Summos Pontifices Imperatoribus petentibus, ut Concilium Œcumenicum haberetur, non semper annuisse. Id enim Leo Isaurus a Gregorio II. petiit: verum ipse Gregorius illi annuere recusavit, quia tunc id expedire non perspexerat (a). Sicuti vero Gregorius II. Leoni Imperatori assentiri noluit, ut Concilium Œcumenicum celebraretur; ita etiam Patres Concilii III. Romani habiti in causa Symmachi, quod a Rege Theodorico indictum fuerat, obstiterunt, ne in eo Concilio aliquid decerneretur, ante-

(a) *Vide Tom.* 8. *collect. Concil. edit. Venet. colum.* 662.

quam perspectum sibi fieret, illud indictum esse, consentiente Romano Pontifice (a).

Re maturius expensa, assentior quidem iis, qui tuentur, Damasum nullas partes habuisse in convocatione II. Synodi Œcumenicæ, seu Constantinopolitanæ I., verum ex hoc nihil detractum esse de potestate Summi Pontificis inde quoque constat, quia hæc Synodus in sui initio Œcumenica non fuit, sed tunc evasit talis, quando hanc illi dignitatem, auctoritatemque Damasus, et tota Ecclesia Occidentalis tribuit.

Synodum Ephesinam, Œcumenicam III., a Theodosio convocatam fuisse, damus; attamen Cælestino annuente, immo etiam poscente. De hoc constat tum ex epistola, quam Cælestinus dedit ad Joannem Episcopum Antiochenum (b); tum ex altera ejusdem epistola ad Arcadium, et Projectum Episcopos, et Philippum Presbyterum (c), tum ex tertia ejusdem data ad Theodosium, in qua laudat sollicitudinem ejus in defensione Catholicæ fidei, quia hanc Synodum Ephesinam convocaverat (d).

Marcianus quidem IV. Œcumenicam Synodum Niceæ primum, deinde vero Chalcedone celebrandam indixit; verum in id omnino consensit S. Leo, uti constat ex priori, et altera ejus epistola ad Marcianum data (e). Quare convocatione Concilii a Marciano semel facta, S. Leo statim nonnullos misit, qui Concilio præsiderent (f). Ut unus autem sibi tribuat facultatem præsidendi cœtui illi, qui est propria auctoritate convocatus ab altero, nulla ratio patitur: ut vero quispiam velit ei cœtui præesse, qui est quidem ab altero convocatus, non tamen propria auctoritate, sed se annuente, non solum recta ratio patitur, sed etiam requirit, ac propterea semel ac id faciat, argumento esse debet, saltem se permittente, peractam convocationem illius cœtus, cui præest.

Synodus V. Œcumenica, et Constantinopolitana II., neque in sui initio fuit Œcumenica, neque Virgilio consentiente celebrata, sicuti constat ex *Collatione* 2. et 8. ejusdem Concilii (g). Verum res hujus Concilii non semper in eodem statu perstiterunt: nam approbatione Vigilii, sicut etiam deinde aliorum Pontificum Romanorum, postea factum fuit, ut ea evaserit Œcumenica, et auctoritatem apud universam Ecclesiam obtinuerit. Quo sane semper magis magisque comprobatur, quod nos modo volumus.

Plures sane memoriæ prodiderunt, Vigilium longioris exilii tædio fractum: et post longum tempus hanc Synodum probasse: verum Norisius in *Dissert. Historica de V. Synodo* cap. 8. pluribus ostendit, Vigilium non solum non degisse quinquennium in exilio, sicuti Lupus in

(a) *Vide Tom.* 3. *collect. Concil. edit. Venet. colum.* 457.
(b) *Tom.* 1. *Collect. Concil. edit. Harduini colum.* 1326.
(c) *Cit. tomo colum.* 1471.
(d) *Cit. tomo colum.* 1473.
(e) *Juxta edit. Cacciarii* 74. *et* 75.
(f) *Citata epist.* 75.
(g) *Tom.* 6. *Collect. Concil. edit. Venet. colum.* 32.

Adnotationibus ad V. Synodum, et Sirmondus in *Synopsi Chronologica* ad libros Facundi contenderant, ducti auctoritate Victoris Turonensis, sed etiam illud quoque præstitit testimonio Scriptorum tum Latinorum, tum Græcorum, Vigilium non transegisse in exilio neque etiam illos sex menses, qui ab absoluta Synodo usque ad tempus confirmationis ab illo factæ intercesserunt. Legatur dicta Dissertatio, atque etiam *Defensio Dissert. Norisianæ* a duobus Balleriniis fratribus elucubrata.

Synodum VI. Œcumenicam, Constantinopolitanam III. Constantinus Pogonatus convocavit, attamen non sine consensione Romani Pontificis: Prius inde constat, quia Patres in omnibus *Actionibus* Synodi dicunt, se congregatos *secundum Imperialem Sanctionem*: de altero quoque compertum est, quia Imperator in sua *Sacra* (a) Summum Pontificem rogavit, ut ad Synodum habendam mitteret non solum Legatos, qui Concilii Occidentalis, sed et alios, qui, *induti personam Apostolicæ Sedis*, vices illius agerent: ita vero egerunt vices illius, quemadmodum factum comprobavit, et nos in sequenti capite ostendemus, ut Synodo præessent.

Synodus quoque Œcumenica VII., Nicæna II., nomine Imperatoris convocata fuit. Ei enim tribuitur convocatio tum in *Actione* I., tum in Actione IV. ejusdem Synodi (b). Illa tamen sine assensu Summi Pontificis facta non fuit: nam Constantinus, et mater illius Irenes per Constantinum Leontinum in Sicilia, et Dorotheum in Campania Episcopum *Divalem* miserunt ad Adrianum I., in qua, suæ fidei reddita illi ratione, eumdem rogant; *ut tumquam verus primus Sacerdos ascendat* ad Synodum, vel eligat *honorabiles viros*, *qui Sacræ*, *et paternæ Beatitudinis* illius locum teneant (c). Alteram quoque legationem anno sequenti Constantinus ad Summum Pontificem misit, quæ peracta fuit a Theodoro Episcopo Catanensi; et Diacono Epiphanio. Quid autem in hac legatione Imperator ab Adriano petierit, quidve ad illam consequutum fuerit, novimus ex testimonio Theodori Episcopi in *Actione* II. ita habentis ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum (d): »Beatissimus Papa audiens »dixit: quia si in diebus imperii eorum factum fuerit hoc, magnificare »habet Deus imperium eorum super priora regna. Hinc suggestionem »(hoc est, dogmaticam epistolam) transmisit una cum litteris ad Sancti»tatem vestram, et Vicariis suis, qui hic præsidentes adsunt." Consentiente ergo Romano Pontifice VII. Synodum Œcumenicam convocatam fuisse, dubitari non potest.

Tandem etiam ex convocatione Synodi VIII. Œcumenicæ, Constantinopolitanæ IV. semper magis confirmatur, quod nos modo volumus. Adrianus II. ille sane fuit, qui præcepit, ut hæc Synodus haberetur, quemadmodum neminem dubitare sinit epistola Summi Pontificis ad Ba-

(a) *Tom. 7. collect. Concil. edit. Venet. colum.* 1110.
(b) *Tom. 8. collect. Conc. edit. Ven. col.* 633. *et* 695.
(c) *Cit. tom. colum.* 677.
(d) *Tom. 8. collect. Concil. edit. Venet. colum.* 766. *et* 767.

silium Augustum data, quæ *Actione I.* hujus Concilii legitur (a). Basilius tamen hanc Synodum indixit, sicuti Patres Synodi tum in *Actione* I., tum in V. testantur (b).

Non est sane, cur alia Concilia Œcumenica excurramus, ut constet ex convocatione eorum nihil detractum esse de eo jure, quod in re ista soli Romano Pontifici proprie convenit, quum octo prima Concilia Œcumenica sint illa, ex quibus una cum aliis quibusdam uterque Basnagius, colligendum esse, contendunt, spectare ad Imperatores convocare Concilia Œcumenica.

Qui vero putant, Summo Pontifice renuente, convocare Concilium, Ecclesiam posse, id fieri posse supponunt, quod moraliter non potest: nam nemini unquam persuadebitur, fore, ut universi Episcopi simul in unum certo in loco, atque determinato tempore cogantur, licet neminem supra se agnoscant, a quo jure cogantur, propterea simul etiam obsistentes supremæ universæ Ecclesiæ capiti. Deinde fiunt, Ecclesiam id posse, quod, utpote omni auctoritate destitutum, ad utilitatem illius non conduceret, immo vero in detrimentum ejus vergeret.

Prop. III. Indicere auctoritate propria Synodos Nationales convenit Patriarchæ, seu Primati, Provinciales Archiepiscopo, Diœcesanas Episcopo.

Prob. prop. De veritate ergo hujus propositionis constat ex usu Ecclesiæ, atque etiam inde patet, quia oportet, ut, qui Synodum celebrandam statuunt, aliquid jurisdictionis habeant super illos, quibus indicunt, ut se determinato tempore ad eamdem conferant: quum ergo Episcopus loci jurisdictionem immediatam habeat in Clerum suæ Diœcesis, Metropolitanus in Episcopos illius provinciæ Ecclesiasticæ, cui præficitur, Primas, seu Patriarcha in totam nationem; ad Episcopum spectare debet cogere Synodos Diœcesanas, ad Metropolitanum, seu Archiepiscopum Provinciales, ad Primatem, seu Patriarchas Nationales.

Hic tamen advertatur oportet, non eamdem esse rationem juris quoad convocationem Conciliorum tam in Summo Pontifice, quam in Primatibus, seu Patriarchis, in Archiepiscopis, seu Metropolitanis, et in Episcopis. Quod enim est juris in Summo Pontifice quoad convocationem Conciliorum Œcumenicorum proficiscitur ex illo divino jure, quo est constitutus caput visibile totius Ecclesiæ cum suprema auctoritate potestatis, atque jurisdictionis, ideoque illud neque magis extendi, neque minui potest. Primates vero, seu Patriarchæ, Archiepiscopi, seu Metropolitani Synodos cogere possunt, illi quidem Nationales, isti Provinciales, quia lege Ecclesiastica quamdam præfecturam super Episcopos suæ nationis, vel provinciæ consequuti sunt, quæ quidem eadem lege vel magis extendi, vel minui, vel etiam omnino tolli potest. Episcopi autem semel ac a Summo Pontifice suam singularem Ecclesiam regendam receperint, possunt exercere eam potestatem jurisdictionis, quæ

(a) *Tom.* 10. *collect. Concil. dictæ edit. colum.* 490.
(b) *Cit. tomo, colum.* 486. *et* 631.

ad regimen gregis requiritur, quæque complectitur etiam auctoritatem convocandi Synodos Diœcesanas, ac propterea eamdem auctoritatem semper retinent, eaque potiuntur, quoad usque suæ Ecclesiæ præsunt.

CAPUT TERTIUM.

De jure præsidendi Synodis.

Dum plures ad aliquid decernendum simul congregantur, semper oportet, ut quispiam aliqua ratione præsit ceteris, ne ullus sit perturbationi locus. Ratio præsidendi est duplex: una ordinis, seu honoris, atque dignitatis, altera potestatis, atque auctoritatis: prior est illa, qua unus inter ceteros primum locum tenet, primusque sententiam dicit, atque etiam illa proponit, de quibus deliberandum est; ceterum tum consultationis, tum judicii ferendi habita ratione, eadem est auctoritas illius, ac cujusvis alterius spectantis ad eumdem cœtum: altera vero, vel respicit, quæ sunt exteriora respectu consultationis habendæ, atque judicii ferendi, vel per se attingit ipsam consultationem, et judicium. Quando præsidentis auctoritas suam vim in eo exerit, ut omnia cum ordine, ac sine tumultu agantur, tunc illa respicit, quæ sunt exteriora respectu consultationis, et judicii: quando autem regit tum consultationem, tum judicium, supremamque judicii rationem obtinet; tunc versatur circa id, quod tum consultationi, tum judicio est intrinsecum. Unde prior modus præsidendi in exteriori quadam potestate, alter in interiori consistit, ac propterea rationem præsidendi, quæ dicitur potestatis, distinguimus in exteriorem, et interiorem.

Vera autem, atque potissima ratio præsidendi convenit potestati interiori, exteriori autem latiori sensu, et per quamdam similitudinem. Quandoquidem cœtus hominum congregatorum in eo præcipue suam potestatem exerit, ut de aliquibus, quæ in controversiam veniunt, consultationem ineat, initaque consultatione, judicium ferat: qui ergo cœtui hominum simul congregatorum ita præest, ut regat consultationes, et determinationes ejusdem cœtus, atque in ipso judicio supremam rationem teneat, revera illi præesse, dicendum est, quia id potissimum attingit, circa quod hujusmodi cœtus ex sui institutione, et natura versatur. Hoc vero non habet ille alter, cujus ratio presidendi respicit solummodo exteriora.

Prop. I. Præsse Synodis Œcumenicis cum interiori potestate, solius Romani Pontificis proprium est.

Prob. prop. In interiori potestate positam esse potissimam rationem præsidendi, jam animadvertimus: aliunde vero est quoque ostensum a nobis, revera habere Summum Pontificem non solum dignitatis, et honoris, sed etiam potestatis, et jurisdictionis supremam præfecturam super universam Ecclesiam. Modo vero ita: suprema præfectura potestatis et jurisdictionis, sed ac vere sit suprema, ac vere etiam sit potestatis, et jurisdictionis, atque tandem universam Ecclesiam vere etiam

complectatur, nullo modo patitur, ut, ipsa non regente, atque moderante, agatur de iis, quæ et continent Catholicam doctrinam, et oportet, ut omnes Fideles credant, si ad fidem, servent autem, si spectant ad mores. At vero hujus generis ea sunt, quæ in Conciliis Œcumenicis in consultationem veniunt: dubitari igitur non potest, quin sit proprium Romani Pontificis Synodis Œcumenicis cum interiori potestate præesse.

Deinde supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam Summo Pontifici tribui oportere, jam ostendimus: cum ea vero conjungi necessario debere hanc potestatem de qua nunc loquimur, ita ostendimus. In Conciliis Œcumenicis agitur de iis ferendis legibus, quæ complectuntur totam Ecclesiam, qua late patet: leges autem, quæ ad universam Ecclesiam extendantur, eo non præsidente, ferri, qui supremam super universam Ecclesiam potestatem legislativam habet, omnino repugnat. Hoc enim si fieret, et ille aliquo modo deturbaretur a suprema potestate legislativa, et eamdem, saltem ex aliqua parte, sibi usurparent, qui supremæ potestati legislativæ omnino subjecti esse deberent. Quia ergo in uno Summo Pontifice est suprema legislativa potestas super universam Ecclesiam, ejus tantum esse debet, cum interiori potestate præesse Synodis Œcumenicis.

Dices. A nemine negari potest, Constantinum Magnum Synodo Nicænæ præfuisse; Constantinum Pogonatum VI. Œcumenicæ Synodo; VII. autem Synodo Irenem cum filio Constantino; atque VIII. Basilium Imperatorem. Deinde Imperatores non solum tempus aliquando præscripserunt, quo Synodi Œcumenicæ habendæ forent, sed etiam determinavere, quæ in iisdem discutienda essent: falso ergo dicitur a nobis, proprium esse Romani Pontificis præesse Synodis Œcumenicis.

R. Interiorem præsidendi potestatem nos, uti propriam illius, Romano Pontifici vindicasse: talis profecto ea non fuit, quam in aliquibus Synodis nonnulli Imperatores aliquando habuerunt, quum ad quemdam honorem, seu dignitatem ipsa spectaverit, et si quid potestatis in se habuerit, totum comparatum esset ad tumultus impediendos, aut semel ortos comprimendos. Paucis nunc de Constantino: ipse ergo, sicuti refert Eusebius *De vita Constantini* lib. 3. cap. 10. simul cum Patribus congregatus *non prius assedit, quam Episcopi ei innuissent.* Quum vero a quibusdam Episcopis quidam libelli contra alios Episcopos illi oblati fuissent, judicium supra Episcopos sibi delatum ferre recusavit, sicuti Gelasius Gyzicenus tradit in *Hist. Concil. Nicæni* lib. 2. cap. 8., qui etiam ejusdem lib. cap. 7. affirmat, quod *Sapientissimus Imperator, dum doctrinæ Catholicæ consensum stabilire moliretur. . . . Episcopis et Sacerdotibus, velut Patribus proposuit.*

Qua autem ratione Constantinus Magnus Nicænæ, etiam Constantinus Pogonatus VI. Œcumenicæ Synodo præfuit, quemadmodum in ea epistola explicatum habemus, quam Gregorius II. ad Leonem Isaurum dedit (a). In illa enim hæc de se Imperatorem dixisse leguntur: »Neque

(a) *Tom. VII. Collect. Concil. edit. Venet. col.* 662.

»cum illis ut Imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tamquam »unus ex illis: et prout statuerint Pontifices, ego exequar."

Synodo VII. Irenes quidem cum filio Constantino præfuit, sicuti in ejusdem Synodi *Actione* VIII. legitur (a): verum non ut suffragium ferrent, sed ut sua præsentia magis magisque excitarent Patres ad damnandos errores, illudque ferendum judicium, quod Catholicæ veritati omnino consonum esset. Hinc Imperator in sua *Sacra* ad Patres Synodi (b) et nullum sibi usurpat judicium, et in Patribus omnem judicii potestatem agnoscit: »Extendite (inquit) securim spiritus, »et omnem arborem germinantem fructum contentionis, et dissen»tionis, ac introductæ novitatis, aut magisterialibus vocibus trans»plantate, aut canonicis increpationibus concidite, et in ignem futuræ »gehennæ transmittite, ut integrum Ecclesiæ corpus compactum, et »conveniens, atque paterna traditione corroboratum pax spiritus cus»todiat."

Tandem ex *Actione* VII. (c) et aliis compertum habemus, Imperatorem Basilium Synodo VIII. Œcumenicæ eo modo præsedisse, quo nonnulli Imperatores aliis Synodis præsederunt. Qua de re certi esse possumus etiam ex ea epistola, quam Adrianus Papa gratulabundus ad Imperatores dedit (d): »In quo illud mirabilius (inquit Summus Ponti»fex) et laudabilius sublimitatis vestræ prædicatur insigne, quod non ju»dicum, vel assertorum, sed consociorum tantum, et obsecundatorum »persona usi fuisse, cognoscimini."

Nunc ad alteram partem. Ad factum referri oportere, non vero ad jus, quod gesserunt Imperatores in aliquorum convocatione Conciliorum, jam ostendimus. Semel ac autem hoc illis vel aperta, vel tacita consensione datum fuerit, inde consequebatur, ut tribueretur eis etiam potestas determinandi tempus, quo Concilia haberentur, sicuti etiam, ut constitueretur ab illis de quibusnam doctrinæ capitibus et consultatio a Patribus ineunda, et judicium ferendum esset, indeque indictis a se Conciliis præessent præcellentia quadam honoris, et dignitatis, quæ tamen tum ipsam consultationem, tum judicium nunquam attigit. Quoniam vero potissimum constat ex Synodo Ephesina Œcumenica, Imperatorem Patribus simul unitis id præscripsisse, de quo agere deberent, ex ea nunc videamus, utrum Theodosius judicii rationem circa illa sibi tribuerit, quæ in Synodo definienda erant. Theodosius ergo in sua *Sacra*, quam misit ad Cyrillum, et Episcopos Metropolitanos, determinavit synodi tempus, atque locum, edixitque, se æquo animo passurum non esse, si quispiam Episcopus ad eam non conveniret (e). In altera *Sacra* missa ad synodum per Comitem Candidianum, postquam præcepit, ne quispiam,

(a) *Cit. tomo.*
(b) *Cit. tomo colum.* 694.
(c) *Tom. X. cit. edit. colum.* 883.
(d) *Tom. X. collect. Concil. edit. Venet. colum.* 678.
(e) *Tom. III. collect. Concil. edition. Venet. colum.* 986.

re infecta, *a constituto disquisitionis loco abiret*, constituit, qua de re, aliis sepositis, primo loco Patres agere deberent (a). Ea tamen de causa Comitem Candidianum ad synodum se misisse, affirmat in eadem *Sacra*, ut tumultibus occurreret, non vero ut disquisitioni eorum, quæ ad fidem pertinerent, sese immisceret: »Igitur (inquit) Candidianum præ»clarissimum sacrorum domesticorum Comitem ad Sacram vestram Sy»nodum abire jussimus, sed ea lege, et conditione, ut cum quæstioni»bus, et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam »commune habeat. Nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum ca»talogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationi»bus se immiscere." Alterum hujus rei exemplum habemus in Synodo Chalcedonensi: ei enim Marcianus Imperator per se præfuit, tamen *ad fidem confirmandam*, *non ad potentiam ostendendam*, *exemplo religiosissimi Principis Constantini*, quemadmodum Marcianum dixisse ad Patres *Actione* VI. legimus (b). Hinc Patres Concilii in *Relatione*, quam miserunt ad Leonem Papam ita habent (c): »Tu vocis B. Petri omnibus »constitutus interpres.... Tu sicut membris caput præeras in his, qui »tuum locum tenebant, benevolentiam præferens. Imperatores vero fide»les ad ornatum præerant: sicut Zorobabel, et Jesus, Ecclesiæ tamquam »Hierosolymæ ædificationem renovare circa dogmata enitentes." Est ergo perspectum, quod nos modo volumus, hoc est, Imperatores in Conciliis Œcumenicis judicii rationem sibi non tribuisse, licet aliquando illa convocaverint, præscripserint tempus, quo haberi deberent, atque etiam determinaverint, quæ in iisdem discutienda, atque decernenda forent.

Quoniam vero præter alios uterque Basnagius singulariter ostendere conati fuerunt, primis conciliis Œcumenicis Summos Pontifices neque per se, neque per alios cum auctoritate præsedisse; ideo nunc paucis contra eos singulorum primorum Conciliorum habita ratione: ita vero paucis, ut licet singula, quæ ipsi opponunt, refutare non aggrediamur, quoniam tam longam disputationem instituti nostri ratio non patitur, tamen rei veritas unicuique perspecta esse possit. Samuel Basnagius in *Annal. Politico-Ecclesiast.* ad ann. Christi 325. et seqq. juxta chronologiam temporis, Jacobus vero in *Hist. Ecclesiast.* lib. II. cap. 2. et seqq. rem istam pertractant.

Nicænæ itaque Synodo S. Sylvestrum in persona Hosii, Bitonis, et Vincentii præfuisse, Gelasius Gizicenus tradit lib. 2. *Hist. Concil. Nicæni* cap. 5. id quidem Gelasius refert ex Eusebio lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 7., qui tamen hoc in loco non eadem omnino habet, ac ex eo Gelasius refert, et Eusebii narratio convenit cum narratione Socratis lib. 1. *Ecclesiast. Hist.* cap. 8., Sozomeni lib. 1. cap. 16., Theodoreti lib. 1. cap. 7. Verum Eusebii locum in Vulgatis editionibus mutilum esse, ex ipsa enarratione animadvertit Petrus de Marca *De*

(a) *Cit. tomo colum.* 990.
(b) *Tom. IV. collect. Concil. edition. Venet. colum.* 1475.
(c) *Cit. tomo colum.* 1475.

Concordia Sacerdotii, et Imperii lib. 5. cap. 3. num. 6., et ante ipsum lib. 1. *Exercitat.* 20. Joannes Morinus animadverterat. Unde dicendum, Socratem, Sozomenum, et Theodoritum nactos non fuisse codices integros, quos nactus fuit Gelasius Gizicenus. Hujus autem narrationi standum esse, inde quoque constat, quia quod ipse de Hosio tradidit, multi alii subinde confirmarunt (a), et nemo dubitare potest, quin Hosium una cum Bitone, seu Vito, et Vincentio Actis Nicænæ Synodi omnium primos subscripsisse (b), quamvis eidem synodo interfuerint alii plures, qui Hosium, ejusque socios præcedere debebant. Ut enim de jure Patriarcharum nunc sileamus (c), »quomodo Theognis Nicænæ civitatis, in »qua celebrabatur synodus, Antistes, et Eusebius Nicomediensis totius »Bythiniæ Metropolita, et Imperatoriæ urbis Episcopus, homines ambitiosissimi, et Arriani, sese non opposuissent præsidentiæ Hosii, quem »suæ infensissimum hæresi noverant, si legatione Sylvestri functus non »fuisset?" Si autem ad merita attendamus, ad quæ tamen in Synodis ita non attenditur, ut propter ea loco præsit aliis, qui aliunde præesse non deberet, adfuerunt sane in Nicæna synodo plures, qui Hosio non solum æquales, sed etiam superiores erant. Reliquum ergo est, ut dicamus, Hosium propter munus legationis præfuisse ceteris.

Neque solam præfecturam, quæ est honoris, sed etiam alteram, quæ dicitur potestatis, et refertur ad directionem eorum, de quibus consultatio iniri, et sententia ferri debet, Hosius in Nicæna synodo habuit. Quum enim de eo distincte explicando ageretur »quomodo oporteat tres »Personas intelligere indivise in una illa ineffabili Patris, et Filii, et »Spiritus S. Divinitate" sicuti Gelasius supra memoratus refert lib. 2. cap. 12. »sancta, et magna, et generalis Synodus Sanctorum Patrum Nicææ congregatorum per Beatum, et Sanctum Hosium Episcopum civitatis Cordubæ in Hispania, tenentem locum Episcopi Romani cum præ»dictis ejusdem sedis Præsbyteris, altero ipsum interpretante, dixit: Di»vinitas non est una persona, ut Judæi existimant, sed tres personæ vere »subsistentes, et non solum nomine." Hinc Arrianos de Hosio apud Constantium ita conquestos fuisse legimus in epist. Athanasii *ad Solitarios* num. 42. »Potest quippe ille verbo, fideque sua omnes adversus nos »inducere. Hic et Synodis præesse solet, ejusque litteris omnes obtem»perant. Hic Nicænam fidem edidit, Arrianosque uti hæreticos ubique »traduxit."

De II. Œcumenica Synodo non est, cur disputemus: ei enim nullus Occidentalium interfuit, et Damasi, ac ceterorum subinde Romanorum Pontificum comprobatione factum fuit, ut ipsa Œcumenicæ auctoritatem acquisierit. In Synodo tamen Œcumenica III. nomine Cælestini Legati ejus præsederunt, atque primum locum tenuere. »Primo etenim loco

(a) *Vide Natalem ab Alexandro* Dissert. 12. *in* Hist. Ecclesiast. *sec.* 4.

(b) *Vide tom.* 2. *collect. Concil. edit. Venet. colum.* 55. *et seqq.*

(c) *Ita Natalis cit. loco.*

»(inquit Nicolaus I. epist. 9.)(a) Sancta Synodus apud Ephesum congre»gata, sanctæ memoriæ Cælestini Papæ prius epistolam legit, et ita de»mum ad alia exequenda vocavit, ita ut, jubente S. Cyrillo, qui idcirco »in præfata Synodo ante omnes sedit, quia et ipse locum memorati Pa»pæ ibidem (sicut gesta ejusdem Synodi testantur) obtinuit." Idem affirmant Evagrius lib. 1., *Hist. Ecclesiast.* cap. 4., Liberatus cap. 5. sui Breviarii, Photius in lib. *De Synodis*, Balsamon apud Photium in *Nomocanone* tit. 8. cap. 1., et Marcellinus Comes in *Chronico Indict.* 13. (b) Verum hac de re non solum ex exteriori, sed etiam ex interiori auctoritate constat. Satis est ea legi, quæ hujus Synodi *Actione* I. et II. acta fuisse leguntur, ut nullus amplius dubitandi locus superesse possit, quidquid tandem duo Basnagii contra reponant, huic Synodo Legatos Summi Pontificis cum interiori potestate præfuisse.

Etiam Synodo Chalcedonensi, Œcumenicæ IV., S. Leo per suos Legatos præfuit. Id ergo juris in eo agnovere Imperatores Marcianus, et Valentinianus, sicuti constat ex epistolis eorum ad eumdem datis (c). Hoc autem jure S. Leonem revera usum fuisse, testatum habemus ex epistola ejus ad Patres Synodi (d), sicut etiam ex *Actione* I., in qua Legati Patribus manifestarunt, quæ S. Leo circa Dioscorum servari præcepisset, et ex *Actione* II., in qua Patres epistolæ S. Leonis subscripserunt, et *alteram expositionem* omnes repudiarunt (e).

De Œcumenica V. Synodo, Constantinopolitana II., non est, cur verba faciamus: ei enim Vigilius adesse recusavit, et Romanorum Pontificum auctoritate factum fuit, ut illa quoque sicuti Œcumenica haberetur ab Ecclesia. Ad Œcumenicam VI., Constantinopolitanam III., veniamus. Quid ergo in hac Synodo Patres præstare deberent, Agatho una cum Synodo Romana in suis litteris ad Imperatorem significavit (f): »Personas autem (inquit) de nostræ humilitatis ordine prævidimus di»rigere ad vestræ a Deo protegendæ fortitudinis vestigia, quæ omnium »nostrum, id est, universorum per septemtrionales, vel occiduas regio»nes Episcoporum suggestionem, in qua et Apostolicæ nostræ fidei con»fessionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tamquam de in»certis contendere; sed ut certa, atque immutabilia compendiosa defi»nitione proferre." Unde in suam communionem eos se recepturus testatur, qui iisdem assensi fuerint, contra alios, qui repugnaverint, a sua communione se esse separaturum. Quos igitur miserat Summus Pontifex, ut sui vices in concilio agerent, loco omnium primo præsederunt, quemadmodum constat ex singulis hujus Concilii Actionibus, et Patres in suo *Prosphonetico* sermone ad Imperatorem certiorem eumdem fecerunt,

(a) *Tom. IX. collect. Concil. edition. Venet. colum.* 1350.
(b) *Tom. IX.* Bibliot. Patrum.
(c) *Tom. IV. collect. Concil. edit. Venet. colum.* 831. 834.
(d) *Cit. tom. colum.* 842.
(e) *Tom. IV. collect. Concil. edition. Venet. colum.* 863. *et* 1206.
(f) *Tom. VII. ejusdem edit. Venet. colum.* 1714.

eorum, quæ decreverant, Agathonem habuisse *fautorem*, *et divini misterii sacramentum illustrantem per litteras* (a). Agathoni autem scripserunt, se recepisse ejus litteras, *Ut a Summo Apostolorum vertice divine præscriptas*, *per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulerant* (b). Agatho igitur tale jus præsidendi Synodo sibi tribuit, quod non solum primatum honoris contineret, sed etiam consultationes, et difinitiones faciendas regeret, atque moderaretur, illudque Patres simul congregati in eodem Agathone venerati fuere.

Adrianus quoque I. per suos Legatos cum potestate præsedit VII. Œcumenicæ Synodo, Nicænæ II. Nam ex actis Synodi constat, Petrum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, et Petrum Abbatem S. Sabæ, utpote tenentes locum Adriani, et primum locum tenuisse inter ceteros, et in sua subscriptione præcessisse etiam Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum. Gesta deinde Synodi neminem dubitare sinunt, Patres agnovisse Adrianum, uti supremum omnium moderatorem, quæ definienda erant. Nam *Actione* II. Patres petierunt, ut sibi legeretur tum ea epistola, quam ad Imperatores, tum altera, quam ad Constantinopolitanum Patriarcham Adrianus miserat (c). Lecta utraque epistola, Legati Apostolicæ Sedis a Tarasio exquisierunt, utrum consentiret *Litteris Sanctissimi Papæ senioris Romæ Adriani*, *an non*: tunc Tarasius (d): »sic (in»quit) quod confessi sumus, confitemur, et confitebimur ... atque per»manebimus in significatione litterarum, quæ lectæ sunt. Synodus vero »universa clamavit: Tota Sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita »dogmatizat." In subscriptionibus autem nonnulli Episcopi sese credere protestati fuerunt, *Sicut honorabiles litteræ Sanctissimi Papæ continent*: alii *secundum litteras Sanctissimi Papæ senioris Romæ Adriani*: quidam autem epistolas vocarunt *nitidissimum Orthodoxiæ terminum*. Hæc vero omnia ostendunt, Patres instar cujusdam canonis, cui suam fidem conformarent, Adriani epistolas habuisse, ac propterea eumdem Synodo præsedisse cum auctoritate potestatis, quæ Patrum simul congregatorum consultationes, et definitiones regeret, atque moderaretur.

Tandem Adrianus II. per suos Legatos cum potestate etiam interiori Synodo Œcumenicæ VIII., Constantinopolitanæ IV. præfuit. Donatum ergo Episcopum Ostiensem, Stephanum Episcopum Nepesinum, et Marinum Diaconum misit Adrianus ad hanc Synodum, ut ei sua vice præsiderent. Hos Legatos Basilius Augustus honorificentissime excepit, et exosculatus epistolam, quam a Summo Pontifice sibi datam reddiderunt, eosdem fecit certiores, sicuti Anastasius tradit in vita Adriani II., se cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis præstolatum fuisse *censuram Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Romanæ*, ac propterea rogare, ut *unitas*, *et tranquilitas optatæ diutius juxta decreta*

(a) *Tom. VII. collect. Concil. edit. Venet. col.* 1086.
(b) *Cit. tom. colum.* 1110.
(c) *Tom.* 8. *collect. Concil. edit. Venet. colum.* 746.
(d) *Cit. tomo. colum.* 774.

Sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur. Tunc vero Legati: »Et nos ideo »venimus, ideo missi sumus: sed neminem Orientalium vestrorum un»quam in nostram Synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cu»jus formam de scrinio Sanctæ Sedis Apostolicæ desumpsimus nobis fue»rit satisfactum." In eo autem præcipiebatur ut omnes anathema dicerent Photio, iisque conventiculis, quæ sub Micheäle Imperatore iterum iterumque contra Patriarcham Ignatium, et semel adversus Primatum Sedis Apostolicæ conspiraverant, amplecterentur autem tum eam Synodum, quam Nicolaus, tum alteram, quam Hadrianus habuerat, et reciperent, aut damnarent illos, qui in eisdem Synodis recepti, aut damnati fuerant: demum sequerentur *in omnibus Apostolicam Sedem*, et observarent *ejus omnia constituta*, *ut in una communione*, *quam Sedes Apostolica prædicat*, esse mererentur (a). Huic libello subscripserunt omnes, et Actione II., ut alia nunc omittamus, legimus, quosdam Episcopos, qui ad Photium defecerant, postquam suum errorem coram Patribus confessi fuere, a Legatis Apostolicæ Sedis his verbis in communionem receptos fuisse (b): *suscipimus vos secundum præceptionem Sanctissimi Papæ nostri Hadriani per confessionem libelli pœnitentiæ vestræ.* Hæc vero omnia, ut alia multa prætereamus, quod modo volumus, omnino suadent.

Prop. II. Propria, et ordinaria auctoritate præesse Synodis Nationalibus Patriarchæ, seu Primati, Provincialibus Archiepiscopo, Diœcesanis Episcopo convenit, non tamen una eademque ratione.

Prob. prior pars. Cœtui hominum simul congregatorum saltem ordine, et dignitate ille dicitur propria, et ordinaria auctoritate præesse, qui in eodem cœtu a se semel propria auctoritate congregato primum locum tenet, quia præeminet aliis: at vero propria auctoritate indicere Synodos nationales convenit Patriarchæ, seu Primati, Provinciales Archiepiscopo, Diœcesanas Episcopo, indeque convenit, quia aliqua ratione præsunt iis, qui in unum congregari debent, ac per hoc inter eos semel congregatos primum locum tenent, quemadmodum in Ecclesia semper servatum fuisse legimus: est igitur Patriarchæ, seu Primatis, propria auctoritate præesse Synodis Nationalibus, Archiepiscopi Provincialibus, Episcopi Diœcesanis.

Prob. altera pars. In diversa ratione judicii præcipue positum est illud discrimen, quod intercedit quoad rem istam inter Episcopos respectu Synodi Diœcesanæ, et inter Patriarchas, atque Archiepiscopos respectu Synodi Nationalis, seu Provincialis. Episcopi enim, et etiam procuratores illorum, si tamen Concilium assentiatur (c), in Synodo Nationali, seu Provinciali votum decisivum eadem ratione habent, ac ille, qui iisdem præest: qui vero ad Synodum Diœcesanam vocati conveniunt, nullum votum decisivum habent, sed solummodo consultivum, atque tota ratio definitionis, seu judicii est penes Episcopum.

(a) *Vide libellum tom.* 10. *Collect. Concil. idit. Venet. colum.* 498.
(b) *Cit. tomo colum.* 511.
(c) *Vide Bened. XIV. De Synodo Diœces. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 6.

Quandoquidem, sicuti habet Fagnanus in cap. *Sicut olim De Accusatione* num. 104., »quum omnia in Concilio Provinciali (eadem vero est »ratio Concilii Nationalis) ex Suffraganeorum, et Metropolitani senten»tia peragi debeant, si Metropolitanus est unius sententiæ, Suffraganei »autem alterius; S. D. N. dixit, sententiam prævalere Suffraganeorum, »et hoc, quia habent votum decisivum, et sunt conjudices; et quia Do»ctores dicunt, quod debet Metropolitanus statuere de consilio, et as»sensu eorum, seu majoris partis." Contra vero in Synodo Diœcesana solus Episcopus est judex, atque legislator, et ipse decreta facit, et promulgat suo nomine, ac licet exposcat consilium adstantium, non oportet, ut illud sequatur (a).

Dices. Synodis Nationalibus, quæ etiam universales dictæ fuerunt, Reges, vel etiam Comites Regii Palatii, regnique Primates, tum in Gallia, tum in Hispania, tum in Germania, atque aliis regnis præsedisse, immo laicos eodem modo, ac Præsules Ecclesiarum, suum in eis suffragium tulisse, neminem dubitare sinunt multæ Synodi, quæ in iisdem regnis seculo 6., et deinde sequentibus celebratæ fuere: ergo.

R. Hic quoque habendam rationem ejus distinctionis, quæ intercedit inter jus, et factum, deque illo nos modo pugnare, non de isto. Quare indixerint sane Synodos Nationales, eisdemque præfuerint Reges; hoc tamen ex Ecclesiæ indulgentia fecisse, quando fecerunt, dici debet, ac propterea nullum jus quoad rem istam inde eis adjudicari potest: per hoc enim quod alicui quidpiam per indulgentiam tribuatur, super illud ipse nullum jus acquirit. Illud quoque hic iterum animadverti debet, quod initio hujus capitis animadvertimus, hoc est, jurisdictionem præsidendi distingui debere in interiorem, et exteriorem: illam potissimam esse, non vero istam, illamque propterea soli Ecclesiasticæ potestati convenire posse, et neque etiam Imperatores unquam sibi tribuisse.

Attendendum tamen est, in Nationalibus hujusmodi Synodis Sacros Præsules primo inter se tantum de negotiis Ecclesiæ agere consuevisse, deinde vero una cum regni proceribus de aliis, quæ ad regimen regni spectabant. Id servatum in omnibus fere Synodis Toletanis, Thomassinus observat *De Vet. et Nova Eccl. Disciplina* part. 2. lib. 3. cap. 47. num. 1. et 4. Unde cap. 50. num. 10. »sed quum offendi quis possit, (in»quit) quod seculi proceres Episcopali Concilio interessent; illud menti »sedulo mandandum est, quod in Toletano XVII. exprimitur conceptis »verbis, et quod in aliis æque Conciliis factitabatur: tres nimirum prio»res Concilii dies jejunio dicatos fuisse, ac fidei deliberationibus, et mo»rum, ac disciplinæ Clericorum, nullo tunc Laicorum præsente: quo »completo triduo, ad alia mixta, vel mere temporalia negotia cum lai»cis tractanda descendebatur." Tandem, ut alia omittamus, illud cum eodem auctore in cit. lib. cap. 52. num. 3. animadvertimus, habita semel ratione formularum antiquarum, sæpe pro eodem æque accipi, quod

(a) *Vide Bened. XIV. De Synod. Diœc. lib. 3. cap. 12. num. 7.*

Rex adsit, vel præsit, quod præcipiat, vel permittat. Unde observat, Synodo celebratæ apud Francofurtum ann. 794. Carolum Magnum præfuisse, in una epistola affirmari a Patribus ejusdem Synodi, in altera autem adfuisse. Licet enim Legati Apostolici, et etiam Metropolitani seniores suo modo huic Synodo præfuerint; tamen quum in eo Carolus quoque circumfultus imperii majestate sederit, quodammodo eidem præsedisse recte dicitur.

CAPUT QUARTUM.

De jure confirmandi Synodos.

Illa confirmatio, qua lex, vel decreta semel edita comprobantur, est quadruplex: alia cadit super legem, atque decreta, eorumque firmitatem respicit, alia super exequutionem decretorum: rursus alia est confirmatio, quæ proficiscitur a subditis, dum legi sibi propositæ, prout debent, morem gerunt, alia, quæ provenit ab æquali potestate, ac sit illa, a qua lex prodiit. Prima species confirmationis in eo posita est, ut ipsa lex ob potestatem confirmantis plenam auctoritatem acquirat, ultimumque complementum quoad vim obligandi assequatur: altera nullam legi auctoritatem tribuit, sed illam præsupponit, atque tota in eo versatur, ut exequutioni mandentur, quæ lata lege semel constituta fuerint. Confirmatio, quæ habetur a subditis, est quoddam testimonium ejus obedientiæ, quam subditi legislatori præstare debent: quæ autem ab æquali potestate provenit, ac sit illa, a qua lex proficiscitur, legi jam habenti omnem vim ad obligandum, confirmationem quamdam superaddit.

Prima est proprie dicta confirmatio, quia ea fit, ut ipsa lex plenam auctoritatem acquirat, ultimumque complementum ad obligandum habeat: altera secundum quamdam similitudinem tantum confirmatio dicitur, quia præsupponit inesse in lege omnem vim obligandi, indeque æquo jure urget exequutionem ejus. Tertia latissimo quodam sensu haberi potest loco cujusdam confirmationis, quatenus lex, quando, prout debet, servatur a subditis, aliquam inde confirmationem recipere videtur. Quarta quoque habet aliquam rationem confirmationis, non tamen ex sui natura, atque institutione; quando enim aut Summi Pontifices, aut Synodus Œcumenica confirmant, quod statutum est a præcedentibus Summis Pontificibus, aut Synodis Œcumenicis, non ita confirmant, quasi illud omnem auctoritatem antea non haberet, sed id faciunt, ut religioni contrarius error magis magisque refellatur, indeque etiam fit, ut veritas catholica novam confirmationem acquirat.

Prop. I. Jus veræ, et proprie dictæ confirmationis quoad ea, quæ in Synodis Œcumenicis decreta fuerint, Summo Pontifici tribui debet.

Prob. prop. Quænam sit vera, et proprie dicta confirmatio, jam expli-

cavimus. Illud quoque ostendimus (a), et omnes Catholici fatentur, Primatum Summi Pontificis super universam Ecclesiam non esse solius honoris, et dignitatis, sed etiam auctoritatis, atque jurisdictionis. Unde dubitari non potest, quin Summus Pontifex universam Ecclesiam sub sua auctoritate, atque jurisdictione contineat. Modo ita. Patres in Synodo Œcumenica congregati non constituunt aliquod corpus, quod sit extra Ecclesiam universam, sed quod ipsa universa Ecclesia complectitur: igitur hoc quoque corpus subest auctoritati, et jurisdictioni Summi Pontificis quod ergo ab hoc corpore agitur, atque decernitur, auctoritati, atque jurisdictioni Summi Pontificis subesse debet. Nam Synodus Œcumenica, vel quid supremum est, quod Ecclesiam universam sub sua potestate, atque jurisdictione continet, vel ipsum quoque est pars Ecclesiæ, potissima tamen, atque præstantissima omnium, quæ dari possunt: si prius dicamus; tum Ecclesia habebit duo suprema capita, hoc est, Summum Pontificem, et Synodum Œcumenicam quod sane nemo unquam affirmare auserit: si alterum; igitur etiam Synodus Œcumenica continetur in Ecclesia: igitur qui universæ Ecclesiæ cum auctoritate, et jurisdictione præest, etiam Synodo Œcumenicæ cum auctoritate, et jurisdictione præesse debet. Hæc vero auctoritas, atque jurisdictio ea quoque complectatur oportet, quæ a Synodo Œcumenica decernuntur, quum eadem tenere, et servare debeant omnes Fideles, quibus universa Ecclesia componitur: talis ergo auctoritati, judicio, atque confirmationi illius subesse debent, qui Supremam præfecturam etiam auctoritatis, atque jurisdictionis super universam Ecclesiam habet.

Et re quidem vera leges, quæ feruntur pro aliquo cœtu, vel republica, nunquam vim ad obligandum ex ipsa legislatione habent, quousque non sint confirmatæ auctoritate ejus, qui supra cœtum, vel rempublicam auctoritatis, et jurisdictionis Primatum tenet: at Summus Pontifex super universam Christianam rempublicam tenet Primatum auctoritatis, et jurisdictionis: illius ergo auctoritas, oportet, ut accedat ad confirmandas eas leges, quæ pro universa Christiana republica conduntur.

Tandem repugnat, ut aliqua decreta universam Ecclesiam obligent, semel ac non sint confirmata auctoritate ejus, qui supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam habet: ea enim est ratio Supremi, ut in eo genere, in quo est Supremum, et supra se nihil habeat, et illi subjectum sit omne, quod est inferius. Decreta autem Synodi Œcumenicæ pro tota, qua late patet Ecclesia, feruntur: ergo eadem ab illo confirmentur oportet, qui super universam Ecclesiam habet supremam potestatem legislativam. Hujus ergo supremæ potestatis legislativæ, quæ est propria Romani Pontificis (b), habita ratione, dicendum est, jus veræ, et propriæ dictæ confirmationis quoad ea, quæ in Synodis Œcumenicis decreta fuerint, Summo Pontifici tribui debere.

(a) *Lib. 4. cap. 2.*
(b) *Lib. 4. cap. 7.*

Dices. Œcumenicæ Synodi primorum temporum a Summis Pontificibus confirmatæ non fuerunt; saltem si loquamur de confirmatione proprie dicta: ex iisdem ergo constat, id juris Romanis Pontificibus tribuendum non esse. Prob. ant. 1. Falsæ sunt litteræ, quæ tum Nicæni Concilii, tum S. Sylvestri nomine circumferuntur de confirmatione hujus Synodi. Deinde a Rufino *Hist. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 5, et ab Eusebio *De Vita Constantini* lib. 3. cap. 14. traditum habemus, Constantinum *Sacerdotalis Concilii sententiæ* acquievisse, atque esse acquiescendum, Alexandrinæ Ecclesiæ scripsisse (a). 2. Decreta Synodi Ephesinæ, Œcumenicæ III., confirmata quidem fuerunt a Legatis Sedis Apostolicæ, verum confirmatio eorum in quadam *consensione* reponi debet (b). 3. In quadam assensione consistit ea etiam confirmatio, qua fidei definitiones Synodi Chalcedonensis, Œcumenicæ IV. S. Leo probavit. Hoc autem inde constat, quia Patres in sua *Relatione* ad Leonem nullam ab eo confirmationem petierunt (c). 4. Ad quamdam consensionem revocari debet etiam illa confirmatio, qua Leo II. probavit definitiones Synodi Constantinopolit. III. Œcumenicæ VI. Nam, uti constat ex *Actione* VIII. fidei definitio semel edita, et Patrum, ac Imperatoris subscriptione signata ad quinque Sedes Patriarchales missa fuit, utpote *quæ certissima auctoritate constaret.* In Relatione autem, quam Patres ad Agathonem miserunt, affirmant, se edidisse *omnis erroris expertem, certamque, nec fallentem definitionem vivifici spiritus ope.* Unde Imperator, non expectata responsione Apostolicæ Sedis, eam exequutioni mandari præcepit (d). 5. Synodum Nicænam II., Œcumenicam VII. ab Adriano confirmationem aut petisse, aut recepisse, nullibi legitur, et tamen decreta illius tum græci, tum alii receperunt (e). 6. Tandem ad quamdam promulgationem, et exequutionem Decretorum referri debet illa confirmatio, quam Patres Synodi Constantinopol. IV., Œcumenicæ VIII. ab Adriano II. petierunt.

R. Ad hæc omnia majori brevitate, qua fieri poterit. Prius tamen advertatur oportet, triplici ratione haberi posse hanc confirmationem, de qua loquimur: 1. Quando Summus Pontifex confirmat, quæ, se præsidente, a Patribus decreta fuerint: 2. Quando talia decreta, se absente edita, sua expressa auctoritate probat, et confirmat: 3. Quando ad Concilium mittit Legatos, qui sui vice præsideant, suamque sententiam, et definitionem coram Patribus pronuntient. Dici autem non potest, Acta concilii per Legatos a Summo Pontifice confirmata fuisse, quando Legati una cum Patribus, vel decernant de iis, quæ sibi a Romano Pontifi-

(a) *Ita Bossuetius Defensionis &c. lib.* 8., *alias* 13., *cap.* 3., *et lib.* 3., *alias* 7., *cap.* 7.

(b) *Ita cit. auctor lib.* 8., *alias* 13. *cap.* 3.

(c) *Ita cit. auctor lib.* 8., *alias* 13., *cap.* 5.

(d) *Ita cit. auctor lib.* 8., *alias* 13., *cap.* 6.

(e) *Idem loco cit.*

ce constituta non fuerint, vel si statuant aliquid, contra ac Romanus Pontifex iisdem præscripserit (a). His positis.

Ad 1. Illud animadverti debet, Legatos S. Sylvestri Nicænæ Synodo cum potestate præfuisse, et ea quidem, quæ respicit directionem illorum, de quibus et consultatio iniri, et sententia ferri debet (b). Non solum autem cum hac tali potestate præfuerunt, cum qua naturaliter conjunctum esse videtur jus confirmandi illa, quæ definita fuerint, sed etiam a S. Sylvestro recepere *potestatem assentiendi Actis*, sicuti apud Theodoritum *Hist. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 6. legitur. Profecto quadam singulari recepta potestate assentiri Actis, quæ consensione multorum edita fuerint, est tantum agentis vices alterius, qui habeat facultatem confirmandi, quod ab illis multis constitutum fuerit. Nam nihil magis consonum erat, quam ut Hosius, et socii ejus unanimi definitioni Patrum assentirentur: igitur si hoc, non obstante, Sylvester contulit suis Legatis singularem potestatem assentiendi Actis; id argumento esse debet, singulare jus eisdem conferre voluisse, quo in sui persona confirmarent, quæ decernebantur. Id autem revera præstitum fuisse, confirmant Damasus, et Patres Concilii Romani, qui in epistola Synodica ad Episcopos Illyrici tradunt, Nicænam formulam fidei firmatam *Apostolorum*, sive *Apostolica auctoritate*. Hinc dum formulam Ariminensem, et Nicænam invicem conferunt, priorem inde potissimum rejiciunt, quia absque sententia Romani Pontificis condita foret, alteram autem perpetuo retinendam statuunt, quia *Apostolorum*, hoc est, Apostolicæ Sedis auctoritate probata fuerat (c). Quamvis ergo sint supposititicæ litteræ tum Sylvestri, tum Nicæni Concilii, licet Constantinus quod in Nicæno Concilio sancitum fuerat, præceperit, ut servaretur; tamen semper constat de ea confirmatione, de qua nos modo contendimus.

Ad 2. respondeo, constare ex ipsa narratione rei gestæ, confirmationem Legatorum in quadam simplici consensione reponi non posse. 1. Legati Apostolicæ Sedis, quoniam jactari tempestatibus maris Actioni I. interesse non potuerant, sibi exponi petierunt, quæ ante suum adventum gesta erant, ut ea confirmare possent. 2. Petitionem illorum Theodorus Episcopus Ancyranus coram omnibus Patribus, nemine reclamante, justam esse pronuntiavit, illudque simul cavendum censuit, ut Synodi Actioni etiam hoc insereretur, quod illis satisfactum esset. 3. Rogati Legati quid de iis sentirent, quæ in depositione Nestorii peracta fuerant; omnia *canonice*, *et ex Ecclesiastica disciplina judicata* fuisse definierunt. 4. Legati coram se ea quoque legi petierunt, quæ in Synodo lecta fuerant, antequam ipsi advenirent, ut, sicuti ipsi dixerunt Patribus *et vestræ etiam Sanctitatis judicia vestra confirmare possimus*. Patres autem

(a) *Consulatur Canus De Locis Theol. lib. 5. cap. 5., Bellarminus De Concil. Auctorit. lib. 2. cap. 11., Orsius De Rom. Pont. Auctorit. lib. 1. cap. 3. art. 1.*

(b) *Hujus lib. cap. præced.*

(c) *Theodoritus Hist. Ecclesiast. lib. 2. cap. 22.*

etiam in id unanimiter acquieverunt. 5. Ratam habuerunt Legati sententiam condemnationis, quam Patres Actione I. contra Nestorium tulerant; atque considentibus Patribus, iidem edixerunt, Nestorium et a gradu honoris Episcopalis dejectum esse, et omnium orthodoxorum Sacerdotum communione privatum (a).

Ad 3. dico, S. Leonem conceptis verbis confirmasse, quæ spectantia ad fidem in Synodo Chalcedonensi definita fuerunt. Atque illud quidem primo advertit debet, S. Leonem in epistola data ad hujus Concilii Patres, quando adhuc Niceæ morabantur, uti certum, et a se antea definitum iisdem proposuisse, quod ipsi simul congregati statuere debebant (b). Qui autem habet jus determinandi id alicui cœtui, quod uti rem certam, utpote a se antea constitutam, in suis definitionibus sequatur, confirmandi quoque jus habere debet, quod ab eodem cœtu constitutum fuerit. Hoc autem jure S. Leonem usum in confirmanda definitione fidei edita a Patribus Chalcedone congregatis, ea epistola dubitare non sinit, quam, peracta Synodo, ipse ad eosdem dedit (c) »Ne ergo (inquit) per »malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chal»cedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; »hæc ad omnes fratres, et Cöepiscopos nostros, qui prædicto Concilio in»terfuerunt, scripta direxi ... ut et fraternitas universa, et omnium Fi»delium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam »exequuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium »propriam vobiscum iniisse sententiam in sola videlicet fidei causa." Hinc est etiam, ut in epistola ad Maximum Episcopum Antiochenum (d) se rescindere declaraverit, quod ad fidem non spectans etiam a suis Legatis in Synodo definitum fuerat. Patres vero in sua *Relatione* ad Leonem non erat, cur ab eo quærerent confirmationem illius definitionis fidei, quam ediderant: in ea enim et quod Leo antea declaraverat, sequuti fuerant (e), et Legatos sibi consentientes habuerant; eumdem tamen rogarunt, ut confirmare dignaretur eas prærogativas, quas Sedi Constantinopolitanæ ipsi detulerant. Hoc vero est, quod Leo se præstare velle, recusavit (f).

Ad 4. dico, esse undequaque perspectum Synodum Œcumenicam VI. vere, et proprie a Summo Pontifice confirmatam fuisse. Peracta itaque Synodo, Patres miserunt *Synodicam Relationem* ad Agathonem Summum Pontificem, in qua ab eodem petierunt, ut iterum confirmaret, quæ a se decreta erant (g): »Orthodoxæ autem fidei (inquiebant) splendidam

(a) *Hæc omnia collect. Concil. edit. Venet. tom. 3. colum.* 1147. *et seqq.*

(b) *Epist. 73. juxta edit. Cacciarii.*

(c) *Juxta eamdem edit. epist.* 89.

(d) *Juxta eamdem edit. epist.* 94.

(e) *Collect. Concil. edit. Venet. tom.* 4. *colum.* 1775.

(f) *Vide epis.* 79. &c. 81. 89. *S. Leonis juxta edit. Cacciarii.*

(g) *Collect. concil. edit. Venet. tom.* 7. *colum.* 1109.

»lucem vobiscum clare prædicavimus: quam ut iterum per honorabilia »vestra scripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem." Iterum, inquam, confirmaret: nam Agatho in litteris ad Imperatorem datis significavit (a), quæ a se una cum Synodo Romana definita erant, *ut certa, atque immutabilia compendiosa definitione* proferre deberent Constantinopolitani Patres, atque jam ex illo tempore declaravit, *ut consacerdotes, ut comministros ejusdem fidei, ut spirituales fratres, ut Episcopos* se suscipere eos, qui amplecterentur, quæ ipse definisset; contra vero alios, qui id facere renuerent, *uti impios Catholicæ, atque Apostolicæ Confessioni* se habiturum. Patres vero VI. Œcumenicæ Synodi obsequuti mandatis Agathonis in sermone *Prosphonetico* ad Imperatorem certiorem illum fecerunt, se in iis, quæ decreverant, Agathonem habuisse *fautorem, et Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras.* Agathoni autem scripserunt, se recepisse litteras ejus, *ut a summo Apostolorum vertice perscriptas, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulerant.*

Contigit mors Agathonis, antequam Legati litteras Patrum illi reddere possent; tamen postea perlato nuntio Constantinopolim de inauguratione Leonis II. ad Summum Pontificatum, Constantinus epistola ad ipsum data, deferenda per Legatos, eumdem rogavit, ut confirmaret, quæ in Concilio decreta fuissent. Id autem Leo II. statim præstitit his: »Idcirco (inquiens) et nos, per nostrum officium hæc veneranda Sedes »Apostolica, concorditer, et unanimiter his, quæ definita sunt ab ea »(scilicet Synodo) consentit, et B. Petri auctoritate confirmat." Præclare si tota res gesta præ oculis habeatur, nihil sane amplius ad veram, et proprie dictam confirmationem desiderari potest.

Quum ergo Patres putarent, et recte quidem, editam a se definitionem fidei jam ab Agathone confirmatam, quia in ea sequuti erant, uti *certa*, et *immutabilia*, quæ Agatho sibi præscripserat, indeque petierint, ut *iterum* confirmaret, quæ a se decreta erant; mirandum non est, si quam ediderant definitionem fidei ad quinque Sedes Patriarchales miserunt: mirandum non est, si in *Relatione* ad Agathonem dixerunt, se edidisse *omnis erroris expertem, certamque, nec fallentem definitionem, quia ipsum habuerunt fautorem, et Divini mysterii Sacramentum illustrantem per litteras*: mirandum non est denique, si Imperator quod auctoritate Agathonis editum erat a Patribus, promulgavit, antequam alia confirmatio superaccederet.

Ad 5. respondeo, Patres Synodi Œcumenicæ VII. eorum, quæ decreverant, confirmationem ab Adriano I. non petisse, quia lectis in Synodo litteris Adriani tum ad Imperatorem, tum ad Tarasium Patriarcham, quas Legati detulerant; Synodus universa clamavit: *tota Sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat*, atque Patres in suis subscriptionibus se credere plerumque professi fuerunt, *sicut ho-*

(a) *Cit. tomo colum* 1714. *et seqq.*
(b) *Collect. concil. ejusdem edit. tom.* 4. *colum.* 1151.

norabiles litteræ Sanctissimi Papæ continent (a). Quæ autem ad hanc normam in Synodis Œcumenicis decernuntur, simpliciter non egent nova confirmatione; simpliciter, inquam, non egent: nam hujusmodi confirmatio quandoque requiritur, ut contra malignantes magis semper perspectum esse possit, Synodum non deflexisse a regulis Apostolicæ Sedis. Ceterum Adrianus I. in epist. ad Carolum Magnum (b) attestatur, et Synodum habitam fuisse *secundum suam ordinationem*, et se illam suscipere. Affirmat etiam in eadem epistola, se pro confirmatione ejus nullum adhuc responsum dedisse Imperatori Græcorum. Cujus rei inter alias hæc causa fuit, quia Patriarcha Constantinopolitanus nomen *Episcopi universalis* retinebat.

Ad 6. dico, Patres hujus Synodi, ea peracta, epistolam dedisse ad Adrianum II., in qua præter alia illud commemorant, Deum (c) per *solertiam ejus*, *interventionem et judicium*, *seu Synodicam expositionem tam magnam*, *et universalem Synodum congregare*, dignatum fuisse, *et tantum opus ad finem prosperum perducere*. Ea propter, ut quæ in Concilio decreverant, confirmare dignetur, hisce eum verbis rogant: »Igitur libenter oppido, et gratanter imitatrice Dei Sanctitate vestra, »omnium nostrum conventuum, et universalis hujus, atque Catholicæ »Synodi consensum, et consonantiam recipiente, prædica eam magis, »ac veluti propriam, sollicitius confirma coangelicis præceptionibus, et »admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum »etiam aliis universis Ecclesiis personet." Adrianum autem II. præstitisse quod Patres ab eo petierunt, ex illa responsione patet, quam dedit ad epistolam ab Imperatore sibi missam (d). Nihil autem ab ipso sensu verborum magis abhorret, quam ut Patres propter ea: *prædica eam magis*, loquuti intelligantur *de Conciliarium decretorum promulgatione*, *atque exequutione*. Nam Patres in arbitrio Adriani reponunt recipere consonantiam Synodi, atque istam ideo coangelicis præceptionibus ejus confirmari rogant, ut per hujusmodi sapientissimum magisterium personet universis Ecclesiis.

Prop. II. Ecclesiæ valde utile est, atque etiam regimini politico salutare, ut Imperatores decreta Synodorum Œcumenicarum corroborent ea confirmatione, quæ ad eorumdem exequutionem spectat.

Prob. prop. Hanc non esse veram, et proprie dictam confirmationem, sed per quamdam similitudinem, supra monuimus. Nunc quod volumus. In Synodi Œcumenicæ decretis, quæ Summi Pontificis auctoritate confirmata fuerint, inest quidem omnis auctoritas, quæ in legibus Ecclesiasticis desiderari potest, quum sint illorum communi judicio constituta, quos posuit Deus Ecclesiam suam regere, ejusque etiam sanctione comprobata, quem Christus universæ Ecclesiæ jurisdictionis au-

(a) *Tom. X. collect. Concil. edition. Venet. colum.* 674. *et seqq.*
(b) *Collect. concil. ejusdem edit. tom.* 3. *colum.* 774. *et seqq.*
(c) *Cit. tomo.*
(d) *Tom. VIII. collet. Concil. edit. Ven. colum.* 679.

ctoritate munitum præfecit. Quum tamen non desint, immo vero plerumque sint longe plures, qui non amore justitiæ, sed potissimum metu pœnarum temporalium ad servandas leges semel constitutas adigantur; ideo est Ecclesiæ valde utile, ut sua Imperatores auctoritate utantur ad exequutionem eorum, quæ in Synodis Œcumenicis sancita fuerint.

Est id utile etiam regimini politico: nam ad imperii felicitatem quam maxime conducit, ut serventur, quæ sunt graviora ceteris, atque ad religionem spectant. Hoc enim si non habeatur, præter alia mala, etiam legum civilium contemptus facile consequitur. Nam semel admissa facinora ad alia saltem ejusdem generis perpetranda homines non tardiores, sed alacriores faciunt: semel contempta auctoritate unius potestatis, ad contemnendam auctoritatem alterius quoque potestatis facilius devenitur.

Prop. III. Hoc genus confirmationis et Patres in Conciliis ab Imperatoribus petierunt, et Imperatores superaddidere semel editis decretis.

Prop. prop. Quum Nicæni Patres Constantino retulissent, quæ a se decreta fuerant, ea Constantinus *magna cum reverentia* excepit, et lata lege, comminatione pœnarum gravissimarum communivit, sicut Gelasius Cizycenus in *Hist. Concil. Nicæn.* lib. 2. cap. 26. tradit. Synodi Œcumenicæ II. Patres et Imperatorem certiorem faciunt de iis, quæ ipsi decreverant, et simul eumdem rogant, ut illorum sua auctoritate *finem obsignet* (a). Simili ratione Patres Synodi Œcumenicæ III. dum Imperatori significant, se in Actione I. damnasse Nestorium, simul illum rogant, ut universam doctrinam Nestorii a sanctissimis Ecclesiis sua auctoritate amoveri faciat, et comburi libros ubique locorum repertos (b). Ita rogantibus Patribus Synodi Œcumenicæ IV., Marcianus jussit »ut »in futurum a prohibitis omnes abstineant, nec conventicula colligant »super religione certantes: quia in hujusmodi perversitate, et vanitate »detecti et statutas dudum suscipient pœnas, et judiciario motu, prout »religiosis temporibus convenit, punientur." (c) At non est, cur alia nunc hac de re percurramus; suam enim Imperatores potestatem in id contulisse, ut decreta Synodorum exequutioni mandarentur, ex ipsis Actis est omnino compertum.

Prop. IV. Decretorum Synodi Œcumenicæ confirmatio, quæ in assensione quadam consistit, ab Episcopis singulariter haberi potest.

Prob. prop. Hoc ergo genus confirmationis spectare ab subditos, dum quod debent, præstant obsequium obedientiæ, et latissimo quodam modo confirmationem vocari posse, jam animadvertimus. Est igitur præcipue Episcoporum hoc genere confirmationis Synodi quoque Œcumenicæ decreta roborare, quoniam ipsi uti doctores Ecclesiæ publice profiteri debent, et suis ovibus manifesta facere ea decreta, quæ Ecclesia suorum Præsulum, et ipsius quoque Supremi capitis auctoritate edidit.

(a) *Collect. Concil. edition. Venetæ tom.* 2. *colum.* 1124.
(b) *Cit. edit. tom.* 3. *colum.* 1102.
(c) *Cit. tom. colum.* 1786.

Hinc Leo Imperator, sicuti apud Facundum Hermianensem *Defens. trium Capitul. Concil. Chalcedonen* lib. 12. cap. 3. legimus, curavit, ut Synodus Calcedonensis numero, auctoritate, et consensione Patrum celeberrima, subscriptione omnium Orientalium Episcoporum firmaretur. Triginta autem septem epistolæ datæ fuerant ab Episcopis in confirmationem Synodi Chalcedonensis. Episcopi quoque Hispaniarum a Leone II. quæsiti VI. Œcumenicæ Synodi decreta in Concilio Toletano XIV. cap. 3. confirmarunt (a). Qua autem ratione Leo II. Episcopos Hispaniæ monuit, ut quæ in VI. Synodo decreta fuerant, consentiendo firmarent, idem ab Episcopis Galliæ Martinus I. petiit quoad hæresim Monothelitarum, quæ in Synodo Lateranensi condemnata fuerat. Aliquando ergo ab Episcopis quæsitum fuit, ut subscriberent decretis Synodi Œcumenicæ, non quidem ad confirmationem illorum, sed ut suam de iis fidem explicite profiterentur. Quod sane dum faciebant, sicuti inquit Thomassinus *Dissert. 6. in Synod. Constantin* num. 7. *peractæ semel Synodo ceteri per orbem Episcopi suæ magis confessionis, quam approbationis, vel confirmationis testimonium subscribebant.* Inde tamen simul fiebat, ut quæ per eos posset, decretis semel editis confirmatio superaccederet.

Prop V. Decreta Synodorum provincialium superiori auctoritate probata esse debent, ut vim obligandi habeant, non vero decreta Synodi Diœcesanæ.

Prob. prop. In Synodis Provincialibus primorum Ecclesiæ seculorum hæreses recenter subortæ plerumque damnabantur, indeque factum fuit, ut illorum acta simul cum epistola Synodali ad Summum Pontificem transmitterentur, ut, accedente confirmatione primæ Sedis, quod in iisdem Synodis definitum fuerat, tamquam dogma fidei reciperetur ab omnibus. Hujus rei testimonium perhibent Carthaginensis, et Milevitani Concilii Patres, qui an. 416. post proscriptionem errorum Pelagii, atque Cælestii, quod a se gestum fuerat Innocentio I. significarunt, eum rogantes, ut sua Suprema auctoritate confirmaret, quæ a se statuta erant. Innocentius, litteris ad eosdem datis, illos plurimum commendavit, quod, sequuti vestigia majorum, Sedis Apostolicæ judicium requisivissent, confirmavitque, quod ipsi definierant. (b) Eamdem confirmationem a Zozymo Papa petierunt alia duo Africana Concilia contra Pelagianos pariter coacta, sicuti testatur S. Prosper *Cont. Collatorem* cap. 21., alias 41. Nunc autem, licet in Synodis Provincialibus de causis fidei pleramque non agitur, sed solummodo decernantur, quæ spectant ad disciplinam; tamen ut antiquæ consuetudinis vestigium aliquod remaneret, decreta illarum, antequam promulgentur, Sixtus V. jussit, transmitti ad Sacram Congregationem Concilii, non quidem ut confirmationem inde postea a Sede Apostolica recipiant, sed ut corrigatur, si quid forte minus congrue sancitum occurrat (c). Id autem quoad plures Synodos

(a) *Collect. Concil. edition. Venetæ tom. 7. colum.* 1490.
(b) *Vide Constantium* Epist. Rom. Pont. *colum.* 889. *et* 896.
(c) *Vide Constitut.* 117.

LIBRARY

Provinciales, easque diversarum regionum servatum fuisse, pluribus exemplis demonstrari a nobis posset, si res ipsa postularet (a).

Constitutiones autem Synodi Diœcesanæ, iis semel editis, statim ab Episcopis publicari possunt, quin ulla ipsi obligatione obstringantur mittendi illas ad Sacram Congregationem Concilii, atque expectandi judicium ejus. Hinc advertit Benedictus XIV. (b) ad quoddam singulare obsequium erga sedem Apostolicam referri oportere, si quando nonnulli Episcopi ab ea judicium expetierunt de suis Synodalibus decretis. Nam si jus commune spectemus, Episcopus liberam facultatem habet promulgandi eas leges, quas opportunas esse duxerit ad administrationem suæ diœcesis. Ex his vero constat de varitate utriusque partis nostræ propositionis, illudque tantum superaddimus, quæ diximus de Synodis Provincialibus, accommodari posse etiam ad Synodos Nationales.

CAPUT QUINTUM.

De firmitate illorum argumentorum, quæ desumuntur ex Synodalibus decretis.

Iis semel explicatis, quæ spectant ad jus tum convocandi Synodos, tum iisdem præsidendi, tum etiam illarum decreta confirmandi (quæ sane tria antea explicanda erant, ut de auctoritate illarum constare posset), nunc videndum est, qua ratione ex definitionibus, et decretis Conciliorum sua argumenta Theologus depromere possit, et quamnam illa auctoritatem in tota re Theologica habeant.

Quia vero tum definitiones, tum decreta Conciliorum (idem quoque dici potest de sanctionibus Summorum Pontificum) non semper sunt judicia fidei, tum quia multa eorum spectant ad Ecclesiæ disciplinam, tum quia aliquando simul eum eis quædam admiscentur, quæ explicandi gratia superadduntur; nunc statuendum, quibus notis Conciliorum de fide judicia internosci possint. Prima nota est; si habeantur pro hæreticis, qui definitionibus contradixerint: altera; si in hanc formam decreta edita fuerint: qui contra senserit, anathema sit, aut ipso jure sit excommunicatus: tertio; si quod definitur, atque decernitur, expresse, et proprie credendum proponatur omnibus, aut sicuti dogma Catholicæ religionis suscipiendum statuatur. »Porro (ut cum Cano prosequar *De Locis Theo-*»*log.* lib 5. cap. 5.) quæ in Conciliorum, vel Pontificum decretis vel »explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam »obiter, et in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat po»tissimum controversia; ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt »Catholicæ fidei judicia."

Prop. I. Synodus Œcumenica confirmata potestate Summi Pontificis

(a) *Vide Bened. XIV.* De Syn. Diœces. *lib.* 13. *cap.* 3. *num.* 3. *et seqq.*

(b) *In cit. Opere et cap. num.* 6. *et seq.*

est infallibilis auctoritatis, indeque quæ exiis vel quoad fidem, vel quoad mores argumenta depromuntur, sunt omnino certa.

Prob. prop. Synodus Œcumenica Summi Pontificis confirmata potestate eam omnem auctoritatem continet, quæ in ipsa Ecclesia adinveniri omnium maxima potest: ergo infallibilis auctoritatis esse debet. Prob. ant. In Synodo Œcumenica ad decernendum de fide, et moribus simul in unum ex toto ferme orbe Catholico ii conveniunt, quibus divinitus datum est pascere gregem, et regere Ecclesiam Dei, quæque ab iisdem definita, et constituta fuerint, comprobantur auctoritate ejus, quem totius Ecclesiæ fundamentum posuit Christus, quem voluit, ut in fide confirmaret fratres, indeque Deum singulariter rogavit, ne deficeret fides illius, cui præcepit, ut pasceret omnes agnos, atque oves: manifestum ergo est, in Synodo Œcumenica Summi Pontificis confirmata potestate eam omnem auctoritatem contineri, quæ in ipsa Ecclesia adinveniri omnium maxima potest. Ex hoc autem consequi, infallibilem esse debere auctoritatem ejus, tam manifestum, est quam quod maxime. Nam semel ac id non admittatur, tunc sane nulla alia via reliqua erit, qua nobis de dogmatibus fidei, et morum certo compertum esse possit, quia semel rejecta certitudine ab eo judicio, quod ab universæ Ecclesiæ Præsulibus simul in unum in Spiritu Sancto congregatis, et a supremo totius Ecclesiæ capite proficiscitur; nullum sane tribunal in Ecclesiastica Hierarchia superest, cui certitudo adjudicari possit. Erit vero inde consequens, ut Ecclesia non sit columna, et firmamentum veritatis, ut labi, atque in errore versarii possit, ut nullum certum judicium habeat, quod sequatur. Nam Sacræ litteræ, quas Lutherani in Conciliis volunt sustinere personam judicis, id muneris exercere nullo modo possunt: quandoquidem non a lege, judice profecto mortuo, judicium expectari potest, sed ab eo tantum æquo jure expectandum est, qui promit, decernit, statuitque quid juxta legem sentiendum, tenendum, faciendumque sit. Ex hisce vero omnibus constat, certa esse argumenta, quæ quoad fidem, vel mores depromuntur ex decretis Synodorum Œcumenicarum.

Dices. Quemadmodum *Matt.* 26. 3. *et seq.* legimus, congregati principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum, consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent: atqui hoc in Concilio Sacerdotes Judaicæ legis, atque ipse Summus Sacerdos in re omnium gravissima erravit: ergo etiam in Nova lege idem contingere potest.

R. Nego conseq., et paritatem. Tunc enim temporis, sicuti animadvertit S. Joannes Chrysostomus in *Matt. Homil.* 79., alias 80., num 3., dum id expendit, quod in hoc Concilio Pontifices, et sacerdotes simul cum Caipha decreverunt, *Judaica jam dissolvi cœperunt*, indeque mirandum non est, si Caiphas, qui erat Pontifex anni illius, hæc habuit ad eos, qui simul in unum convenerant, sicuti apud *Joannem* 11. 50. legimus: »Expedit vobis, ut unus moriatur pro populo, et non tota gens »pereat." Quod sane, sicuti Evangelista superaddit, v. 51. »A semetipso »non dixit, sed, quum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod

»Jesus moriturus erat pro gente: et non tantum pro gente, sed ut filios »Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum." Hinc de Synagoga nusquam scriptum legimus, eam esse columnam, et firmamentum veritatis, vel numquam esse futurum, ut portæ inferi prævalerent adversus eam, neque Summis Pontificibus legis Veteris promissum, ut fides illorum nunquam deficeret. Quare quæ Sacerdotibus legis Veteris etiam simul unitis contigerunt, Sacerdotibus Novæ legis nullo modo accomodari possunt.

C. Eadem ratio haberi debet Sacerdotum tum Veteris, tum Novæ legis: ergo. Prob. ant. Non constat ex aliqua promissione divina, Novæ legis Sacerdotibus, etiam primi ordinis, quales sunt Episcopi, in unum simul congregatis adesse spiritum veritatis, ac propterea in suis definitionibus falli non posse: et quamvis de hac divina promissione constaret, semper tamen haberi debet eadem ratio Sacerdotum tum Novæ, tum Veteris legis: quod ita ostendo. Deus aliquando, sicuti *Malachiæ* cap. 2. legitur, pactum cum Levi iniit, quod in eo positum erat, ut lex veritatis esset in ore ejus, et iniquitas non inveniretur in labiis illius, atque ab ejusdem ore requireretur lex: hoc autem pactum irritum evasisse, Dominus dolet, quia posteri Levi a recta via recesserunt, multosque scandalizaverunt in lege: igitur pactum cum tribu sacerdotali semel initum, culpa posterorum irritum evasit: ergo ad eumdem modum nunc in Ecclesia culpa posterorum irritum evadere potest illud pactum, quod Christus iniit cum Apostolis.

R. Jam constare ex iis, quæ supra disseruimus, quæ Petro promissa fuerunt, ejus quoque successoribus promissa fuisse, itemque quæ Christus promisit Apostolis, promissa ab eodem Christo fuisse etiam successoribus eorum, quum spoponderit, se futurum cum illis omnibus diebus usque ad consumationem seculi: demum Ecclesiæ fidem deficere non posse, et propterea nunquam futurum, ut portæ inferi adversus eam prævalerent. Quæ sane omnia id ostendunt in lege Evangelica non singulari homini, aut nationi spiritum veritatis promissum fuisse, sed universæ Ecclesiæ, ac proinde iis, cujusvis tandem essent familiæ, aut nationis, quibus datum foret regere Ecclesiam Dei. In decretis vero Synodorum Œcumenicarum non solum intervenit judicium illorum, qui in orbe Catholico dispersi Ecclesias singulares regunt, sed etiam illius, cui supremam curam totius Ecclesiæ Christus commisit. Ratio ergo promissionum, quæ factæ fuerunt in favorem Synagogæ, omnino diversa est a ratione promissionum, quæ factæ fuerunt in favorem Ecclesiæ, cujus ipse Christus, Deus et homo, dicitur, atque revera est, caput.

C. Ipsa experientia novimus, culpa posterorum sæpius irritum evasisse illud pactum, quod Christus cum Apostolis semel iniit: ergo. Prob. ant. Patres Concilii Ariminensis Arrio adhæsisse, novimus; Ephesini II. falso dogmati Eutychetis: in Synodo Constantinensi sancitum fuit, Concilium esse supra Papam, contra ac in aliis Synodis Œcumenicis legimus constitutum. Plures quoque fuerunt errores aliorum, tum præcedentium, tum subsequentium Conciliorum: dubitari ergo non potest, quin cul-

pa posterorum prædictum pactum quandoque irritum evaserit.

R. Hæc omnia, et alia his similia, quæ in medium afferri possent, non obesse veritati, quam modo propugnamus: nam nos tuemur, esse infallibilis auctoritatis eas Synodos Œcumenicas, quas auctoritate Summi Pontificis, utpote supremi universæ Ecclesiæ capitis, confirmatas esse constiterit. Hoc est enim maximum, atque præcipuum omnium, et istud semel ac habeatur, etiam suppletum censetur, si quidpiam de jure convocandi Synodos, eisdem præsidendi detractum esse videatur. Quamvis ergo demus, Patres Concilii Ariminensis metu perterrefactos in id consensisse, quod nullo modo probare poterant, tamen simul tuemur nullo modo dici posse, eos in hæresim incidisse, sicuti ex S. Hieronymo in *Dialogo Adversus Luciferianos*, et ex Severo Sulpitio *Hist. Sac.* lib. 2., facile a nobis ostendi posset, si id nostri instituti ratio pateretur. Tamen quidvis tandem subscriptione firmaverint, illud nunquam a Sede Apostolica confirmatum fuit, sed omnino reprobatum, utpote profectum alla ciditate Arrianorum, qui usi opera Constantii Imperatoris nihil eorum, quæ in rem suam facere possent, intentatum reliquerunt.

De Synodo Ephesina II., quæ *Prædatoria* vulgo dicitur, non est, cur disseramus: in ea enim, agente Dioscoro, et lata fuit sententia depositionis contra Flavianum, et absolutus Eutyches, quem jam antea Patres in Constantinopolitana, et iterum postea in Synodo Chalcedonensi a Catholica communione separarunt.

Patres Constantienses ad tempus schismatis respexere, dum in decreto Sess. V. Summum Pontificem judicio Synodi subjacere statuerunt. Id constat etiam ex iis, quæ in Sessione VI. disputata fuisse, legimus. Longum sane esset, id nunc persequi velle (a). Deinde decretum Sess. V. neque ab ipsa Synodo, uti Œcumenica, prodiit, neque a Summo Pontifice postea confirmatum fuit (b).

Dices II. S. Greg. Nazian. in epist. ad Procopium affirmat, se *omnem Episcoporum conventum fugere*, *quoniam nullius Concilii finem lætum, et faustum vidit*: igitur auctore Nazianzeno, Conciliis nullo modo tribui potest infallibilitas.

R. neg. cons. Quum S. Gregorius vocatus esset, ad quoddam Constantinopolitanum Concilium, dixit se abhorrere ab Episcoporum Conciliis, quia illorum finem lætum, atque faustum nunquam vidisset. Verum nec de Conciliis Œcumenicis ipse loquitur (Nicænum enim pluries summis laudibus prosequutus fuerat) nec genetatim de omnibus aliis Conciliis, sed de iis, quæ sub Constantio Imperatore celebrata fuerant, in quibus præter alia mala nullus locus remanserat libertati suffragiorum.

C. S. Augustinus lib. 2. *Cont. Maximinum* cap. 14. num. 3. ita habet: »Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tamquam »præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu

(a) Hac de re disseruimus *De Jure, et Legum Discipl. lib. 4. cap. 4.*
(b) *Cit. loco* §. 11.

»illius detineris." Lib. 2. *De Baptis.* num. 4. ait, Concilia plenaria priora sæpe emendari posterioribus. S. Leo epist. 80. ad Pulcheriam Augustam (a) num. 3. Chalcedonenses Præsules reprehendit ob jura, quæ contra decreta Concilii Nicæni Anatolio tribuerunt. Ex his vero constat, Synodis quoque Œcumenicis infallibilitatem tribui non debere.

R. Hoc loco S. Augustinum contra Maximinum illud primo urgere, vocem Homousion primo contra Arrianos firmatam in Nicæno Concilio, deindè in Ariminensi sublatam *propter novitatem verbi minus quam oportuit intellectum*,.... *sed post non longum tempus*, *libertate fidei Catholicæ prævalente*, *longe*, *lateque defensam.* Quia vero Maximinus, Concilii Ariminensis auctoritati inhærendum esse contendebat; ideo Augustinus, ut ab hac tunc quæstione supersederet, ad Sacras scripturas illum provocat, iisque Filii consubstantialitatem cum Patre ostendendam aggreditur; indeque affirmat, nec a se Nicæni, nec a Maximino Concilii Ariminensis auctoritatem attendi debere.

Plenaria autem Concilia priora sæpe emendari posterioribus, affirmat quidem S. Augustinus, verum quando *aliquo experimento rerum aperitur*, *quod clausum erat*, *et cognoscitur*, *quod latebat.* Id autem contingit non eorum, quæ spectant ad fidem, vel mores, habita ratione, sed aliorum, quæ versantur circa aliquod factum, aut spectant ad disciplinam.

S. Leo in epistola ad Pulcheriam dolet, Anatolium, contradicentibus Legatis Apostolicæ Sedis, atque etiam contra Canones Nicænos jura Episcoporum invadere conatum esse, indeque extorquere contendisse subscriptionem Episcoporum. Hoc ergo est, in quo S. Leo tum Anatolium, tum Patres Chalcedonenses reprehendit, eorumdem propterea hac de re decretum esse irritum, declaravit.

Prop. II. Synodi Diœcesanæ, Provinciales, atque Nationales non sunt divinæ auctoritatis, ac propterea non infallibile, sed valde probabile argumentum ducitur ex decretis illarum ad comprobanda dogmata fidei, vel morum.

Prob. prop. prior pars. Hujusmodi namque Synodi non repræsentant universam Ecclesiam, sed solummodo Ecclesias particulares, quibus infallibilitatem promissam fuisse, nunquam legimus: immo vero ipsa experientia compertum habemus, quandoque a vera fide defecisse.

Prob. altera pars. Innumeræ pene hujusmodi Synodi in Ecclesia habitæ fuerunt: ex iis tamen valde paucas a semita veritatis deviasse, omnino compertum habemus: si ergo hujusmodi Synodi, sicuti animadvertit etiam Canus lib. 5. *De Locis Theolog.* cap. 5. »Rectam fidem ut »plurimum tenent, raro deficiunt, probabilissimum sine dubio est, quod »ex id genus Conciliis argumentum promitur."

Prop. III. Synodi Diœcesanæ, Provinciales, et Nationales semel ac in decretis fidei, aut morum a Summo Pontifice confirmatæ fuerint, in-

(a) *Juxta edit. Cacciarii.*

fallibilem auctoritatem in se habent, adeoque firmissima argumenta ex eis depromuntur.

Prob. prop. Semel ac enim harum decretis Summi Pontificis confirmatio superaccedat, id superaccedit, quod a culmine totius Ecclesiasticæ auctoritatis proficiscitur, ac propterea illam, quam non habebant, omnimodam firmitatem, et certitudinem acquirunt. S. Hinc Augustinus, judicium contra Pelagianos tunc finitum esse, dixit, quando Innocentius confirmavit, quæ contra illos in duobus Conciliis antea definita fuerant: »Jam enim (inquit S. Doctor *Serm.* 132. num. 2., alias *Serm.* 2. *De »Verbis Apostoli*) de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apo»stolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam ali»quando finiatur error." Lib. autem 2. *Cont. duas. epistolas Pelagionorum* num. 5. litteris Beatæ memoriæ Innocentii *totam dubitationem* sublatam fuisse, affirmat. Mens ergo Augustini fuit, decretis Conciliorum omnem firmitatem, atque certitudinem superaccedere, semel ac ea supremi totius Ecclesiæ Præsulis auctoritate fuerint confirmata. Unde etiam lib. 2. *Operis Imperf. cont. Julianum* num. 103. Quid adhuc quæris examen (inquit) quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? »S. Pro»sper *Contr. Collatorem* cap. 21., alias 41. Tunc (inquit) istorum machi»næ fractæ sunt.... quando Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris »capita Apostolico mucrone percussit.... quando Africanorum Conciliorum »decretis Beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adne»xuit." Recte ergo Thomassinus *Dissert.* 9. in *Concil. Carthag. et Milevit.* num. 1: animadvertit, Synodos Provinciales, semel ac a Sede Apostolica confirmatæ fuerint. »Tunc in auctoritatis summum culmen eas re»cipi, nec posse ab eis citra hæreseos discrimen provocari."

Prop. IV. Decreta Synodi Provincialis modo retinent eam tantum auctoritatem, quam habent in se ipsis, licet a Sede Apostolica approbata fuerint.

Prob. prop. Hodie namque, atque etiam ab aliquo hinc tempore, in hujusmodi Synodis de causis fidei agi non consuevit, sed plerumque de iis, quæ spectant ad disciplinam; indeque est, ut approbatio Summi Pontificis non attingat definitiones fidei. Sixtus V. in sua Constitutione 117., decreta, edita in Synodis Provincialibus, antequam promulgentur, ad Sac. Congregat. Concilii transmittenda esse statuit, non quidem ut postea ab Apostolica Sede confirmationem reciperent, sed ut corrigerentur, si quid in iis aut regulis canonicis minus consonum, aut regimini populorum minus conveniens deprehenderetur, sicuti jam monuimus. Decreta Synodorum Provincialium Valentinæ ann. 1565., Toletanæ 1582., Mexicanæ ann. 1585. semel subjecta examini Sac. Congreg. Concilii emendata leguntur in *Collect. Concil. Hispaniæ* Cardinalis de Aguirre tom. 4.; Alia sequentium sæculorum simili modo examinata, atque probata ab eadem Sac. Congregatione Benedictus XIV. De Synodo Diœces. lib. 3. cap. 3. num. 3. et seqq. commemorat.

Quamvis autem, adhibito examine, decreta horum Conciliorum a Sede Apostolica probentur, ac etiam confirmationem recipiant; tamen inde

non sequitur, ut vis obligandi, quam habent, præter eam provinciam, in qua eadem decreta condita sunt, etiam ad alias provincias extendatur, Quandoquidem sicut advertit Fagnanus in Cap. *Canonum Statuta* num. 13. *De Constitutionibus*, et post ipsum Benedictus XIV. in citato loco. »Confirmatio, nisi aliud in litteris sit expressum, dat robur, sed non extendit actum confirmatum.... Unde (prosequitur Fagnanus) Concilia Provincialia Mediolanensia, quamvis fuerint confirmata per litteras in forma brevis, receptum est ut vim obligandi non habeant extra illam provinciam."

Non est tamen habenda eadem ratio decretorum Synodi Provincialis, semel ac illa corpori Juris inserta fuerint: tunc enim ea auctoritas iisdem superaccedit, quam constitutiones generales ex sui natura in se habent, atque obligandi vim continent, quæ extenditur ad omnes.

Ex his vero constat, qua ratione Theologus auctoritate decretorum hujusmodi Synodorum Provincialium uti possit: nam si ea inserta sint corpori Juris; tunc in sua argumentatione loco cujusdam generalis constitutionis illa habere poterit: si vero non sint inserta; tunc oportet, ut habeat loco cujusdam legis particularis, quæ afficit regionem, in qua edita fuerint, licet a Sede Apostolica probata sit. Est tamen advertendum, quemadmodum negari a nemine potest, talia decreta magni fieri debere etiam apud alias provincias, ac propterea Theologum auctoritatem illorum recte urgere posse, etiam dum rem habet cum aliis provinciis, atque nationibus, seu dum generatim disputat de iis, quæ disciplinam respiciunt (a).

LIBER SEXTUS

De Auctoritate SS. Patrum.

Opera Patrum cujusdam uberioris promptuarii loco haberi debent, ex quo Theologi recte depromunt sua argumenta in confirmationem eorum, de quibus agere sibi proposuerunt. Novatores nihil intentatum reliquere, ut hujus loci auctoritatem, vel omnino e medio tollerent, vel saltem valde minuerent. Tribus potissimum ex capitibus id adstruere contenderunt: 1. quia non satis constat, quænam sint vera, et genuina opera Patrum, quænam autem non sint: 2. quia licet hac de re constaret, tamen quam sæpissime valde difficile est, ut in eorum operibus verum sensum assequamur, aut saltem certo cognoscamus, quænam ipsi habuerint loco quorumdam dogmatum fidei, quæ vero non habuerint: 3. quia quæcumque tandem sint loca Patrum, sive ea distincte, et singulariter, sive generatim, atque simul accipiantur, humani testimonii auctoritatem non excedunt. Ad hæc tria rediguntur ea omnia, quæ opponunt, tum Rivetus in Tractatu *De Auctorit. Patrum*, tum Dallæus in utroque lib. *De*

(a) Legantur, quæ *De Romano Pontifice* disseruimus in Opere *de Jure, et Leg. Discipl.* lib. 21. et seqq.

Vero Patrum Usu, tum Samuel Basnagius *Dissert.* 9. in fine seculi 2. Tribus ergo capitibus, ut omnibus objectionibus occurramus, rem istam totam nos expediemus: in 1. disputabimus de ea certitudine, quam habemus de genuinis operibus Sanctorum Patrum: in 2. de sensu, quem verum quidem, et secundum mentem illorum, ex iisdem operibus eruere possumus: 3. De ea auctoritate, quam in se habent, quæ in ipsis tradita accepimus. Quartum caput hisce tribus adiiciemus, atque illud erit de auctoritate Sacrarum Liturgiarum.

CAPUT PRIMUM.

De ea certitudine, qua constat de Operibus SS. Patrum.

Moralem quidem certitudinem hac in re exquirere possumus, physicam autem nullo modo debemus, quemadmodum unicuique manifestum est. Unde constat quam præter omnem rationem Rivetus in Tract. *De Auctorit. Patrum* cap. 8. inde quoque Opera illorum in dubium revocat, quia desiderantur autographa. Vulgo tamen Novatores, nulla diversæ certitudinis habita ratione, absolute pronuntiant, non cónstare de Operibus genuinis SS. Patrum, ut etiam ex hoc capite contra nos evincant, ex scriptis illorum nihil colligi posse, quod certam auctoritatem habeat. Nunc ergo contra eos ostendemus, de nulla re minus dubitari posse, quam de genuinis operibus Sanctorum Patrum, et quidem aut prorsus omnibus, aut fere omnibus cujuscumque Sancti Patris, aut pene omnium Sanctorum Patrum.

Prop. Opera SS. Patrum universe, et generatim dubia esse, contra omnem historiæ regulam ad arbitrium contingitur.

Prob. prop. A nemine dubitari potest, a primis usque temporibus Ecclesiæ in Sacris Conventibus legi consuevisse non solum libros Veteris, et Novi Testamenti, sed etiam epistolas Summorum Pontificum, opuscula Orthodoxorum Patrum, et gesta Sanctorum Martyrum (a). »Quæ vero »Lectiones (inquit Cardinalis Bona *De Div. Psalmod.* cap. 16. §. 14.) »ad præscriptum Sacrorum canonum legi debeant, docet Rodulphus Tun»grensis, ut nulla scilicet apocrypha historia, nulla profana novitas in»troducatur: verum, ut præcepit Monachorum Magister (b), codices le»gantur in vigiliis tam Veteris, quam Novi Testamenti divinæ auctorita»tis, et expositiones eorum, quæ a nominatissimis doctoribus orthodoxis, »et Catholicis Patribus factæ sunt." Illud quoque idem Auctor advertit (c), inter errores Agobardi Episcopi Lugdunensis illum non minimum fuisse, in Divinis Officiis solam Divinam Scripturam legi oportere S. Hieronymus in lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* testatur, S. Polycarpi

(a) *Consulatur Cardinal. Bona De Div. Psalm. cap.* 16. §. 14., *et Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 6.

(b) *S. Benedictus Regulæ cap.* 9.

(c) *De Div. Psalmod. cap.* 16. *num*, 2.

Epistolam in Ecclesiasticis Asiæ Conventibus legi consuevisse, atque ex S. Gregorio Magno in epist. 24., alias 22. ad Joan. Syracusanum lib. 12. Indict. 5. novimus, ipso adhuc vivente, Opera ejus Ravennæ in Ecclesia, mandante Episcopo, in vigiliis Martyrum publice legi consuevisse. Hæc autem consuetudo legendi in Sacris Conventibus non solum divinas litteras, sed etiam epistolas Romanorum Pontificum, Acta Martyrum, et monumenta Patrum non in una tantum, aut altera Ecclesia, sed in plerisque jam ab antiquissimis temporibus servata fuit (a).

Post prima vero secula in Conventibus, qui celebrarentur omnium a viris Ecclesiasticis habiti fuerunt, hoc est, in Synodis tam Provincialibus, aut Nationalibus, quam Œcumenicis, post Sacras litteras, scripta Patrum illa sane fuerunt, ad quæ, veluti ad lydium lapidem, Præsules in suis definitionibus respexerunt, atque quid antea sensissent ii doctores, qui se præcesserant, diligentissime exquisiere. Hujus rei testimonium amplissimum occurrit in pluribus Conciliis Œcumenicis, in quibus loca Patrum, habita ratione doctrinæ, de qua agebatur, in medium allata fuere, lectaque coram omnibus, ut ex iis congregati Præsules viderent, quid ab iis statuendum esset.

Ad hæc omnia illud quoque accedit, ut Patres sequentium seculorum nunquam desierint lustrare opera Patrum antiquorum, et opera tam istorum, tum illorum semper omni ætate habuerint in suis manibus viri de litteraria Theologica facultate optime meriti.

Tandem multorum cura fuit, inter quos Sapientissimi Maurini Patres ceteris omnibus præcellunt, Patrum diversas editiones diligentius consulere, antiquiores codices bibliothecarum celebriorum expendere, severiores critices regulas omnes adhibere, nihilque intentatum relinquere, ut constare posset, sicuti revera nunc constat, quænam Opera Patrum inter genuina referri, et in ipsis genuinis, quidnam corruptum, aut superadditum, vel subtractum foret, quænam item opera inter apocrypha amandari, quænam vero certi, quænam essent incerti auctoris, quænam demum, licet incerti auctoris, plurimum auctoritatis in se habeant, quænam vero nihil, immo cum summa cautione legenda ob errores interspersos.

Modo ergo paucis. Moraliter fieri nulla ratione potest, ut ea scripta omnino corrupta, atque vitiata fuerint, quæ, statim ac in lucem prodiere, in magno usu apud viros gravissimos, et quidem rei gravissimæ habita ratione, esse cœperunt: sed talia sunt scripta Patrum: ergo moraliter fieri nulla ratione potuit, ut prorsus corrumperentur. Rursus nullus suspicioni locus esse potest, ea scripta prorsus depravata fuisse, quæ sæpe, ac multum ab Ecclesiæ Præsulibus simul in unum congregatis consulta fuere, atque ad normam illorum suum judicium tulere de iis, quæ ad legem Evangelicam spectabant: sed scripta Patrum sæpe consuluere Præsules simul in unum congregati, illaque habuerunt loco cujusdam regulæ, ad quam sua judicia conformarent: ergo nemo æquo jure

(a) *Legatur Martene De Antiq. Ecclesiæ Ritibus lib. 4. cap. 5.*

suspicari potest, scripta Patrum prorsus depravata fuisse. Tandem ad libidinem contra omnes regulas historiæ confingitur, ea scripta omnino esse corrupta, quæ, diligentissima facta collatione priorum editionum, et multo magis antiquiorum manuscriptorum codicum bibliothecarum celeberrimarum, maturius expensa fuerunt, et expurgata a mendis, quæ undequaque irrepserant: sed hoc sane servatum fuit in scriptis Sanctorum Patrum: ergo ad libidinem contra omnes regulas historiæ confingitur, ea omnino esse corrupta.

Dices. 1. Plura scripta Patrum priorum seculorum perierunt. 2. Quæ remanserunt, subtractione, aut additione aliquorum vitiata fuisse, ad hæc usque nostra tempora videmus. 3. Uni auctori etiam antiquitus sæpe tributa, quæ non debebant, aut non tributa, quæ debebant, nemo ignorare potest: quo sane fit, ut ista nullam certam auctoritatem habeant. Illud ergo saltem concedatur oportet, in scriptis Patrum nullam certam auctoritatem inesse.

Ad 1. respondemus, non multa quidem scripta fuisse a Patribus trium priorum Ecclesiæ seculorum, eaque non omnia, ad nos pervenisse. Verum, licet, uti modo dicebamus, scripta Patrum in magna auctoritate, atque usu semper fuerint apud viros gravissimos, cœtusque omnium præstantissimos, id mirandum non est, si advertamus et ipsius Christianæ Religionis, ac ministrorum ejus varias multiplicesque persequutiones, et calamitatem illorum temporum, quæ non ferebat, ut, ea diligentia, qua modo possent, tunc quoque eadem scripta custodirentur. Tamen nunc quoque talia, atque tam multiplicia supersunt, ut quæ fuerint dogmata fidei priorum Ecclesiæ seculorum, certo nobis ex iis perspectum esse possit, immo revera sit. Deinde qualem esse cognoscimus fidem Patrum sequentium Ecclesiæ seculorum, talem etiam Patrum priorum seculorum fuisse dicamus oportet: quia fieri non poterat, ut sine maxima perturbatione omnium Fidelium, quam tamen hujus generis nunquam fuisse comperimus, nova dogmata inducerentur, antiqua et in Ecclesia firmissima stabilita abolerentur.

Ad 2. dicimus, nec omnium Veterum opera, nec singula unius, aut alterius depravata, vel corrupta fuisse: quæ vero successione temporum hujusmodi detrimentum subierunt, jam nunc vel omni prorsus, vel saltem maxima ex parte, Patrum Maurinorum potissimum studio, atque labore, correcta sunt, suæque puritati restituta.

Ad 3. non negamus, olim plura Patribus afficta fuisse, et nunc quoque non pauca sub eorum nomine circumferri: verum etiam in hoc desiderauda non est cura illorum, qui recensuerunt Opera Patrum, et quæ illis falso tribuebantur, distinxere ab aliis, quæ Patribus, vel communi omnium consensione tribuuntur, vel esse tribuenda ostenderunt. Utuntur autem Theologi auctoritate quoque illorum, quæ sub nomine incerti auctoris circumferuntur, quatenus una et illorum, et Patrum sententia est, indeque Ecclesiæ Traditio confirmatur. Illud tamen semper advertí debet, nullo unquam tempore tot vera, et genuina Opera Patrum desiderata fuisse, quot sufficerent ad cognoscendum, quænam

nobis tradita essent divinitus, quæque propterea ad fidem spectarent. Contigit sane aliquando, ut Patres [illegible] tradiderint quæ ipsorum non erant: at id neque [illegible] malo fecerunt, [illegible] cum illorum maxima probitas [illegible], atque [illegible] sola auctoritate usi fuerunt ad fidei dogmata asserenda.

CAPUT SECUNDUM.

De ea ratione, qua constare potest, quid Patres senserint, atque tenuerint.

Pluribus propositionibus hoc totum doctrinæ caput explicavimus, ut hæreticis vias omnes præcludamus. Ajunt ergo 1. haud leviter, vel etiam nullo modo, constare posse de vera sententia Patrum: 1. propter obscuritatem, tum quia sæpe scripserunt de iis, de quibus nondum disputabatur, tum quia ipsi tenebris multa tegere curavere, dum coram Ethnicis, aut Cathecumenis de fidei mysteriis loquerentur, tum quia sæpe utuntur metaphoris, aliisque figuris, ob quas vix, aut ne vix quidem sensum illorum quispiam assequi potest: 2. propter aestum disputationis, quo sæpe abripiuntur, atque dum aliquem errorem impugnant, in contrarium impingere videntur: 3. quia Patres non in sua, sed in sententia aliorum sæpe loquuntur, in sua non semper persistunt, et num suam uti probabilem tantum, an veluti doctrinam fidei habeant, non semper constat, itemque dubium sæpe est, utrum sententia eorum Ecclesiæ singulari; an vero universali conformis sit.

Prop. I. Falsum est, nobis constare non posse de vera sententia Patrum propter obscuritatem, quæ inde inhæreat in Operibus illorum, vel quia scripserunt de iis, quæ nondum in disputationem venerant, vel quia illis sæpe res fuit cum Ethnicis, atque Cathecumenis, vel quia metaphoras, aliasque figuras quandoque adhibuere.

Prob. 1. pars prop. Quamvis negari non possit, Patres, dum agerent de iis, contra quæ nondum hæretici insurrexerant, quandoque minus securius fuisse loquutos, ita ut alicui fortasse videri possit, [illegible] ipsa ratione dicendi sibi non præcavisse ab omni suspicione erroris, tamen si sensus illorum diligentius expendatur, eruaturque, quemadmodum fieri debet, non ex una, aut altera voce, vel dicto, sed ex toto contextu orationis, ex sententiis, quas habent expressas in suis Operibus, exque aliis omnibus, quæ ad investigandam sententiam cujusvis auctoris attendi debent, fit sane unicuique compertum, quid senserint, quid docuerint, quidve ab omnibus sentiendum esse affirmaverint. Contendebat quondam Julianus contra Augustinum, stare pro se Chrysostomum, atque non admittere in pueris peccatum originale, quia in *Hom. ad Neophytos* affirmavit, baptizari infantes, *quum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas*: cui S. Augustinus

(a) *Videatur Rivetus, et Dallæus in locis supra cit.*

lib. 1. contra eumdem num. 22. illud primo reponit, non dixisse Chrysostomum: *parvulos non coinquinatos esse peccato*, sive, *peccatis*; sed *non habere peccata*, hoc est, propria. Deinde semel ac Julianus quærere velit; cur Chrysostomus non supperaddiderit hanc vocem *propria*, respondet: »quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi »arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur." Deinde vero alia loca desumpta ex aliis Operibus ejusdem S. Patris in medium adducit, quibus evincit, Chrysostomum hac in re ejusdem sententiæ fuisse, ac ceteros Patres. Quam vero rationem S. Augustinus adhibuit, dum de auctoritate Chrysostomi contra Julianum ageret, tenuit etiam, quando ostendit, Julianum abuti auctoritate Basilii, semperque in hujusmodi disputationibus hæc duo servavit, hoc est, primo ostendit ex ipso contextu, loca, quæ sibi objiciebantur, non favere suis adversariis, deinde aliis locis acceptis ab aliis Operibus eorumdem Patrum refutavit sententiam sibi adversantium. Licet ergo contigerit, Patres aliquando non omnem præcautionem adhibuisse, dum agerent de iis; quæ nondum in quæstionem venerant; tamen si non puræ voces, sed sensus verborum, atque etiam contextus expendatur, si attente inspiciatur, quid docuerint in aliis suis Operibus, semel ac alia quædam scripserint, de vero sensu illorum nullus dubitandi locus superierit.

Prob. altera pars prop. Patribus non semper res fuit cum Ethnicis, atque Catechumenis, sed etiam multa scripserunt, in quibus ad eosdem nullo modo respexere. Rem manifestam loquimur, quæ probatione non eget. Quare, uti nemo non videt, præter omnem rationem confingitur, mentem illorum nobis perspectam esse non posse, quia sæpe loquuti fuere cum Ethnicis, atque Cathecumenis, quibus mysteria fidei occultabant. Deinde etiam in iis, quæ contra Ethnicos scripserunt in defensionem Christianæ Religionis, multa disseruerunt de mysteriis Christianæ Religionis, atque non disserere non poterant, ut Christianos purgarent ab omnibus criminibus, quæ iisdem affingebantur ab Ethnicis. Ad hoc cognoscendum satis est, ut S. Justini Apologiæ legantur. Quam multa vero sunt fidei Christianæ mysteria, ut unum tantum commemorem, quæ Cathecumenis S. Cyrillus Hierosolymit. in suis Cathechesibus uberius exponit? Verum de re tam perspicua non est, cur pluribus disseramus.

Prob. tertia pars prop. Metaphoras autem, atque figuras non impedire, quin alicujus scriptoris sensum assequamur, si qui unquam maxime, Protestantes sane concedere debent, quum ipsi tueantur, sensum Sacræ Scripturæ esse unicuique obvium, quamvis metaphoræ, aliæque diversæ figuræ in ea intermixtæ sint. Ad dignoscendum quandonam in scriptis Patrum metaphoræ locus esse possit, plures regulæ præscribi consueverunt: nos aliquas tantum, et quidem principaliores, nunc commemorabimus. Primo quidem simplices loquutiones frequentius, metaphoricæ autem raro usurpantur, semperque simplicibus est locus, dum agitur de exponendis dogmatibus fidei, instituendis in Religione Christiana Cathecumenis, refellendis erroribus contra fidem, tradendis morum præceptis,

familiaribus exhortationibus adhibendis, et explicandis Divinis Scripturis. Hisce ergo muneribus dum Patres incumbunt, non utuntur metaphoris, aut eas levissime tantum attingunt, indeque fit perspectum, eorum loquendi rationem metephoricam non esse. Deinde nemo sane dixerit, eam orationem esse metaphoricam, quæ rem eandem inculcat sæpe, atque pluribus: nam repugnat loquutioni metaphoricæ, ut continua sit, alias ænigmatica foret, et ad decipiendos auditores comparata. Tandem in probandis loquutionibus metaphoricis non laborant auctores: quum enim loco simplicium loquutionum adhibeantur, et non in proprio, sed in alieno sensu veræ sint, inde est, ut sensus earum proprius comprobari non debeat. Ex hoc autem consequitur, ut non sit loquutioni metaphoricæ locus, quando Patres variis, multiplicibusque probationibus confirmant, quod dicunt.

Dices. Consentiunt omnes, quando disputatur de aliquo dogmate fidei, præcipue consulendos eos Patres, qui in defensionem illius contra hæreticos plura scripserunt. Hinc Summi Pontifices, et Concilia S. Augustini doctrinam de gratia singulariter extollunt, quia ipse plus ceteris contra oppugnatores divinæ gratiæ firmissime decertavit. Ex hoc autem saltem dubitari posse constat de auctoritate aliarum Patrum, qui scripserunt de iis, quæ nondum in quæstionem venerant.

Deinde Apologistarum Christianae Religionis tota ratio in eo versabatur, ut purgarent Christianam Religionem ab iis calumniis, quibus ab Ethnicis impetebatur: Ceterum Cathecumenis sublimiora mysteria abscondere consuevisse, nemo negaverit. Ad adstruenda ergo dogmata fidei præter omnem rationem utimur auctoritate istorum Patrum, qui tamen et primorum seculorum, et non parvo numero fuerunt.

Postremo negare nemo potest, in vertendis nonnullis locis aliquorum Scriptorum Veterum graves inter interpretes exarsisse contentiones, atque ab unoquoque ea explicata fuisse prout sibi magis arridebat. Verum ergo est, quod ex triplici prædicto capite Dallæus de obscuritate contendit.

R. ad 1. optimum quidem factu esse, ut dum de dogmate aliquo disputatur, ii Patres præcipue consulantur, qui defensionem ejus contra hæreticos singulariter susceperunt. In istis enim id, de quo disputatur, et maturius discussum, et subtilius explicatum, et uberius expensum, et profundius pertractatum occurrit. Verum Traditionem in hisce tantum Patribus sitam esse, nemo dixerit: inde autem est, ut ad adstruenda dogmata fidei æque necessaria sit auctoritas tum illorum Patrum, qui illud dogma fidei, de quo singulariter agitur, contra hæreticos prepugnarunt, tum aliorum, qui solius doctrinæ causa de eodem scripserunt. Dum priores legimus, illud quoque assequimur, ut noscamus, quæ etiam aliorum sententia fuerit: ita si legamus Augustinum in libris contra Julianum, non solum Augustini sententia de peccato originali, sed etiam aliorum Patrum, qui ipsum præcesserunt, nobis innotescit, quum ipse Augustinus certet contra Julianum etiam illorum auctoritate Patrum, qui antea in suis scriptis singulariter contra aliquem de peccato

originali non egerant. Ex his ergo constat, dum de aliquo dogmate agitur, primo loco consulendos eos Patres, qui, data occasione, illud contra aliquos singulariter propugnarunt, tamen et aliorum quoque Patrum lectionem negligendam non esse, ut de Traditione constare possit, qua una tantum de dogmatibus fidei certi sumus.

R. ad 2. etiam ex Apologistis constare de veritate plurimorum dogmatum, licet non negemus, fuisse illorum præcipuam curam refellere calumnias Ethnicorum. Nam hoc dum præstiterunt, necesse fuit, sicuti jam monuimus, ut etiam aliqua mysteria Christianæ Religionis explicarent: ita Ethnicis calumniantibus Christianos simul convenire etiam ad turpia quæque patranda, oportuit, ut explicarent totam rationem eorum, quæ ipsi Christiani simul uniti agebant, indeque aliquorum quoque divinorum mysteriorum sermonem intermiscerent. Catechumenis autem sublimiora quidem mysteria Patres absconderunt, at non omnia, quia ipsi quoque in fide Christiana instituendi erant. Verum enim vero præter Apologistas, et Catechistas, plures quoque alios Patres habemus, qui ab ipsis primis Ecclesiæ temporibus de re dogmatica, et quidem contra Hæreticos, egerunt.

R. ad 3., nos fateri, quosdam interpretes aliquando errasse in versione nonnullorum, quæ a Patribus græce scripta fuerunt: verum error illorum sublatus est diligentia aliorum, qui, facta collatione tum antecedentium, tum consequentium, verum sensum eruerunt. Deinde uno, aut altero testimonio Patrum, de cujus sensu disputatio sit inter interpretes, ad nostras veritates comprobandas non indigemus, quum alia multa nobis suppetant, quæ, si attendatur ad sensum illorum, nullam disputationem admittunt.

Prop. II. Æstus disputationis non impedit, quin verum sensum in scriptis SS. Patrum assequamur.

Prob. prop. Licet nonnulli SS. Patres hæreticos quandoque ita insectati fuerint, ut, si ad eorum verba attendatur, incidisse videantur in errorem oppositum illi, quem confutandum susceperant; tamen de vero sensu illorum nobis semper omnino perspectum esse potest. Nam si id præ oculis habeatur, de quo disputare sibi proposuerunt, si verus sensus verborum expendatur, simulque etiam videatur, utrum absolute loquuti fuerint, an vero facta comparatione, si consulantur alia scripta, quæ fortasse habeantur, si non omittatur advertere, eum quibusnam semper senserint, quosve refutaverint; profecto quid re vera tenuerint, nobis nulla sine dubitatione innotescet. Inter ceteros Patres, qui dum unum errorem oppugnarunt, in alterum ex opposito contrarium incidisse videntur, est sane Hieronymus, quem etiam ipse Dallæus in hanc rem citat pro se: ipse ergo, ut unum exemplum afferamus, dum contra Vigilantium prærogativas virginitatis tuetur, in laudes illius ita effunditur, ut nuptias quodammodo damnare videatur. Verum hæc suspicio statim evanescit, semel ac ea, quæ modo animadvertimus, præ oculis habeantur: idemque etiam respectu cujusvis alterius scriptoris contin-

get, cujus ratio dicendi non omnino accurata propter disputationis æstum esse videatur.

Prop. III. Cognosci potest, immo revera omnino cognoscitur, quam sententiam Patres uti suam tradiderint, quam semper sequuti fuerint, quamque habuerint loco Catholicæ veritatis.

Prob. prior pars prop. Patres semper in omnibus libris scripsisse ea, quæ revera ipsi sentirent, quovis tandem genere dicendi usi fuerint, dicamus oportet: et quidem potiori jure id affirmari debet de illis, quam de quovis alio scriptore. Nam ipsorum præclarissimæ virtutes, quibus mirum in modum exculti fuerunt, nullo modo patiuntur, ut vel levissime suspicemur, animi sui sensus perpetua caligine involvere voluisse, atque ita fallere omnes, dum eam sententiam uti propriam tenere viderentur, quæ tamen non ipsorum esset, sed aliorum. Semel ac ergo Patres ipsi non prodant, se mentionem de aliorum opinione facere, dubitandum non est, quin in suis scriptis propriam expresserint.

Prob. altera pars. Profecto nulla ratio occurrit, ob quam, non dicam, putemus, sed vel levissime suspicemur, Patres non semper idem sensisse, semel ac nullo modo constet eos descivisse a sua priori sententia, quam litteris tradiderunt. Iis ergo, qui auctoritatem Patrum etiam ex hoc capite in dubium revocare contendunt, probandum incumbit, Patres usque ad obitum in eadem sententia non perstitisse. Hoc si fecerint, nulla amplius ratio habenda erit auctoritatis Patrum quoad eam sententiam, quam ab iis mutatam esse constiterit, non vero quoad alias, de quibus nihil tale comprobari possit.

Illud sane negari non debet, inter alios S. Augustinum in suis Retractationibus nonnulla eorum correxisse, quæ alibi docuerat: at nos non tuemur, aliquando Patres suam non mutasse sententiam, sed illud solum volumus, Patres a sua priori sententia discessisse, ad libidinem confingi non posse, quemadmodum ii faciunt, qui auctoritatem Patrum undequaque extenuare conantur.

Prob. 3. pars prop. Non desunt sane notæ, quibus cognoscamus, utrum Patres suam sententiam habuerint loco cujusdam Catholicæ veritatis. Nonnullas, atque præcipuas, quam brevissime fieri poterit, attingemus. Prima est, si contrariam sententiam, uti hæreticam, habuerint: altera; si suam sententiam iis verbis expresserint, quæ professionem fidei manifesto præseferant: tertia; si in Catechesibus, vel in sermonibus ad Catechumenos, aut Neophytos quidpiam uti credendum, firmissimeque tenendum inculcaverint: quarta; si contra sentientes habuerint uti hæreticos. Has notas si advertamus, manifeste unicuique constabit, quandonam Patres suam sententiam habuerint loco cujusdam Catholicæ veritatis. Quapropter frustra etiam ex hoc capite Adversarii nostri contendunt, auctoritatem Patrum dubiam, incertamque esse.

Prop. IV. Utrum sententia nonnullorum Patrum alicui singulari, an vero universali Ecclesiæ contraria fuerit, certissime cognosci potest.

Prob. prop. Dubitari non potest, quin ad dogma Catholicum neces-

sario requiratur, ut illud Ecclesia universalis profiteatur, contra vero dogma Catholicum nullo modo illud dici potest, quod singularis aliqua Ecclesia tenet, atque tuetur. Quare ut cognoscatur, quanti momenti sit, et esse debeat, quod traditur ab aliquibus Patribus, illud videndum est, utrum sententia eorum Ecclesiæ singulari, an vero universali cohæreat. De hoc constare non posse, Adversarii nostri contendunt: revera tamen apertissime constare posse, nullus negaverit, semel ac Opera Patrum coævorum expendamus, semel ac attendamus ad alias Ecclesias, quæ sibi invicem universali communione unitæ fuerint, semel ac inquiramus, utrum sibi repugnantes habuerint, et quidem ita repugnantes, ut doctrinam Ecclesiæ universalis tueri contra eos contenderint. Si tum aliquorum, tum ceterorum Patrum; si tum aliquarum, tum ceterarum Ecclesiarum, unam, eamdemque doctrinam fuisse deprehendamus; tunc nullo modo dubitari potest, quin doctrina aliquorum Patrum sit Ecclesiæ universali conformis: si vero talis consensio non habeatur; tunc fortasse alicujus Ecclesiæ singularis propriam esse, dici tantum potest: fortasse, inquam, alicujus Ecclesiæ singularis, quia non semper Ecclesia singularis sequitur singularem doctrinam illius, qui in ea docendi munere fungitur. Falso itaque confingitur, certissime cognosci non posse, utrum singulari, an universali Ecclesiæ sit conformis sententia aliquorum Patrum.

CAPUT TERTIUM.

De Auctoritate Doctrinæ Patrum.

Hoc in capite explicabimus, cujusnam auctoritatis sit, et esse debeat doctrina Patrum, ut perspectum fiat, qua ratione Theologus ex illa eruere sua argumenta possit. Quoniam vero hæretici auctoritatem Patrum omnino deprimere inde quoque contendunt, quia etiam Patres aliquando in quosdam errores inciderunt (id enim urget tum Rivetus, tum Dallæus, quem Natalis ab Alex. in *Hist. Ecclesiast.* seculi 2. Dissert. 16. singillatim confutavit) ideo id non obesse, ut doctrinæ Patrum ea tribuatur auctoritas, quam Catholici tribui volunt, in 1. proposit. ostendemus: deinde in 2. constituemus, in quibusnam potissimum magni facienda sit auctoritas doctrinæ Patrum: in 3. quænam ratio haberi debeat doctrinæ aliquorum tantum Patrum etiam in expositione Divinarum Scripturarum, aut aliquo dogmate fidei: in 4. quæ multorum, licet non omnium: in 5. quæ plurimorum, aliis multis non consentientibus, in eodem capite doctrinæ: in 6. quæ omnium in dogmatibus fidei: in 7. quæ item omnium in expositione Divinarum Scripturarum.

Prop. I. Quia Patres aliqui in nonnullos errores quandoque inciderunt, nemo inde æquo jure inferre potest, generatim doctrinæ hujusmodi Patrum auctoritatem denegandam esse.

Prob. prop. Illam profecto auctoritatem doctrinæ Patrum nunc vindicamus, tribuendamque tuemur, quam unicuique auctori esse vindicandam, ac tribuendam, ipsa ratio suadet. Nam æquitati naturali ad-

versatur, ut cunctorum, quæ scripserit aliquis, nullam auctoritatem esse velimus, quia in re una, aut altera quandoque erraverit, ac propterea nullam habendam rationem omnium capitum doctrinæ ab ipso traditæ, nullam fidem ei tribuendam in rebus ad historiam pertinentibus, quia utraque in re quandoque defecerit. Nimis multa profecto essent Scriptorum opera, quorum nulla apud nos esse deberet auctoritas, semel ac hujusmodi ratio servanda dicatur, indeque fieret, ut et multa capita doctrinæ fluctuarentur, at de pluribus historiæ partibus semper ambigere deberemus. Si ergo viris gravissimis, doctissimis, atque sanctissimis denegari non debet, quod cuivis scriptori ipsa ratio vult, ut non denegetur; unicuique certum esse debet, generatim auctoritatem denegandam non esse doctrinæ eorum Patrum, qui in aliquos errores quandoque inciderunt.

Quamvis autem fateamur, in scriptis aliquorum Patrum nonnullos errores occurrere; tamen negamus, tribui posse Patribus eos omnes errores, quos præcipue Rivetus, et Dallæus (a), atque etiam Barbeyracius in *Præfatione* ad Opera Pufendorfii, tum in singulari Tract. *De Morali Patrum Ecclesiæ* eisdem tribuerunt, ut auctoritatem illorum omnino extenuarent. Res nimis longa foret, nunc plures Patres vindicare velle ab iis erroribus, quos eisdem præfati auctores, nonnullique alii affinxere. Rem istam contra Barbeyracium Remigius Ceillierius perfecit. Quod ergo maxime confert ad auctoritatem Patrum vindicandam, et a nemine negari potest, id unum sane modo animadvertendum dicimus, hoc est, in hunc, aut alterum errorem quosdam Patres aliquando quidem incidisse, nunquam tamen omnes, immo nunquam majorem, aut mediam partem illorum. Quin etiam quidquid erroris deprehenditur in scriptis aliquorum, correctum, emendatum, atque etiam, data opera, confutatum legi potest in scriptis aliorum plurimorum. Ex quo sane consequitur, ut nullo alio magisterio præter illud, quod habemus a Patribus, indigeamus ad illos detegendos errores, qui aliquando etiam in ipsis Operibus Patrum occurrunt.

Quapropter sicuti communi sermonis consuetudine virum bonum esse dicimus non tantum eum, qui nunquam, sed etiam illum, qui rarius, leviusque labitur; in tota doctrina fidei, et morum eos semper et extollere laudibus, et sequi debemus, qui, etsi in suis scriptis aut non omnes semper nævos devitarint, aut etiam aliqua in re quandoque erraverint, tamen quæ divino verbo tum scripto, tum tradito conformia sunt, fere ubique tradiderunt. Tales profecto sunt Patres Ecclesiæ, quibus sane nihil magis curæ fuit, quam ut Christianum populum legem Evangelicam edocerent, indeque et meditationi Divinarum Scripturarum vacarunt diutius, et diligentius in ea inquisiere, quæ habemus tradita divinitus.

Prop. II. In rebus Theologicis semper magni fieri debet auctoritas SS. Patrum secundum se spectata, in aliis vero, quæ potissimum pendent a lumine rationis, tanti fieri debet, quanti ipsa ratio cogit, ut fiat.

Prob. prior pars prop. Studia Theologica illa sane fuerunt, quibus

(a) *Locis supra cit.*

Sancti Patres præcipuam operam dedere, ita ut non solum solliciti fuerint omni cura investigare, quid in divino verbo scripto, vel tradito manifestatum haberemus, sed etiam videre, quid consequeretur ad ea, quæ sunt revelata divinitus. Nam in suis operibus non solum egerunt de dogmatibus fidei, atque morum præceptis, sed etiam de aliis, quæ tum cum dogmatibus fidei, tum cum præceptis morum aliquam connexionem habent.

Deinde vero ipsi sane fuerunt, qui ab exordio Ecclesiæ per plura secula contra omnes hæreses decertarunt. Nam si loquamur de hæresibus ortis, dum adhuc ipsi viverent, in illorum operibus easdem singulariter confutatas habemus: si autem de aliis posterioribus; et ipsæ quoque auctoritate illorum falsitatis convictæ fuerunt, semperque convincentur, dum in posterum exurgent aliæ atque aliæ. Nam a Patribus traditum habemus, quo sensu loca Divinarum Scripturarum intelligi debeant, quo vero non debeant: a Patribus accepimus, quæ divinitus tradita sint, quæ vero non sint: igitur a Patribus omne illud promptuarium habemus, quo nobis non solum constat de dogmatibus fidei, sed etiam de aliis, quæ eisdem dogmatibus adversantur, indeque scripta Patrum Theologis Polemicis firmissima argumenta omni tempore suppeditarunt, semperque suppeditabunt ad omnes hæreses debellandas, atque prosternendas. Ex his vero, ut alia omittamus, esse unicuique compertum debet, semper magni faciendam esse auctoritatem Patrum in rebus Theologicis.

Prob. altera pars. Quo autem magis Patres solliciti fuere incumbere iis, quæ ad dogmata fidei, ac præcepta morum quovis modo spectant; eo etiam minus curæ iisdem fuit attendere aliis, quæ ad illa duo nullo modo referuntur. Quo sane fit, ut in hoc toto genere scientiarum id tantum auctoritatis iisdem tribui debeat, quantum esse tribuendum suadet ratio illa, cui in suis assertionibus ipsi innituntur, non vero quantum singularis auctoritas, aut quantum in hujusmodi genere studiorum longa exercitatio postularet.

Illud autem hic monere non omittimus, auctoritatem SS. Patrum, quam in rebus Theologicis magni faciendam diximus, in se ea quoque omnia complecti, quæ spectant ad subtiliores metaphysicas disputationes cum ipsa Religione prorsus conjunctas. Nam contra Ethnicos, Christianæ Religionis hostes, impugnantes ea, de quorum veritate est etiam ipsa ratione perspectum, Patres adeo solide disputavere, tantaque efficacia argumentorum decertarunt, ut cunctas eorum cavillationes aperte detexerint, atque esse omnino inanes evidentissime demonstraverint. Hinc autem est, ut in Patribus omnia genera argumentorum habeamus ad refutandos eos, qui nostris temporibus veterum Atheistarum falsa commenta in medium iterum protulere, licet plerumque sub diverso aspectu, ut a suo ingenio profecta esse præseferrent.

Prop. III. Auctoritas aliquorum solummodo Patrum etiam in expositione Divinarum Scripturarum, aut in dogmate fidei probabile tantum, non certum argumentum, suppeditare potest.

Prob. prop. Hæc ergo propositio consequitur ex eo, quod in nostra

prima propositione concessimus, et a nemine negari potest, hoc est, aliquos Patres in nonnullos errores quandoque incidisse, tam si agatur de expositione aliquorum locorum Sacræ Scripturæ, quam de aliquibus fidei dogmatibus: ita cum S. Irenæo etiam nonnulli alii plura loca Divinarum Scripturarum pro regno millenario Christi interpretati fuere, atque S. Cyprianus, et qui cum eo sentiebant, idem fecere respectu baptismi, quem reiterari volebant, semel ac esset collatus ab hæreticis. Est etiam perspectum, quosdam eorum in uno, aut altero dogmate fidei a recta veritate quandoque descivisse (a). Si sententia aliquorum Patrum errori subjecta esse potest, immo revera fuit, aliundeque nulla ratio occurrat, cur sententia quorumdam errori subjecta esse possit, aliorum vero quorumdam esse non possit; inde generatim dicendum est, auctoritatem aliquorum solummodo Patrum etiam in explicatione Divinarum Scripturarum, aut in dogmate fidei probabile tantum, non vero certum argumentum suppeditare posse.

Dices. Semel ac dicatur, ab auctoritate aliquorum Patrum, quia ipsi falli possunt, non sumi certum argumentum, sed tantum probabile in expositione Sacrarum Scripturarum, tum in fidei dogmatibus, inde sequitur, ut quoad utrumque caput semper incerti simus: sed hoc repugnat: ergo. Prob. maj. Hoc semel posito, semper fluctuabimur, quoscumque tandem Patres sequuti fuerimus tum in expositione Sacræ Scripturæ, tum in dogmatibus fidei, utrum sit verum, quod tenemus, atque docemus: ergo.

R., dist. ant., aliundeque semper habemus, unde hæc nostra fluctuatio depellatur, conc., non habemus, neg. Huic ergo fluctuationi tunc locus esse potest, quando, quam aliquorum sententiam sequimur, non est una omnium, sed propria, et particularis, vel saltem talem esse suspicamur. Hoc si contingat in expositione Sacræ Scripturæ, quid facere debeamus, his verbis docet Vincentius Lirinensis in *Commonit.* 1. cap. 38. »Hoc scilicet (inquit) facere magnopere curabunt, quod in principio »Commonitorii istius Sanctos, et doctos viros tradidisse nobis scripsimus, »ut Divinum Canonem secundum universalis Ecclesiæ traditiones, et »juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item Catholicæ, »Apostolicæque Ecclesiæ sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quando pars contra vetustatem, unius, vel »paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certe multo plurium »Catholicorum consensionem rebellaverit, præferat portionis corruptioni »universitatis integritatem.... Itemque in ipsa vetustate, unius, sive pau»cissimorum temeritati primum omnium generalia Concilia, si qua sunt »universalis Concilii decreta, præponat: tunc deinde, si id minus est, »sequantur, quod proximum est, multorum, atque magnorum consen»tientes sibi sententias magistrorum, quibus, adjuvante Domino, fideli»ter, sobrie, sollicite observatis, non magna difficultate noxios quoque »exurgentium hæreticorum deprehendemus errores." Ejusdem *Commonit.*

(a) *Videatur Canus* De Locis Theolog. *lib. 7. cap. 3. prop. 6.*

cap. 4. rem eamdem inculcat Vincentius Lirinensis, semel ac Patres in rebus gravis momenti inter se dissentientes esse deprehendamus. Hæc vero est regula, quam semper omnes Catholici sequuti fuerunt, et quam nos etiam sequi semper debemus, semel ac ab omni errore nobis cavere velimus.

Prop. IV. Auctoritas plurimorum Patrum, semel ac ex ea testimonium Divinæ Traditionis non habeatur, valde probabile argumentum suppeditat, non tamen certum.

Prob. prior pars prop. Simul cum numero Patrum in unam eamdemque sententiam consentientium augeri etiam pondus argumenti, quod ducitur ab auctoritate illorum, per se perspicuum est. Judicium enim plurimorum, quorum aliunde uniuscujusque auctoritas plurimum valet, valde confert ad augendam firmitatem ejus sententiæ, in qua simul conveniunt. Quo ergo plurimorum Patrum unius rei eadem sententia fuerit, eo quoque plus ipsa probabilitatis habebit.

Prob. altera pars. Tunc solum Patres omnino firmum, atque certum argumentum suppeditant: quando Traditionem constituunt, atque ex illorum testimonio, quod consensione omnium temporum firmatum sit, esse divinitus traditum eruitur, quod ipsi docent: ergo quando ex auctoritate plurimorum Patrum non habetur testimonium Divinæ Traditionis, certum, atque omnino firmum argumentum ex illa desumi non potest. Ant. constat. Quia certa, atque omnino firma auctoritas inest in sola Scriptura et Traditione, quæ est verbum divinitus inspiratum, licet non scriptum: cetera vero omnia ad hanc certitudinem non pertingunt, sed majorem, vel minorem pro sua natura habent.

Dices cont. priorem partem. Auctoritas plurimorum Patrum non valde probabile argumentum, sed falsum quandoque suppeditat, uti constat ex sententia illorum, qui Sanctos cum Christo in terra regnaturos mille annos tuebantur: ergo.

R. cum distinct.: quando plurimi Patres opponuntur divino verbo scripto, vel tradito, conc. si non opponantur, neg. Quandoque auctoritas plurimorum Patrum divino verbo scripto, vel tradito adversatur, sicut contigit respectu eorum, qui regnum millenarium Christi, et Sanctorum tuebantur: tunc autem ex auctoritate illorum non solum non accipitur aliquod argumentum probabile, sed etiam errandi occasio desumitur. Quare quando nos dicimus, ab auctoritate plurimorum Patrum valde probabile argumentum suppeditari, eam spectamus, prout non opponitur superiori auctoritati, qualis continetur in Verbo divino scripto, vel tradito.

Prop. V. Quando plures Patres in aliquo capite doctrinæ inter se differunt, illorum maxime auctoritas probabile argumentum suppeditat, qui idem sentiunt cum Ecclesia Romana, quæ tamen alias nihil quoad rem disputatam definierit.

Prob. prop. Est illud jam animadversum a nobis (a), Romanam Ec-

(a) *Lib. 2. cap. 3. prop. 4.*

clesiam esse certissimam regulam, qua cognoscatur, quod habemus traditum divinitus, indeque si hac de re oriatur aliqua quæstio in aliis Ecclesiis, Romanæ judicium attendi debere. Hac de causa S. Irenæus ad confutationem hæreticorum satis sibi esse duxit, Romanam Ecclesiam consulere, quoniam ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire. S. Optatus autem Milevitanus in *Romana cathedra* unitatem ab omnibus esse servandam dixit; atque *Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum* in Ecclesia Romana, S. Augustinus affirmavit. Hoc autem semel posito, constat, dum contingit, Patres in aliquo capite doctrinæ inter se dissidere, probabile argumentum ab illorum tantum auctoritate duci posse, qui Romanam Ecclesiam sequuntur. Quandoquidem, semel ac Romanam Ecclesiam isti sequantur, contra divinam Traditionem nullo modo sentient, quoniam quæ sunt tradita divinitus, ab Ecclesia Romana potissimum cognoscitur.

Hæc autem de iis doctrinæ capitibus a nobis dicta esse volumus, de quibus nullum adhuc publicum judicium a Romana Ecclesia prolatum fuerit: nam si istud habeatur; tunc sane propter hujusmodi judicium auctoritas eorum Patrum, qui illi adhærent, certum argumentum suppeditat, aliorum autem, qui contra sentiunt, nihil ponderis quoad illud doctrinæ caput apud Theologum habere debet.

Prop. VI. Communis, atque semper constans consensio Patrum in aliquo doctrinæ capite, quod ad fidem, vel mores spectare, ipsi docuerint, argumentum certum, atque firmissimum suppeditat.

Prob. prop. Semel ac Patres ab initio secundum successionem suorum temporum summa semper consensione aliquod dogma fidei tenuerint, ejusque contrarium uti hæreticum refutaverint, dubitari non potest, quin illud ex Apostolica Traditione habeatur, si de eodem non constat ex Sacris litteris (a): ergo semel ac habeatur ea consensio Patrum, de qua modo loquimur, simul quoque in ea habetur Traditio divina: sed divinæ Traditionis eadem est auctoritas, ac Divinarum Scripturarum (b), illaque vocatur, et est Verbum divinum non scriptum, istæ autem sunt Verbum divinum scriptum: ergo in prædicta communi consensione Patrum inest divina auctoritas: sed quam maxime est divinæ auctoritatis suppeditare argumentum certum, atque firmissimum: ergo etiam ab eadem consensione argumentum certum, atque firmissimum suppeditatur.

Dices. Humanum testimonium nunquam tanti fieri debet, ut ex eo certum, firmissimumque argumentum peti posse dicatur: sed hæc consensio, de qua loquimur, posita est in quodam humano testimonio: ergo.

R. dist. maj., semel ac in se non habeat omnem moralem certitudinem, conc., si habeat omnem moralem certitudinem, neg., et dist. min. in testimonio, inquam, quod præter moralem certitudinem etiam aliunde habet, ut non possit subesse falsitati, conc., quod etiam aliunde id singulariter non habet, neg. Ea est natura humani testimonii, ut illi

(a) *Lib. 2. cap. 3. prop. 1.*

(b) *Eodem lib. cap. 4. prop. 2. et seq.*

æquo jure fides denegari non possit, semel ac in se omnem moralem certitudinem habeat. Si enim morali certitudini fides non præbeatur; tunc sane de veritate cujuscumque historiæ dubitandum esset: res quælibet, quo magis antiqua, eo quoque magis incerta foret, licet auctoritas scriptorum omnium temporum illam comprobaret, atque, ut uno verbo dicam, cuncta, quæ præterierunt, quæque nostris oculis non conspexissemus, dubia, atque incerta apud nos esse deberent, quum ex humano tantum testimonio ea nosse possimus. Hoc autem nostrum humanum testimonium et omnem in se moralem certitudinem continet, et aliunde quoque habet, ut non possit subesse falsitati. Continet quidem in se omnem moralem certitudinem: 1. quia in se habet consensionem omnium temporum: 2. quia hæc consensio est universalis; et quidem virorum, qui doctrina, et sanctitate singulariter præcelluerunt: 3. quia testimonium nostrum non versatur circa aliqua privata, quæ ad universitatem hominum nihil referant, sed circa capita publicæ doctrinæ, quæ fidem omnium semper respexit: 4. quia nunquam fuit interruptum, quamvis non defuerint, qui contraria doctrinæ capita acriter propugnaverint: 5. quia gratia Principum, aut diuturnæ, gravissimæque persequutiones, nunquam efficere potuerunt, ut hujusmodi testimonium deficeret. Si ergo ad moralem certitudinem attendatur, nulla major ea dari potest, quæ inest in hoc testimonio, de quo agimus.

Aliunde quoque illud habet, ut non possit subesse falsitati, quod ei singulare est propter objectum, circa quod versatur. Attestatio enim ejus non respicit rem quampiam, quæ, vel in se spectata, sit indifferens, vel ad aliquos tantum referatur, sed pro sui objecto habet dogmata fidei, et ejus quidem fidei, quæ universam Ecclesiam respicit, propterea-que universa Ecclesia falleretur, semel ac hujusmodi attestatione id, quod falsum est, traderetur. At fieri non posse, ut tota Ecclesia labatur in errorem, jam ostendimus (a): igitur hoc testimonium, de quo loquimur, aliunde quoque propter objectum, circa quod versatur, singulariter habet, ut non possit subesse falsitati.

C. Testimonium Patrum tale non esse, ut certum argumentum ex illo erui possit, ipsi Patres testantur: ergo. Prob. ant. S. Augustinus epist. 82. num. 3. ad Hieronymum alias epist. 19. affirmat, solis libris Divinarum Scripturarum talem honorem deferendum, ut auctores illorum nunquam errasse putandum sit; in scriptis vero aliorum aliquem errorem semper latere posse. Rem eamdem urget lib. 11. *Cont. Faustum* cap. 5., et lib. 2. *De Baptis. cont. Donatist.* cap. 3. Idem sentit etiam S. Hieronymus epist. ad Theophilum Alexandrinum, et lib. 2. *Apologiæ cont. Rufinum*, atque, ut alios omittam, S. Ambrosius lib. 7. epist. 47. ergo.

R. Cum distinctione, et tamen Patres id affirmant, unius, vel alterius Patris singulariter accepti habita ratione, conc., habita ratione omnium simul consentientium in dogmata fidei, neg.: Neque Catholici volunt, neque Patres tuentur, cujuslibet Ecclesiæ Doctoris unamquamque

(a) *Hujus disput. lib.* 3. *cap.* 3.

sententiam veram esse, licet sit de iis, quæ fidem respiciunt, indeque id discriminis fuit semper unanimi consensione positum inter Auctores librorum divinorum, et Ecclesiasticos scriptores, ut illi neque erraverint, neque errori subesse potuerint, isti vero et quandoque erraverint, et errori subjecti fuerint. Ceterum in unanimi consensione Patrum circa dogmata fidei nullam falsitatem subesse posse, et propterea ex illa erui argumentum certum, atque firmissimum, hoc vero est, quod Catholici volunt, et ipsi Patres tradunt. Unius tantum Augustini auctoritate id nunc conficiemus, ne in nimis longum protrahamur. Ipse ergo in libris contra Julianum totus in eo est, ut ad veritatem Catholici dogmatis adstruendam evincat, tradidisse Patres non quod Julianus effutiebat, sed sed quod a Catholicis defendebatur. Unde postquam plura loca Patrum in medium adduxerat, lib. 2. num. 3. loquens de peccato originali, ita Julianum urget: »Hoc jam probavimus Catholicorum auctoritate Sanctorum, qui et hoc asserunt, quod de peccato originali dicimus.... Tales »quippe, ac tanti viri secundum Catholicam fidem, quæ antiquitus toto »orbe diffunditur, et hoc.... confirmant, ut vestra fragilis, et quasi ar»gutula novitas sola auctoritate conteratur illorum: præter quam quod ea »dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur." Et in fine ejusdem libri num. 37. eamdem Ecclesiæ, et Sanctorum Patrum auctoritatem esse affirmat, ac propterea Juliano exprobrat, ab eo etiam ipsam Ecclesiam accusandam esse, semel ac accusare velit Irenæum, Cyprianum, et alios Patres, quorum loca Augustinus ipsi Juliano opposuerat.

C. Semel ac concedatur, quemadmodum est concedendum, singulos Patres labi posse, idem quoque dici debet de omnibus Patribus simul acceptis: ergo. Prob. ant. Ut utar exemplo Dallæi lib. 2. *De Vero Usu Patrum*, semel ac concedatur, singulos Senatores ægrotare posse, est etiam concedendum, cunctum senatum laborare posse eodem morbo, quo possunt singuli Senatores: ergo pari ratione &c.

R. Negari quidem non debere, totum senatum subjectum esse posse illi infirmitati, cui singula membra ejus subjecta sunt, semel ac ab ea nulla præservatio ipsi senatui promissa sit: si vero talis promissio habeatur, timendum non est, ne senatui contingat hujusmodi malum. Profecto universa Ecclesia juxta Christi promissionem errori obnoxia non est (a), indeque fit, ut licet singuli Patres errare possint, non tamen omnes in aliquo dogmate fidei. Hoc enim alterum semel ac contingeret, universa Ecclesia erraret: ea namque doctrina, in quam generatim omnes doctores semper consenserunt, eamque habuerunt uti dogma fidei, est sane Ecclesiæ doctrina. Quare universi Ecclesiæ doctores falli non possent, quin etiam ipsa Ecclesia falleretur: quod nullo modo fieri potest.

Neque juvat contra reponere, a judicio multorum, quorum singuli labi possunt, judicium omnino certum, et infallibile non posse proficisci.

(a) *Hujus disput. lib.* 3. *cap.* 3.

Quamvis enim judicium singulorum Patrum fallibile sit, indeque ab auctoritate unius, alteriusve certum argumentum peti non possit; tamen judicium omnium simul consentientium in aliquod dogma fidei, non est fallibile, proptereaque ab eo sumitur argumentum certum. Ea vero est ratio hujusmodi discriminis, quia judicium singulorum exprimit propriam cujusque sententiam: judicium vero omnium simul consentientium in aliquod dogma fidei non exprimit sententiam singulorum, sed doctrinam revelatam divinitus (a), quæ ut errori subdatur, nullo modo fieri potest.

Neque est, cur quis reponat, hoc unanime judicium omnium Patrum frustra supponi, quum sæpe non desint aliqui Patres, qui contradicant ceteris, atque etiam nos facile latere possit, cuinam parti adhærendum sit.

Quando enim dicimus, esse divinitus traditum, quod omnes Patres unanimi semper consensione docuere uti spectans ad fidem, vel mores id non volumus, ut eorum nemo unus ullo unquam tempore contra senserit, ita ut vox *omnes* mathematice, et non moraliter accipiatur, sed ut de hoc, vel illo dogmate una apud omnes Ecclesias, earumque doctores fuerit semper fides, licet quandoque ex iisdem doctoribus aliqui communi consensioni sese opposuerint. Hinc Vincentius Lirinens. *Commonit.* 1. cap. 39. postquam monuit, inhærendum esse sententiis illorum Patrum, qui *vel mori in Christo fideliter*, *vel occidi pro Christo feliciter meruerunt*, hæc superaddit: »Quibus tamen hac lege credendum, »ut quidquid vel omnes, vel plures, uno, eodemque sensu, manifeste, »frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum »consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, »certo, ratoque habeatur."

Idem Auctor ejusdem libri cap. 4. nobis ostendit, quid facere debeamus, semel ac dissensio sit inter antiquos: »Quid (inquit) si in ipsa »vetustate duorum, aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut »etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, »ut paucorum temeritati, vel inscitiæ, si qua sunt universaliter anti»quitus universalis Concilii decreta præponat. Quid si tale aliquid emer»gat, ubi nihil ejusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas »inter se majorum consulat, interrogetque sententias, eorum dumtaxat, »qui diversis licet temporibus, et locis, in unius tamen Ecclesiæ Catho»licæ communione, et fide permanentes, magistri probabiles extiterunt."

Prop. VII. Communis, atque semper constans consensio Patrum in explicatione Divinarum Scripturarum argumentum certum, atque firmissimum suppeditat.

Prob. prop. Illud quidem uti certum supponimus, quum jam demonstratum fuerit a nobis (b), penes unumquemque non esse Spiritum interpretandi Sacras litteras, atque auctoritatem eorum e medio prorsus tolli, semel ac cum Protestantibus illud contendatur. Si ergo penes

(a) *De Tradit. lib.* 2. *cap.* 4

(b) *Lib.* 2. *cap.* 4. *prop.* 10. *et seq.*

unumquemque non est interpretari Sacras litteras, esse sane potissimum debet penes cœtum eorum, quos Christus doctores suæ Ecclesiæ dedit, ut eam docerent. Hi vero sunt Patres, indeque ab illis ea omnia diligenter, et vario genere argumentorum pertractata fuisse, legimus, quæ doctrinam Catholicam complectuntur. Quum ergo in vero sensu Divinarum Scripturarum doctrinæ Catholicæ summa reposita sit; de eodem ea ratione, qua potest, nobis omnino compertum est, temel ac ex unanimi consensione Patrum omnium temporum illum perspectum habeamus. Tunc enim eum ob tam singularem consensionem proprium esse constat non Patrum, sed Christi, qui interius Ecclesiam regit, et a quocumque errore præservat. Si enim sensus, in quem omnes Patres conveniunt, semperque convenere, esset obnoxius falsitati, etiam Ecclesia falli posset, immo vero deberet, quia nullam aliam magis certam auctoritatem habet, quam in intelligendis Divinis Scripturis pro sui regula absque fallendi periculo sequatur. Tanta ergo quum sit illa auctoritas, quam in se habet communis consensio SS. Patrum in expositione Divinarum Scripturarum, si ab hujusmodi consensione certum, firmissimumque argumentum sumi non possit, non video sane, unde istud accipi debeat.

CAPUT QUARTUM.

De Auctoritate Liturgiarum.

Ipsa Liturgia præscribitur certa ratio, qua publicus cultus Deo, atque Sanctis diversis officiorum actibus præstari debet: hinc libri Liturgici vocantur, in quibus rei divinæ conficiendæ ritus præscribitur. Quia tamen nullum ministerium magis publicum, magisque etiam sacrum occurrit ipsa actione Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis; ideo a Græcis Patribus sacrosanctum Missæ sacrificium Liturgia vocatur, plerumque tamen, superaddita voce *mystica*, vel *Sacra*. Ut ergo constet, qua ratione Theologus ad comprobandas suas assertiones ex Liturgiis argumenta depromere possit, 1. agendum de antiquitate Liturgiarum: 2. de auctoritate illarum: 3. de firmitate argumentorum, quæ ex iisdem depromi possunt. Hæc vero omnia in tribus propositionibus distincte explicabimus.

Prop. I. Remotissima antiquitas Liturgiarum a nemine æquo jure negari potest.

Prob. prop. Remotissima antiquitas Liturgiarum a nemine æquo jure negari potest, semel ac constet, initium Liturgiarum haberi ex Apostolica Traditione: sed initium Liturgiarum haberi ex Traditione Apostolica, nimis multa ostendunt: igitur apud omnes certa esse debet remotissima antiquitas Liturgiarum. Probo minorem propositi. Walfridus Strabo in lib. *De Rebus Ecclesiast.* cap. 2. affirmat Romanos *usum observationum a B. Petro Apostolo* accepisse, et subsequentibus temporibus, *quæ congrua judicata sunt*, addidisse. Rupertus Abbas *De Div Offic.* lib. 11. cap. 21. dicit, mirabilem novi Sacrificii ritum *per primos Apostolos* traditum, deinde diligenti apparatu exornatum fuisse, sicuti ordo sacrificii

veteris a Domino per Moysen traditus, Davidis, et Salomonis opera splendidius amplificatus fuit. His consentit S. Isidorus lib. 1. *De Ecclesiast. Offic.* cap. 15. Innocentius I. in epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum num. 1. hac de re ita habet: »Si instituta Ecclesiastica, ut sunt »a Beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, »nulla varietas in ipsis ordinibus, et consecrationibus haberetur. Sed dum »unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc »æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, aut Ecclesiis, »vel teneri, vel celebrari videntur, ac fit scandalum populis.“ S. Basilius lib. *De Spiritu Sancto* caput 27. numer. 66. agens de Eucharistia, et poculo benedictionis ait: »Non enim his contenti sumus, quæ »commemorat Apostolus, aut Evangelium; verum alia quoque et ante, »et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, »quæ ex traditione citra scriptum accepimus.“ Et post pauca: »Qui initio »certos Ecclesiæ ritus præscripserunt Apostoli, et Patres, in occulto, si»lentioque mysteriis suam servavere dignitatem... Hæc est ratio, cur quae»dam citra scriptum tradita sint.“ S. Justinus in sua I. *Apologia* num. 67. ordinem, et seriem eorum, quæ in synaxibus suo tempore servabantur, summatim descripsit: aliqua nunc, quæ ad rem nostram faciunt, exscribemus: »Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in urbibus, vel ruri »degunt, in eumdem locum conventus fit. Et Commentaria Apostolorum, »aut Scripturæ Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lec»tore quiescente, Præsidens orationem habet, qua populum instruit, et »ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Sub hæc consurgi»mus omnes, et precationes profundimus. Precibus autem peractis panis »offertur, et vinum, et aqua. Et Præsidens iterum, quantum pro virili »sua potest, preces, et gratiarum actiones fundit, et populus fauste ac»clamat: amen: et distributio, communioque fit eorum, in quibus »gratiæ sunt actæ, cuique præsenti, et absenti per Diaconos mittitur.“ Hæc Justinus de ea tota Liturgia, quæ servabatur a fidelibus, dum die solis simul in unum convenirent. Tandem Apostolus in sua I. epist *ad Timotheum* 2. 1. inquit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus*: hæc autem Apostoli verba S. Augustinus epist. 149. num. 16., alias epist. 69., interpretatur juxta communem usum Ecclesiæ de precationibus, quæ in re divina conficienda adhibentur: »Sed eligo (inquit) in his verbis hoc intelligere, »et quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes ac»cipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, ante»quam illud, quod est Domini mensa, incipiat benedici.“ Ex his vero omnibus et de vetustissima antiquitate liturgiarum constat, et fit manifestum, qua auctoritate ducti Tridentini Patres sess. 22. *De Sacrificio Missæ* cap. 5. docuerint. »Cæremonias ab Ecclesia adhibitas, ut mysticas »benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, »ex Apostolica disciplina, et traditione.“

Dices I. Sacræ Liturgiæ præscribunt plures orationes in consecratione Eucharistiæ: sed uti habet S. Gregor. M. lib. 9. epist. indict. 2.

epist. 12., *mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem* (hoc est, Dominicam, de qua loquitur S. Pontifex) *oblationis hostiam consecrarent*: ergo ab Apostolis proficisci non potuere illæ Liturgiæ, quibus jam ab antiquis temporibus Ecclesia utitur.

R. Cum distinctione, Liturgias, quales nunc sunt, qualesque fuerunt etiam ab antiquis temporibus, ab Apostolica traditione profectas fuisse dicimus, neg. maj., simpliciores conc. maj. Quod manifeste colligitur ex Patribus primorum seculorum, illud sane unum est, quod nos modo volumus. Patres ergo priorum seculorum non affirmant, neque affirmare possunt, Sacras Liturgias, quales nunc habemus, ab Apostolica Traditione profectas, sed solummodo volunt, initium eorum, quæ servantur in celebratione divinorum mysteriorum, ab Apostolica Traditione esse repetendum Quo semel posito, inde consequitur, Sacras Liturgias haberi ex Traditione Apostolica. Multa quidem Sacris Liturgiis superaddita fuisse post tempora Apostolorum, non negamus: at ex hoc illud solummodo consequitur, Liturgias primorum seculorum, præcipue si loquamur de iis, quæ proxime attigunt Sacra mysteria, fuisse simpliciores illis, quæ subsequentibus temporibus apud nonnullas Ecclesias in usu esse cœperunt. Et sane quando Ecclesia pace frui cœpit, tunc majorem commoditatem habuit celebrandi Sacra mysteria exquisitiori apparatu cæremoniarum.

Verba S. Gregorii id probant, saltem aliqua ex parte, quod nos modo volumus: iisdem enim significatur, tempore Apostolorum orationem Dominicam in consecratione Eucharistiæ recitatam fuisse, indeque ipse præcepit, ut post canonem oratio Dominica ad exemplum Apostolorum diceretur. »Sed quod ait S. Gregorius..... (inquit Martene *De Antiquis »Ecclesiæ Ritibus* lib. 1. cap. 3. art. 1.) verosimile non apparet, nisi »cum oratione Dominica alia superaddantur, maxime verba Christi Do»mini hoc sacramentum instituentis. Nam constat ex Actis a Luca scri»ptis, Apostolicos conventus, quibus ad frangendum panem divinum ple»bem Christianam coadunabant, non parvo tempore perdurasse. Sed et »contrarium ex Hieronymo lib. 1. *Advers. Pelagium* cap. 18. non ob»scure eruitur. Christus, inquit, *sic docuit Apostolos, ut quotidie in »corporis illius sacrificio credentes audeant dicere: Pater noster, qui es »in cælis.* Quibus ex verbis evidenter patet, orationem Dominicam par»tem duntaxat, eamque fortasse perminimam, Liturgiæ constitutam »fuisse."

Dices II. Plures tuentur, nullam Liturgiam ante 5. seculum scriptis consignatam fuisse: hoc autem semel posito, consequitur, non constare de antiquitate Liturgiarum, sicuti nos contendimus.

R., Utique nonnullos hac in sententia fuisse; sed tamen alii neque numero pauciores, neque doctrina minus præstantes contrarium senserunt (a) Nos modo, quamvis sententiam istorum veriorem esse putemus,

(a) *Consulatur D. Robertus Sala in §. 1. cap. 8. lib. 1., et in cap. 4. lib. 2.* Rerum Liturg. *Card. Bona.*

tamen ac de re disputationem non instituimus, quia id non postulat neque instituti nostri ratio, neque quod nunc tuemur. Quandoquidem, etsi concedamus primis quatuor Ecclesiæ seculis traditam non fuisse litteris eam rationem, qua Sacra mysteria conficiebantur, tamen dicendum est, omnem hujusmodi rationem servari potuisse, et revera servatam fuisse ope Traditionis. Res enim hæc tota est talis, ut sola Traditione præ ceteris aliis facilius servari, atque custodiri potuerit; nam celebratio divinorum mysteriorum et fiebat in publicis conventibus Christianorum, et sæpius frequentabatur. Hæc vero duo sicuti ad id quam maxime conferunt, ut sola Traditione quidpiam servetur diligentissimeque custodiatur; ita etiam valde contulisse dicendum est ad conservationem Sacrarum Liturgiarum.

Prop. II. Sacrarum Liturgiarum maxima est auctoritas, semel ac illæ cum antiquitate etiam consensionem Ecclesiarum, et potissimum Romanæ, sibi adjunctam habeant.

Prob. prop. singillatim. Maxima apud unumquemque esse debet auctoritas illorum Sacrorum rituum, quos a primis usque Ecclesiæ seculit servatos fuisse, suamque ab Apostolis primam originem traxisse legimus: sed, quemadmodum modo ostendimus, Liturgiarum antiquitas vetustissima est, atque ab Apostolis suam primam originem traxit: ergo in Liturgiis propter antiquitatem maxima auctoritas revera inest.

Non solum autem antiquitas ad hanc auctoritatem requiritur, quoniam progressu temporis multa nova contraria veteribus simul commisceri potuerunt, sed etiam consensio Ecclesiarum: semel ac enim ea de Liturgia agatur, quæ apud plures Ecclesias in usu fuerit, et in eis celebratio divinorum mysteriorum peracta sit, prout hæc vel illa ipsarum propria Liturgia præscribit; tunc sane quemadmodum plurimarum Ecclesiarum auctoritas simul unita maximi fieri ab unoquoque debet; ita etiam maximi facienda est illa Liturgia, quæ hujusmodi Ecclesiarum simul unitarum suffragio comprobatur. Ex hoc enim recte colligitur, nihil in eam novi irrepsisse, quod antiquitati opponatur.

Hac vero in re Ecclesiæ Romanæ consensio oportet, ut potissimum attendatur. Hujusmodi regulam a primis usque temporibus S. Irenæus, et Tertullianus præscripserunt. Nam uti habet Irenæus lib. 3. *Cont. Hæres.* cap. 3. num. 2., *ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, Fideles.* Unde antea monuit, se supersedere a labore enumerandi successiones omnium Ecclesiarum, quia, semel manifestata traditione Romanæ Ecclesiæ, confunduntur omnes illi, *Qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præter quam oportet, colligunt.* Tertullianus *De Præscript.* cap. 36. *age jam* (inquit) *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis, percurre Ecclesias Apostolicas.... Videamus, quid* (Romana) *didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.* Et re quidem vera quum aliquis error contra fidem in Ecclesiam Romanam nunquam irrepserit, non est dubitandum, quin ab om-

ni errore immune sit, et fidei Catholicæ penitus id quoque cohæreat, quod ipsa in suis Liturgiis quoad celebrationem divinorum mysteriorum servandum præscribit. »Romani quidem (inquit Walfridus Abbas lib. »*De Reb. Eccl.* cap. 22.) usum observationum a B. Petro Principe Apo»stolorum accipientes, suis quique temporibus, quæ congrua judicata »sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in Sacris rebus tam multæ »gentes imitantur, quia et tanti magisterii ex apice Apostolico, primor»diis clarent, et nulla per orbem Ecclesia æque, ut Romana, ab om»ni fœce hæreseon cunctis retro temporibus pura permansit."

Dices. Plures sunt Liturgiæ, quæ etiam nomine Apostolorum circumferuntur, quæque propterea ceteris omnibus præferri deberent: et tamen licet nomine Apostolorum circumferantur, et revera Apostolos illas edidisse, nonnulli censeant, non sunt ejus auctoritatis, qualis esse deberent, ob sui antiquitatem: ergo falsum est, ob antiquitatem Liturgias esse magnæ auctoritatis.

R. Nostrum modo non esse de prædictis Liturgiis disputationem instituere, atque definire, utrum sint revera Apostolorum, quorum nomine circumferuntur, an vero quispiam sub nomine eorumdem eas confinxerit, ut majorem illis auctoritatem conciliaret. Liturgiam, quæ dicitur Jacobi, eidem Apostolo revera adjudicandam esse, censet Cardin. Bona *Rerum Liturgic.* lib. 1. cap. 8. num. 3., indeque ita arbitratur, quia a Græcis, illam esse Jacobi, semper existimatum fuit. Ut ut res ista sit, nos nunc tuemur, auctoritatem Liturgiarum non ab auctore, sub cujus nomine illæ circumferuntur, esse repetendam, sed ab Ecclesiis, quæ unanimi consensione probaverint, atque receperint eam totam conficiendi Sacra mysteria rationem, quæ in aliquibus Liturgiis continetur. Hinc inter Liturgias Orientales ejus, quæ S. Jacobi esse dicitur, præcipuam rationem habendam putamus, quia non interruptam comprobationem Ecclesiæ Græcæ pro se habet, unaque etiam Syri illam retinuerunt.

C. Licet auctoritas Liturgiarum ex auctoritate Ecclesiarum desumatur, tamen est semper incerta; quum etiam illæ Liturgiæ, quas servant Ecclesiæ, in se maximam diversitatem habeant: ergo semper est dicendum in Liturgiis non inesse eam auctoritatem, quam nos tuemur.

R. Diversitatem versari circa res accidentales, non vero substantiales, si ratio habeatur earum Liturgiarum, quæ in Catholica Ecclesia recipiuntur. Cardinal. Bona postquam egit de variis Liturgiis *Rerum Liturgic.* lib. 1. cap. 9. in fine hæc quoad diversum modum sacrificii missæ animadvertit: »Apparet hic consensus, et uniformitas, ac velu»ti ex diversis vocibus consonantia, sive discors concordia in omnibus »Liturgiis: et inde palam fit, ordinem sacrificii ab Apostolis traditum »esse, et in omnem terram diffusum. Quamvis enim differant diversa»rum gentium Liturgiæ in singularum partium collocatione, et in ver»bis, quibus orationes concipiuntur, iisdem nihilominus membris coale»scunt, quæ sunt, peccatorum ante omnia confessio, tum introitus, si»ve quoddam quasi proemium, deinde Psalmi, aè lectiones Sacræ Scri-

»pturæ, ac potissimum Evangelii, Symboli recitatio, lotio manuum, »commemoratio, et invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis, »et defunctis, gratiarum actio, et benedictio, ptæter ea, quæ essen»tialia sunt, oblationem scilicet, consecrationem, et communionem."

Est ergo animadvertendum, tunc solum dici posse, auctoritatem Liturgiarum labefactatam esse, quando sequentibus temporibus id illis superadditum foret, quod induceret nova dogmata, aliamque doctrinam ab Apostolica diversam præseferret. Ceterum nihil tale Liturgiis superadditum legimus, sed id solummodo, quod ad solemniorem celebrationem divinorum mysteriorum magis conducere potest. Joannes Morinus in Præfat. ad 2. part. *De Sacris Ordinat.* ea de causa antiquos Latinos Rituales expendere, sibi constituisse dicit, ut videret, utrum cum Græcis consentirent. Quid vero, hoc examine peracto, assequutus fuerit, explicat his verbis: »Si codices antiquos Latinos cum Græcis antiquis, et utrosque »cum recentioribus Latinis, et Græcis; si omnes iterum cum latinorum, »et græcorum Patrum, et Canonum dictis comparemus, evidentissime »deprehendemus, antiquos Latinos eodem modo ordines contulisse, quo »antiqui Græci; utrosque præterea nunc quo majores sui: Ritualesque re»centiores Latinos, et Græcos non tantum cum antiquis consentire, ve»rum etiam cum Patrum, et Canonum dictis, et sententiis. Nihil est »enim in antiquis vel levissimi momenti, quod recentiores tam Latini, »quam Græci non contineant. Sed multa sunt in recentioribus prudenter, »et religiose superaddita."

Prop. III. Ex Liturgiis prædictis firma argumenta depromuntur ad dogmata Theologica comprobanda.

Prob. prop. Auctoritatem Sacrarum Liturgiarum maximam esse, semel ac illæ cum antiquitate etiam consensionem Ecclesiarum, et potissimum Romanæ, sibi conjunctam habeant, modo ostendimus, atque etiam explicavimus, robur hujusmodi auctoritatis niti Traditioni Apostolicæ. Ab his autem, quæ sunt ex Apostolica Traditione, et in Ecclesiis summa consensione recepta, atque custodita fuerunt, ad comprobanda dogmata Theologica firma argumenta sumi posse, certum est. Deinde eis, quæ in Sacris Liturgiis servanda præcipiuntur in celebratione divinorum mysteriorum, Ecclesiæ fides circa eadem divina mysteria exprimitur, uti per se patet, atque actibus exterioribus, quantum fieri potest, declaratur, quod in interiori sensu Fidelium præconceptum est. Quare si ex illis, ex quibus constat de fide Ecclesiæ, firma argumenta depromuntur in confirmationem dogmatum theologicorum, etiam ex Liturgiis firma argumenta depromi posse, nullus sane negaverit.

Hinc jure merito S. Augustinus hoc genere argumenti petiti ab auctoritate Liturgiarum sæpius usus fuit: ut unum solum locum commemorem: »Exsere (inquit in epist. ad Vitalem 217., alias 107., num. 2.) »contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, et quando audis Sacerdo»tem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut »eos convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium rege»nerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo, quod esse cœperunt,

»ejus munere perseverent, subsanna pias voces, et dic, te non facere, »quod hortatur." Etiam S. Hieronymus in *Dialogo adver. Luciferianos* ita contra illos ex Ecclesiæ ritu num. 8. »An nescis, etiam Ecclesiarum »hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invo»cetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum est? In Actis Apostolorum: »etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte con»sensus instar præcepti obtinet." Tandem Patres Concilii Trullani can. 32. auctoritate Liturgiarum S. Jacobi et S. Basilii Magni refellunt Armenios, qui commixtionem aquæ cum vino abstulerant a sacrificio Missæ.

Quæ contra hanc propositionem in medium afferri possent, jam soluta sunt in duabus præcedentibus propositionibus. Non est autem, cur nunc Tamburinum *Prælect.* tom. 1. *De Sacram in gen.* cap. 10. num. 150. affirmantem Rituales non esse *normam doctrinæ*, refellere aggrediamur. Nam quod ipse in rem suam colligit ex errore, qui in *Manueli Cameracensi* occurrit, contra nos non facit, prout ex secunda nostra propositione constat, in qua ostendimus, tunc auctoritatem Sacrarum Liturgiarum esse maximam, quando illæ cum antiquitate etiam consensionem Ecclesiarum, et potissimum Romanæ sibi conjunctam habent. Qui autem error occurrit in *Manuali Cameracensi* in vulgatis Sacris Liturgiis nullo modo deprehenditur. Libros autem Rituales editos ea de causa fuisse, ut essent norma Rituum servandorum, Tamburino concedimus; tamen ex Ritualibus constare etiam de doctrina fidei, jam evicimus.

LIBER SEPTIMUS

De Auctoritate Theologorum, atque Juris Pontificii Peritorum.

Theologorum, atque Canonistarum una, eademque ratio revera non est, licet esse videatur: circa rem Sacram utrique quidem versantur, tamen est præcique Theologi videre, quæ habeantur ex verbo divino scripto, vel tradito, aut ex eo quavis ratione consequi possunt: Canonistæ autem, quid a Summis Pontificibus, Conciliis, aut alia quavis Ecclesiastica potestate sancitum sit, atque loco Ecclesiasticæ legis haberi debet. Summorum enim Pontificum, atque Conciliorum alia sunt, quæ continent definitiones spectantes ad fidem, vel mores, et ipsius divini verbi scripti, vel traditi Authenticæ explicationes dici debent; alia vero, quæ res disciplinæ complectuntur, atque ad Ecclesiæ regimen ordinantur; et ista sub nomine legum Ecclesiasticarum præcipue veniunt, talibusque potissimum jus canonicum constituitur. Quare licet Theologi sit attendere etiam ad sanctiones legis Ecclesiasticæ, Canonistæ autem habere præ oculis verbum quoque divinum tam scriptum, quam traditum; tamen circa quod ille primo, iste secundo, et circa quod iste primo, ille secundo loco versatur, attendi debet. Prius de Theologorum, deinde de Canonistarum auctoritate disseremus, atque videbimus, quantum hæc utraque auctoritas valeat in iis, de quibus agitur in facultate Theologica.

Non defuerunt sane, qui Theologiam Scholasticam; uti inutilem, im-

mo etiam uti noxiam traducerent : hos inter referri præcipue debent multi Acatholici, uti sunt Lutherus, Melancthon, Gisbertus, Vœtius, Antonius Perizonius, et alii, quorum loca collegit Gener in sua *Theologia Dogmatico-Scholastica* tom. 1. prodromo 3. prolegom. 3. Nos ergo in hujus libri 1. cap. de Scholasticæ Theologiæ utilitate agemus : in 2. de auctoritate Theologorum Scholasticorum in disciplinis Theologicis: in 3. de necessitate Juris Canonici in iisdem disciplinis Theologicis : in 4. de auctoritate Canonistarum.

CAPUT PRIMUM.

De maxima utilitate Scholasticæ Theologiæ.

De ea Theologia Scholastica modo non loquimur, quæ hæret in quæstionibus inutilibus, suas disputationes quadam obscuritate habet involutas, ad rationem magis, quam ad auctoritatem divinam, vel SS. Patrum attendit, atque vanas contentiones, et inuania dissidia promovet; sed illius tantum, quæ plura ex verbo divino argumentatione sua colligit, nititur auctoritati Patrum, et definitionibus Ecclesiæ, de multis, quæ ad illustranda dogmata fidei valde conducunt, minute, subtiliterque disserit, strictiori argumentatione utitur, quodque sibi probandum constituit, certa, evidentique ratiocinatione colligit. His positis.

Prop. Scholæ Theologia quam maxime conducit in bonum Christianæ Religionis.

Prop. prop. Ne igitur modo commemoremus, Scholas Theologiæ semper commendatas fuisse auctoritate tum Ecclesiastica, tum civili, et singularibus privilegiis ornatas, atque decreto Concilii Constantiensis sess. 8. Wicleffi hunc errorem proscriptum : *universitates, studia, et collegia vana gentilitate introducta sunt* : illud nunc animadvertendum esse, censemus, post tempora S. Bernardi potissimum in scriptis Scholæ Theologorum conservatam, atque propagatam legi traditionem Catholici dogmatis: quo sane uno, etiamsi deessent alia, utilitas Scholasticæ Theologiæ demonstraretur. Verum nunc presius quod volumus.

Quod Theologia Scholastica positivæ superaddit, totum quam maxime confert in bonum Christianæ Religionis : ergo. Prob. ant. Si agatur tam de stabiliendis dogmatibus, quam de refutandis contrariis erroribus, in bonum Christianæ Religionis quam maxime confert, ut breve, pressum, concisumque genus dicendi adhibeatur, ut servetur ea methodus, qua propositiones sint inter se arctissime colligatæ, propterea que clare pateat, quid consequatur ex illis, ut demum in argumentatione ad regulas logicæ attendatur, atque inde fiat, ut et veritas Catholici dogmatis magis elucescat, et error contrarius omnino detegatur. Hæc vero omnia scholastica Theologia positivæ superaddit : est enim proprium illius, uti propositionibus simplicibus, nectere eas inter se, atque colligare, ab iisdem simul unitis certa, evidentique, argumentatione inferre aut perspicuitatem veritatis, quam defendendam, aut falsitatem erroris, quem confutandum

suscepit. Dubitari ergo non potest, quin in bonum Christianæ Religionis id omne cedat, quod Scholastica Theologia positivæ superaddit.

Scholastica Theologia id quoque habet, ut suis definitionibus, atque divisionibus secundum regulas dialecticæ semel institutis, rem totam, de qua agit, in bono lumine ponat, ut usu distinctionum, si quæ occurrat, omnem ambiguitatem tollat, paucisque et veritatem aperiat, et errorem detegat. Hinc mirandum non est, si etiam Ecclesiæ Patres dialecticæ usum in disputationibus Theologicis summopere commendaverint. *Est enim dialectica* (inquit S. Clemens Alexandrinus *Stromat* lib. 6. num. 10.) *veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur a Sophistis.* Et S. Basilius in cap. 2. *Isaiæ* num. 93. *vis namque dialectices dogmatum est murus, quæ ea a quibuslibet, qui vellent, facile interverti, aut facile expugnari non sinit.* »S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 29. summis laudibus S. Basilium celebrat, quod dialecticam apprime calleret, atque in illa adeo præstaret, ut *iis, qui cum eo disputabant, facilius esset ex labyrinthis se extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere.*" S. Augustinus lib. 2. *De Doctrin. Christ.* num. 48. »disputationis disciplina (inquit) ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris Sanctis sunt, penetranda; et dissolvenda plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium." Et *Cont. Cresconium* lib. 1. num. 16. sibi objicientem, quod in disputando dialectica uteretur, ita habet: »Tu tamen in me »dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares, »qui disputatione mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet non dia»lectica uteris, quum contra nos scribis? Ut quid te ergo in tantum »disputandi periculum projecisti, quum disputare non noveris? Aut si »nosti: cur dialecticum dialecticus criminaris? Ita vel temerarius, vel »ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refrenes, aut doctri»nam, qua juvaris, accuses." His superaddi plura alia possent; verum satis, quod volumus, ostensum esse putamus.

Dices I. Apostolus 1. *Corint.* 2. 4. et 5. inquit: »sermo meus, et »prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed »in ostensione spiritus, et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia »hominum, sed in virtute Dei." Hinc ad *Colossens.* 2. 8. ita omnes monet: »Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallacciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et »non secundum Christum." Sed Theologia Scholastica et nititur persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, et insistit principiis philosophiæ: ergo.

R. Dist. min. Theologia Scholastica nititur persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, et insistit philosophiæ principiis, in confirmationem, et manifestationem veritatis, et quidem juxta sensum Apostoli, conc., in deceptionem, neg. Apostolus Corinthiis suadere voluit, non humanam, sed divinam esse illam doctrinam, quam iisdem tradiderat, ac propterea usum se non fuisse verbis secundum humanam eloquentiam ad persuadendum accommodatis, sed ostensione signorum confirmasse suam

prædicationem. Ceterum sicut Ipse Timotheum monuerat in sua 2. epist. ad eumdem 4. 2., ut argueret *in omni patientia, et doctrina*; ita *ad Colossens.* 1. 28. de se hæc habet: *quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem in omni sapientia*; in omni, inquam, sapientia, sicuti ex epistolis ab ipso conscriptis compertum habemus.

Dum vero Apostolus præcipit omnibus, ut sibi caveant, ne per Philosophiam, aut inanem fallaciam seducantur, non vult quidem, ut Philosophiam, et ratiocinationem tamquam noxiam aversentur, sed ut videant, ne per Philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum in errorem inducantur.

C. Licet demus aptari non posse Theologiæ Scholasticæ, quæ in locis citatis habet Apostolus; tamen semper constat, in illa et id utilitatis non inesse, quod nos volumus, et plura absurda ex eadem consequi. Utrumque ita ostenditur: per multa secula et dogmata Catholica propugnata, et contra ea insurgentes errores confutati absque ulla Theologia Scholastica fuerunt: ex quo constat ex ea non proficisci illam utilitatem, quam nos volumus. Deinde compertum est 1., Scholasticos in enodandis quæstionibus inutilibus oleum, operamque sæpe perdere: 2. frequentius abripi nimio studio partium, indeque litem intentare omnibus; qui unum, idemque cum ipsis non sentiunt: 3. in rebus quoque gravissimis arte syllogistica non sine aliqua quandoque confusione uti: 4. eam loquendi rationem sæpe adhibere, quæ prorsus aliena est ab idiomate latino: 5. rationi tribuere plus quam decet.

R. Ad hæc omnia singillatim. Illud quidem negari a nemine potest, Ecclesiam diu floruisse, ejusque dogmata a viris sapientissimis absque ulla Theologia Scholastica propugnata fuisse. Nam seculo 12. in Ecclesia Latina suum ortum Theologia Scholastica habuit, in Græca autem seculo 8, in quo floruit S. Joannes, Damascenus, qui Scholasticæ Theologiæ parens fuisse videtur. Ex hoc autem id unum consequitur, Scholasticam Theologiam Ecclesiæ simpliciter necessarium non esse, non vero non afferre plurimum utilitatis.

Id tamen animadvertatur oportet, Patres tum Græcos, tum Latinos priorum seculorum, strictiorem quidem Scholasticam argumentationem non adhibuisse; tamen dum decertarunt pro defensione dogmatum Catholicæ Religionis, eam in disputando servasse rationem, quæ et vim Scholasticæ Theologiæ, et aliquo modo etiam methodum in se haberet. Ex scriptis eorum nimis longum esset nunc exempla proferre. Profecto hujusmodi rationem tenuerunt, ut nonnullos commemoremus, S. Justinus in Apologiis pro Christianis, S. Clemens Alexandrinus in suis Stromatibus, S. Basilius, et S. Gregorius Nyssenus in libris contra Eunomium, S. Athanasius, et Hilarius in scriptis contra Arrianos, S. Hieronymus contra Helvidium, Jovinianum, et Vigilantium, et demum S. Augustinus, ut alios omittam, contra Academicos, Manichæos, Donatistas, atque Pelagianos.

Aliis vero, quæ opponuntur, antequam respondeamus, eam Scholæ

Doctrinam nunc a nobis defendi dicimus, quæ Sacras litteras pro sui fundamento habeat, Patrum traditioni, atque auctoritati nitatur, inhæreat decretis Summorum Pontificum, atque Conciliorum, accommodate, opportune, certoque ordine depromat ex Philosophia, quæ ad illustranda dogmata fidei deserviunt. Quare non vitia, quæ in nonnullis Scholasticis quandoque occurrunt, sed ipsam Theologiam Scholasticam nos tuemur, contendimusque, et jure quidem meritoque, propter vitia aliquorum de utilitate hujus scientiæ nihil esse detrahendum.

Ad 1. ergo esse videndum dicimus, quasnam quæstiones contemptores Theologiæ Scholasticæ inutiles esse velint: rem enim istam etiam Erasmus opponit Scholasticis (a): si de iis quæstionibus loquantur, quæ ad explicanda dogmata fidei nullo modo conducunt, ad refellendos contrarios errores nihil conferunt, non sunt utiles ad elucidandum, quod aliquam obscuritatem, aut ambiguitatem habet, non tendunt ad explicandas regulas morum, vitiorumque deformitatem detegendam, non acuunt mentem, aut non exercent in iis, quæ, semel ac subtilius disputata fuerint, ad alia graviora distincte intelligenda ducunt, utique et nos fatemur, male locari operam nostram in hujusmodi quæstionibus. Ceterum etsi tales quæstiones in libris aliquorum Scholasticorum quandoque occurrant, et quidem vitio illorum, non ipsius scientiæ; tamen alii plures, quod in controversia positum est, minutius discutiunt, statum difficultatis subtilius aperiunt, certa ab incertis acute distinguunt, quod probandum assumunt, argumentorum soliditate confirmant, quod refellendum, quam alienum a veritate sit, luculentius ostendunt, demum in eo potissimum versantur, ut detegant quæ ex Verbo Dei tum scripto, tum tradito, decretis Summorum Pontificum, atque Conciliorum, auctoritate SS. Patrum, vel per se, vel etiam remote consequuntur, certa ratiocinatione detegi possunt. Verum enimvero qui quæstiones Theologicas solummodo delibasse satis habent, illasque interius introspexisse non curant, ii sane sunt e nostris, qui inutilitatem quæstionum Scholasticarum semper obtrudunt: hæretici autem quum argumentatione Scholasticorum de suo errore aperte se convinci videant, latebrasque omnes ad fugiendum sibi præcludi, contra Scholasticam Theologiam insurgunt, atque eas quoque quæstiones, sicuti, monente Petavio in *Prolegomenis ad Dogmata Theol.* cap. 5., Erasmus fecit, uti inutiles traducunt, atque ineptas, de quibus etiam Ecclesiæ Patres ad defensionem dogmatum Catholicorum copiose egerunt.

Ad 2. dicimus, Scholas Catholicas utique inter se decertare de iis, de quibus, salva fide, in utramque partem disputari potest. Tunc autem discordia vitio vertitur, uti habet S. Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 1., quando est, *vel cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebita adhibetur.* Quum ergo Theologi Scholastici firmissimi principii loco id tantum habeant, quod ex Divino verbo tum scripto, tum tradito accepimus, vel ab ipsa Ecclesia quoquo modo defini-

(a) *Tom. 6. Oper edit. Lugd. Batav. in cap. 1. epist. 1. ad Timot.*

tum habemus: præter hæc vero, quæ cum iisdem principiis majorem, vel minorem habere cognationem sua argumentatione conficiunt, magis, minusve ad veritatem accedere contendant, indeque efficaciter pugnent contra sibi dissentientes; non video sane, quid hac in re illis vitio verti possit. Si præcipuas quæstiones Scholasticas nunc esset exponendi locus, ipso facto res ista comprobaretur: verum nimis a nostra institutione abduceremur.

Quod autem aliquæ Scholæ sua propria placita, qua par est ratione, contra alias tuentur, id sane ad duo conducit, quæ plurimum utilitatis in se habent: 1. inde fit, ut veritas rei clarius elucescat, atque magis distincte cognoscatur, quæ nam magis, minusque cohæreat cum fidei principiis: 2. totius doctrinæ Theologicæ ordo, atque connexio magis clare patet, pròptereaque efficitur, ne in una re id quis teneat, quod est contrarium alteri, quam tuetur. Hoc enim sæpe contingit illis, qui nullam scholam determinatam sequuntur.

Ad 3. dico, quam maxime optandum esse, ut in Scholis, atque disputationibus ille modus disserendi secundum regulas logicæ in usum revocetur, qui quondam adhibebatur, et nunc ab iisdem pene exulasse videtur. Semel ac enim vel in tuenda nostra sententia, vel in aliena refellenda, utamur strictiori argumentatione, fit omnino compertum, cujusnam sensus sit magis veritati accomodatus. Parum enim juvat, atque etiam unicuique valde facile est, ex Dei verbo tum tradito, tum scripto, ex definitionibus Summorum Pontificorum, atque Conciliorum, ex scriptis Sanctorum Patrum plura loca coacervare, nisi simul evidenti argumentatione evincatur, ex iis aut consequi, quod tuemur, aut refelli, quod oppugnamus. Deinde argumentatio instituta secundum regulas logicæ nonne ambagibus verborum viam præcludit, et difficultates non minus aperte, quam acute detegit? Verum hæc sint satis, licet in eamdem rem multa alia dici possent.

Ad 4. respondeo, non tam puritatem linguæ; quam soliditatem doctrinæ in Scholasticis esse requirendam: utramque si simul conjunctam habeant, duplici laude digni sunt: si autem soliditatem doctrinæ sine linguæ puritate habeant, vituperari non debent, quia tunc id non habent, quod certo quodam jure ab eis sit exigendum. Hinc S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* 36. *Serm.* 3. num. 3. *quid ad nos* (inquit) *quid grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos diserti eritis.* Et *Tract.* 2. *in Joan.* num. 14. *dicamus ergo, non timeamus ferulas grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidum, et certiorem perveniamus.* Deinde uti Cicero monet, lib. 1. *Academic. dialecticorum quoque verba nulla sunt publica: suis utuntur. Est id quoque commune omnium fere artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda.* Quod ergo fit in aliis scientiis, idem quoque Scholasticus in sua facere posse debet. Quare jure, meritoque utitur non solum vocibus essentiæ, existentiæ, relationis, subsistentiæ, quibus etiam Ecclesiæ Patres quandoque usi fuerunt, sed etiam entis, entitatis, formalis rationis, proprietatis per-

sonalis, quidditatis, atque hujusmodi aliis, quæ jam a multo tempore in Scholis usitatæ fuere.

Ad 5. quod alias sæpe diximus, et nunc quoque dicimus, hoc est, nos non tueri vitia quorumdam Scholasticorum, sed ipsius Theologiæ Scholasticæ utilitatem. Sicuti ergo, quemadmodum Canus lib. 9. *De Locis Theologicis* cap. 1., illi sunt accusandi, *qui argumentis a ratione ductis sese usque adeo addixerunt, ut, sive disputent, sive scribant, Sacras litteras, Sanctosque Patres ne legisse quidem videantur*; ita etiam sunt ii maxima laude digni, qui eo modo, quo potest, dogmata fidei etiam ratione confirmant. Quod enim multiformi argumento suffultur, et firmius consistit, et assensum ab omnibus quodammodo extorquet. Semper tamen oportet, ut in rebus Theologicis auctoritas præcedat, ratio sequatur, ita ut hæc sit famula fidei, nullo autem modo domina. Dum fieri poterat, atque res ipsa patiebatur, etiam veteres Ecclesiæ Patres ratione confirmasse, vel magis magisque explicasse mysteria fidei, neminem latere potest. Horum ergo exemplum si Scholastici sequantur, nullo modo reprehendi possunt (a).

CAPUT SECUNDUM.

De Auctoritate Theologorum Scholasticorum in Disciplinis Theologicis.

Theologorum auctoritas primo considerari potest, ipsorum inter se habita ratione, hoc est, quatenus una pars eorum sententiam aliquam tuetur, altera vero in eodem capite doctrinæ sese illi opponit; deinde vero quatenus unanimiter consentiunt in hac, vel illa propositione tuenda.

Pro. I. Semel ac Theologi Scholastici in aliquo capite doctrinæ inter se dissentiant, eorum est sequenda sententia, quam vi ratiocinationis constat, aut certo, aut magis clare proficisci ex divino verbo scripto, vel tradito, vel ex communi consensione Ecclesiæ, aut definitionibus illius.

Prob. prop. Illud supponitur a nobis, nunc esse sermonem de hujusmodi doctrinæ capitibus, de quibus citra ullum periculum rectæ fidei æque in utramque partem disputatur: quia tamen demonstrari potest, hæc quoque capita doctrinæ aliquo modo proficisci ex divino verbo scripto, vel tradito, aut ex consensione Ecclesiæ, ejusque definitionibus; ideo nunc contendimus, semel ac de aliquo capite doctrinæ contentio sit inter Theologos Scholasticos, eam sententiam esse sequendam, quæ, ad verbum divinum tam scriptum, quam traditum, aut ad consensionem Ecclesiæ, ejusque definitiones proprius accedere, ratiocinatione quadam ostenditur. Hæc autem ita nunc paucis evincimus. Semel ac demonstrari non possit, ex duabus sententiis quænam sit omnino conformis prædictis principiis, aut ex iisdem certo consequatur, nullo in erroris periculo versamur, si illam teneamus, quam certa, et non obscura ratiocinatione novimus, præ altera magis esse conformem prædictis principiis. Hujusmo-

(a) *Vid. Aguirre Theol. S. Anselmi tom.* 1. *trac.* 1. *disp.* 1. *sect.* 7.

di autem principia semel ac sequamur, nullo modo falli possumus: si igitur de iis doctrinæ capitibus agatur, quæ, ostendi non possit, per se, et immediate proficisci ab iisdem principiis, aut cum illis necessariam connexionem habere, illud doctrinæ caput alteri, seu e duabus opinionibus illam alteri præferamus oportet, quam non obscura ratiocinatione detegimus magis accedere ad veritatem hujusmodi principiorum Constat ergo de veritate nostræ propositionis.

Hoc autem principio semel constituto, habet profecto Theologus, unde sibi perspectum fiat, quænam ex duabus inter se oppositis opinionibus Scholasticorum magis ad veritatem accedat, ac propterea quamnam alteri præferre debeat.

Est enim illa verior, proindeque præferenda alteri, quam, sicut prædiximus, non obscura ratiocinatio ne colligitur, magis esse conformem verbo divino, vel sanctionibus Ecclesiæ. Quare semel ac Theologus in hujusmodi disputationes inciderit, ut, quantum fieri potest, veritatem assequatur, illud sane expendere debet, quinam potissimum ex iis, qui inter se decertant, suam sententiam prædictis principiis innixam esse, certa quadam ratiocinatione colligant, quinam vero eadem principia aut nullo modo curent, aut si curant, ex iis falso inferant, quod ipsi tuentur. Hoc autem examine semel adhibito, noscet, quænam magis probabilia sint in Theologica facultate, dum agitur de illis, de quibus, salva rectitudine fidei, in utramque partem disputari potest, et revera disputatur.

Eos enim ego audiendos non arbitror, qui hoc totum genus disputationum nullo modo curandum esse dicunt: nam etiam a Patribus illud neglectum non fuisse novimus, aliundeque suam maximam utilitatem continet, tam si habeatur ratio eorum, quæ ad explicanda dogmata fidei magis, magisque conducunt, quam si attendatur ad plenam, et completam elucidationem totius quæstionis Theologicæ. Nam de multis sane in utramque partem disputatur a Theologis, quæ si quispiam non noverit, immo vero argumenta, quæ pro utraque sententia faciunt, rite non expenderit, neque etiam, quæ in eodem genere doctrinæ pertinent ad dogma fidei plene, perfecteque nosse totamque quæstionem undequaque perspectam habere poterit. Ut unum tantum doctrinæ caput hujus generis attingam, tota disputatio de divina gratia talis est, ut si quis ignoraverit varias, atque inter se dissentientes hac tota de re Theologorum opiniones, non satis expedite statuere possit, quænam oporteat, ut certa fide tenentur, quænam vero ab Ecclesia disputationi Theologorum usque modo relicta sint, vel quæ contineantur, aut non contineantur sub definitionibus Ecclesiæ.

Quoniam vero de hoc genere doctrinæ mentionem injecimus, quod in hac nostra propositione constituimus, esse potissimum attendendum dicimus, respectu omnium de eadem doctrina quæstionum, de quibus a Theologis in utramque partem disputatur. Si enim divinum verbum tam scriptum, quam traditum expendatur; si Ecclesiæ definitiones, atque decreta consulantur; si quorum doctrinam Ecclesia probaverit, quo-

rum autem rejecerit, diligenter attendatur; atque his omnibus ante oculos semel habitis, cum iisdem conferantur, et comparentur inter se diversæ opiniones Theologorum, atque, recta ratiocinatione adhibita, videatur, quænam cum prædictis connexionem habeant, quænam vero ab iisdem discordare videantur; statim facile apparebit, quorum Scholasticorum sit sententia sequenda, quorum vero, uti minus veritati consentiens, rejicienda.

Prop. II. Sententia illorum Theologorum, quam constat habere quamdam affinitatem cum propositionibus ab Ecclesia proscriptis, est rejicienda præ altera illi opposita, quam ab hujusmodi propositionibus constat longe recedere.

Prob. prop. Sicuti ergo inter duas sibi adversantes opiniones Theologorum illam sequi, atque tueri debemus, quam divino verbo scripto, aut tradito, vel definitionibus Ecclesiæ magis præ altera esse conformem, adhibita ratiocinatione, cognoscitur; ita quum nullus dubitare possit, divino verbo scripto, aut tradito semper aliquo modo adversari eas propositiones, quas Ecclesia sub diversis censuris proscripsit, aliundeque judicium Ecclesiæ unusquisque suscipere, et venerari debeat; inde per se consequitur, ut illa sententia rejicienda sit, quam cum prædictis propositionibus evincitur habere quamdam affinitatem, altera vero opposita sequenda, quæ ab iisdem longe recedere constat. Id enim, quod ab errore longius abest, est sane sequendum præ altero, quod ab eodem errore minus recedit.

Ex his vero colligitur, ea placita Theologorum, quæ propositionibus ab Ecclesia proscriptis immediate opponi, evidenti, atque facili ratiocinatione constat, esse probabiliora illis aliorum Theologorum placitis, quæ licet differant a proscriptis propositionibus; tamen id neque statim, neque manifeste innotescit, sed longior explicatio requiritur, ut, quantum potest, perspicuum fiat.

Hac tamen in re id animadvertatur oportet, revera non fieri, ut aliquod caput doctrinæ aliquam affinitatem, vel remotissimam, habeat cum propositionibus proscriptis, quia non defuerunt, qui uti unum cum iisdem illud traducere non dubitaverint. Quandoquidem non ex calumniis aliquorum hac de re est decernendum, sed ex certa, atque clara ratiocinatione, qua ostendatur, unam sententiam cum damnatis erroribus aliquam magis minusve propinquam conformitatem habere, alteram vero non solum non habere conformitatem, sed ab iisdem longe abesse.

Prop. III. Si agatur de duabus contrariis opinionibus Theologorum, quæ suum in ipsa ratione fundamentum habeant, illa est alteri præferenda, quam niti rationi magis evidenti, argumentatione manifesta detegitur.

Prob. prop. Semel ac enim agatur de iis, quæ suum in ipsa ratione fundamentum habent, tota vis eorum ab eadem ratione petatur oportet: quare illa, quæ magis evidenti rationi nituntur, esse magis probabilia aliis, de quibus non æque evidenti ratione constat, nemo non videre debet.

Illud ergo tantum superest, ut cognoscatur, quænam magis evidenti rationi suffulta sint: id sane pendet a rectitudine, atque perspicuitate no-

stri judicii, indeque est, ut qui minus acri judicio pollent, eam rationem, quæ est minus firma pro firmiori, et eam, quæ est magis firma, pro infirmiori habeant. Universe tamen, et generatim dici potest, ea potissimum niti magis evidenti rationi, quæ vel in ipsis primis principiis rationis, vel in aliis, quæ ab iisdem primis principiis proxime proficiscuntur, suum fundamentum habent: quæ vero nituntur aliis, quæ a primis principiis longa ratiocinatione colliguntur, minus evidenti ratione constare, dicendum est.

Prop. IV. Communis consensio Theologorum in iis, quæ ad fidem, vel mores spectare, ipsi putaverint, maximam procul dubio auctoritatem habet, cui quispiam sese temere opponeret.

Prob. prop. Ut constet de veritate hujus propositionis, ostendendum est, quanti fieri debeat unanimis Theologorum consensus circa ea, quæ ad fidem, aut mores spectare, ipsi putaverint. Profecto semel ac in re aliqua communis consensus peritorum habeatur, illum magni faciendum esse, nullus sane negaverit: respuere enim velle in quovis tum artis, tum doctrinæ genere, quod periti in illa semper summa consensione tenuerunt, atque pro certo habuerunt, summæ audaciæ est, ac temeritatis. Idem enim esset, ac ceterorum omnium judicium despicere, suumque proprium illi omnino præferre; quod profecto, uti nemo non videt, sine quodam superbissimo contemptu totius humani generis non fieret. Nunc ad rem nostram. Theologi sunt sane illi, qui uti periti haberi debent in Theologica facultate: qui autem inter ceteros uti periti in facultate Theologica habendi sunt, eorum profecto est videre, quænam ad fidem, aut mores spectent, quum facultas Theologica hæc potissimum duo respiciat. Quopropter semel ac Theologorum unanimis sententia sit, hoc, vel illud spectare ad fidem, aut mores, non sine aperta temeritate hæc illorum communis consensio contemneretur.

Illud hic esse monendum putamus, ne quispiam uti spectans ad fidem, vel mores id habeat, quod tale esse alicujus tantum Scholæ Theologi tradiderunt: nam, hoc semel posito, non habetur unanimis consensus Theologorum, a quo uno pendet, ut quidpiam ad fidem, aut mores pertinere, arbitremur.

CAPUT TERTIUM.

De Auctoritate Juris Canonici in Disciplinis Theologicis.

Nunc ostendendum aggredimur, etiam ex jure Canonico sua argumenta Theologum recte depromere posse, immo quandoque debere: quia tamen jus Canonicum multa quoque complectitur, quæ spectant ad publica judicia fori: ista sane ut Theologi noverint, parum referre arbitramur. Illa ergo potissimum ex jure Canonico Theologis perspecta esse debent, quæ regimen Ecclesiæ respiciunt, morum singulares regulas præscribunt, Sacros ritus præeliniunt, divini cultus rationem tradunt, Sacramentorum tum tradendorum, tum suscipiendorum modum, atque alia hisce simi-

lia præfiniunt, totamque Ecclesiæ disciplinam complectuntur. Hoc semel posito.

Prop. Nimis multa sunt, quæ Theologus ex jure Canonico mutuetur oportet.

Prob. prop. Hac de re universe, et generatim agemus, quia nimis longum esset, nunc singula indicare velle, quæ Theologo ex solo jure Canonico suppetere possunt. Nemo itaque negaverit, in tota doctrina Sacramentorum multa immixta esse, quæ spectant ad disciplinam, et omnino pendent a Sacris canonibus, non vero a divina revelatione, atque principiis Theologicis. Percurrenti singula Sacramenta hoc omnino manifestum erit. Cultum Deo esse deferendum, non minus ex naturali, quam ex divino jure constat: tamen etiam quoad illum multa jure Canonico sancita sunt, quæ spectant ad disciplinam, quæque Theologi ad regimen tum sui, tum aliorum, novisse debent. Si juris Canonici præcepta non noverit, necessario Theologus in eorum omnium ignoratione versabitur, quæ justitiam quorumdam contractuum respiciunt, simoniæ labem in se continent, totamque doctrinam censurarum, atque irregularitatis in se complectuntur. Ex titulis autem, quos pluribus libris canonicis appositos legimus, facile intelligitur, in jure Canonico plura pro singulari statu personarum esse præscripta, quæ semel ac ignorentur, necesse sit, non pauca ignorari, quæ plures singulariter servare debent, eaque Theologus novisse oportet, ut de hisce peculiaribus obligationibus consultus suo munere recte fungatur. Ex his autem omnibus unicuique evidenter constare posse, arbitror, nimis multa esse, quæ Theologus a jure Canonico mutuari debet.

Quamvis ergo fateamur, plura facultati tum Theologicæ, tum juris Canonici communia esse, eaque utrorumque principiis æque comprobari posse; tamen quemadmodum est proprium Theologicæ facultatis definire, atque constituere, quænam in divino verbo scripto, vel tradito contineantur, aut ex eo consequantur; ita est etiam Canonici juris, plura statuere, quæ ex principiis Theologicis, tam ad fidem, quam ad mores spectantantibus, quodammodo profluunt; aliundeque ut ea certis quibusdam canonibus æqualiter præscripta sint omnibus, exigit sane tum ipsa sanctitas Christianæ Religionis, tum etiam illa uniformitas, quæ non solum in ejus dogmatibus, communibusque morum præceptis esse debet, sed etiam in aliis omnibus, quæ cujusvis generis Sacros Ritus respiciunt, vel spectant ad singularem conditionem personarum. Quæ quidem, ut vidimus, etiam Theologo perspecta esse debent, ac propterea Theologus etiam ex jure Canonico multa mutuetur oportet.

CAPUT QUARTUM.

De Auctoritate Canonistarum in disciplinis Theologicis.

Quum ostenderimus, maximam connexionem intercedere inter jus Canonicum, et facultatem Theologicam; illud nunc superest, ut videamus,

quanti Theologus facere debeat auctoritatem Canonistarum. Nam et hoc quoque Theologo perspectum sit oportet, quum sæpius contingere possit, ut ad pleniorem cognitionem eorum, quæ in jure Canonico continentur, ejusdem interpretes consulere debeat.

Prop. I. In iis, quæ spectant ad fidem, aut mores, Theologus non indiget auctoritate Canonistarum explicantium definitiones Summorum Pontificum, vel decreta Patrum.

Prob. prop. »Sive enim Pontifices (ita Canus lib. 8. *De Locis Theolog.* cap. 7.) seu Concilia, quæ in volumina juris coguntur, quodquam »definiant, quod ad fidem spectare videatur, id certe, uti alio jam loco »explicuimus, non ex sensu suo, sed ex Sacris litteris, atque Christi, »et Apostolorum traditionibus colligant, necesse est. Quum ergo princi»pia, unde Pontifices, et Concilia ad quæstionem fidei decernandam pro»ficiscuntur, propria sint Theologicæ facultatis, cujus est cognoscere, »quæ a Deo sunt revelata, quæque his sunt vel consequentia, vel re»pugnantia; plane conficitur, in hujusmodi rebus canonum Sacrorum »intelligentiam non a Juris peritis, sed a Theologis, esse petendam."

Agunt quidem etiam Canonistæ de sacramentis tum in genere, tum in specie, de indulgentiis, aliisque nonnullis Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, de quibus disserere est proprium Theologorum, atque ad munus illorum singulariter spectat ostendere, hæc, et alia fidei dogmata in divino Verbo vel scripto, vel tradito contineri, eademque propugnare contra hæreticos; tamen dum Canonistæ de istis agunt, inde agunt, quia eadem habent sibi conjuncta plura, quæ ad disciplinam spectant. Unde mirandum non est, quemadmodum constat ex scriptis illorum, si quod respicit totam disputationem dogmatis, leviter attingant, sese vero latius extendant in aliis, quæ disciplinam complectuntur.

Prop. II. Si agatur de ea morum doctrina, quæ ex lege divina, aut naturali ratione pendet, non est, cur Theologus recurrat ad interpretationem Canonistarum.

Prob. prior pars. De hac profecto omni doctrina Canonista Theologum, non Theologus Canonistam consulere debet. Theologi enim est potissimum videre, quæ in divino Verbo tam scripto, quam tradito, etiam quoad morum præcepta continentur, quia ipse hoc divinum Verbum habere debet pro fundamento suæ doctrinæ, atque ex eo eruere non minus quæ ad fidem, quam quæ spectant ad mores.

Multas quidem definitiones etiam de iis, quæ mores respiciunt, tum a Summis Pontificibus, tum a Conciliis editas habemus: verumtamen ex hoc non consequitur, ut Theologi quoad istud doctrinæ caput consulere debeant Canonistas, ad quos spectat explicare Sacros Canones. Sicuti enim modo dicebamus, quemadmodum Canonistæ, si quando, quæ fidei sunt, attingunt, leviter attingunt, et quatenus cum eis, quæ sunt disciplinæ, aliquam connexionem habent: ita etiam quæ generatim morum præcepta respiciunt, et in lege Evangelica tradita habemus, neque calamo fusiori explicant, neque data opera sibi ea explicanda proponunt, sed illorum integros tractatus relinquunt Theologis, uti partem proprii objecti, circa

quod ipsi versantur. Quum ergo, semel ac agatur de rebus fidei, vel morum, decreta Summorum Pontificum, atque Conciliorum sint quædam explicationes divini Verbi scripti, aut traditi; est sane Theologorum, qui utrumque Divinum verbum, uti præcipuum fundamentum totius suæ doctrinæ respicere debent, de hujusmodi explicationibus divini Verbi videre, easque pro certa quadam regula habere in suis assertionibus.

Prob. altera pars. Nam uti habet Canus in præcitato loco. »Quum »philosophiæ principia a Theologis etiam habeantur, ut qui de virtuti»bus, et vitiis, de fine humanæ vitæ, deque actionibus, quibus ad »hunc pervenitur, longe, lateque disserant, et super harum rerum jac»tis fundamentis morum fabricam extruant; certe quæ in jure de mori»bus ex principiis naturæ ratione constitutis præscribuntur, ea Theolo»gus quasi suo sibi jure assumet, jureconsultisque exposita, et quasi »enucleata tradet."

Prop. III. Auctoritas Canonistarum a Theologis plurimi fieri debet, semel ac agatur de Sacris ritibus, de Ecclesiasticorum officiis, atque moribus, de pœnis item Ecclesiasticis, earumque absolutione, et remissione.

Prob. prop. Hæc enim omnia in positiva Canonica lege suum fundamentum habent, iisque constitutum videmus, quod divinæ legi consonum revera est, ab ipsa tamen per se non proficiscitur, atque dimanat: videre ergo de istis omnibus potissimum spectat ad eos, quorum proprium est, semperque fuisse conspicimus, commentaria edere de hujusmodi decretis tam Summorum Pontificum, quam Conciliorum. At vero Canonistarum hoc præcipuum munus semper fuit, atque etiam modo est, quemadmodum pervolventi eorum libros manifeste patere poterit: igitur Theologus quoad hæc omnia capita doctrinæ auctoritatem Canonistarum plurimi facere debet, ac propterea si qua in hujusmodi re Canonistarum unanimem consensionem contemnat, non sine aliqua id temeritate faciet. De illorum enim communi sententia agitur, qui ex sui instituti ratione circa talia versantur; unde si illorum commune judicium negligatur, peritorum in sua arte judicium negligitur: quod sane veteri proverbio facere vetamur.

Inde autem etiam in foro usum receptum videmus, ut si quando aliqua istorum in controversiam veniant, placita Canonistarum præcipue attendantur, ita ut nulla amplius circa judicium ferendum dubitatio supersit, semel ac perspicuum sit de illorum communi consensione in rem illam de qua sententia ferri debet.

LIBER OCTAVUS

De Auctoritate Rationis naturalis.

Quod in aliis doctrinæ capitibus: atque potissimum in iis contingit, de quibus in utramque partem disputari potest, in hoc quoque, de quo acturi sumus, accidisse videmus: nonnulli enim plus, quam par est, ra-

tioni tribuerunt, dum dissererent de rebus Theologicis, alii contra a tota facultate Theologica rationem omnino exclusam voluerunt: isti immerito rationem depressere, illi extulere plus, quam par est. Nostri ergo nunc erit determinare, quisnam locus in quæstionibus Theologicis sit rationi tribuendus.

CAPUT UNICUM.

De Usu rationis naturalis in quæstionibus Theologicis.

Hoc de usu nunc agemus in distinctis propositionibus, ut totum istud doctrinæ caput in bono lumine ponatur, atque unicuique perspectum fiat, quinam esse debeant limites rationis in Theologicis disciplinis.

Prop. I. Principia rationis, quatenus deserviunt argumentationi, sunt Theologiæ præsidium singulare, penitusque necessarium.

Prob. prop. Nunc potissimum agimus de principiis rationis, quatenus iisdem efficitur, ut disputatio, quamvis non versetur circa ea, quæ ratio attingere potest, et recte ordinata sit, et ad persuadendum maximam inde efficaciam habeat, quia nihil in ea non recte distributum occurrit, vel ex suis principiis stricta argumentatione non firmiter illatum Uno Verbo: vim ipsius rationis nunc attendimus, quatenus ea acute, atque subtiliter disputatur, et evidenti ratiocinatione evincitur, quod probandum assumitur. Juxta hunc ergo modum principia rationis præsidium singulare, et necessarium, Theologiæ esse tuemur. Id autem unicuique perspectum esse debet, circa quamcumque tandem rem quæstio Theologica versetur. Quamvis enim agatur de veritatibus fidei, quas in divino Verbo scripto, vel tradito expressas habemus, licet sermo sit de definitionibus dogmaticis ab Ecclesia editis; semper tamen ratio suum in eo locum habet, ut per illam, ratiocinandi regulis adhibitis, constet, quod fidei dogma propugnatur, in divino Verbo scripto, vel tradito revera contineri, habendumque esse loco hæresis contrarium illius; itemque iis fidei definitionibus, quas Ecclesia semel edidit, omnino esse acquiescendum, atque iisdem Verbum divinum rite, atque juxta divinam veritatem recte expositum fuisse.

Quid si dogmata fidei contra cavillationes hæreticorum tueri debemus? profecto sunt intendendæ omnes vires, quas ratio in argumentatione exerere solet, et quæ in divino verbo contineantur, aut ex eo necessario consequantur, quæ autem nullo modo contineri, aut ex illo consequi possint, pressius ostendendum est: falsitas ratiocinationum detegenda, atque confutanda: aperiendi fontes errorum, qui sæpissime latent sub propositionibus ambiguis: hæc vero omnia si secundum judicium rationis diligentius non expendantur, nihil contrarium fidei in se habere videntur. Hoc totum opus est sane rationis, quæ dum in disputando strictiori argumentatione utitur, non quidem ipsius rei veritatem demonstrat, semel ac agatur de dogmatibus fidei; tamen ostendit, ex iis principiis illa proficisci, ex quibus solummodo possunt; quod sane confert non minus

ad ipsorum dogmatum evidentem demonstrationem, quam ad confutationem contrarii erroris.

Et re quidem vera quamvis multa ex divino Verbo tam tradito, quam scripto in medium proferantur tum ad ostendendam veritatem dogmatum Catholicorum, tum ad errores contrarios refutandos; tamen nisi simul ratio suas in hoc negotio vires exerat, et, adhibita argumentatione, ostendat, unam, eamdemque esse doctrinam dogmatum Catholicorum, et divini Verbi tam scripti, quam traditi; contra vero, quæ doctrinæ Catholicæ adversantur, eodem modo ostendendum etiam divino Verbo adversari, alioquin deerit sane, quod ad plene convincendum contra adversantes requiritur, iisque non omnis evadendi aditus præcludetur. Quamvis enim divini Verbi scripti, vel traditi locis in medium semel adductis, unicuique facile innotescere possit connexio, quæ inter ea, et dogmata fidei intercedit; tamen si hujusmodi connexio etiam argumentatione magis magisque elucescat, ac propterea majori cum evidentia sese prodat; tunc profecto et dogmata fidei firmius constituuntur, et contrarii errores magis evidenter refutantur.

Hinc vero est, ut nonnulli scriptores, qui dogmata fidei comprobare divina auctoritate, et errores contrarios refellere, sibi proposuerunt, non omnem, quam facile possent, ad persuadendum efficaciam habere videantur: licet enim ea, quæ ex divina revelatione depromunt, et veritatem dogmatum Catholicorum, et falsitatem contrarii erroris ostendant; tamen quum destituta sint omni argumentatione, qua mutua necessaria connexio dogmatum Catholicorum cum doctrina revelata, et cum eadem adversantium errorum contrarietas ob oculos quodammodo ponatur, plurimum sane efficaciæ ad persuadendum in iisdem desiderari posse videtur.

Prop. II. Principiis rationis Theologus utatur oportet, quando ostendi debet, in fidei dogmatibus nullam contradictionem inesse.

Antequam veritatem nostræ propositionis ostendamus, illud contra Bœlium (a) advertere operæ pretium ducimus, non posse haberi pro una, eademque re, esse supra rationem, et esse contra rationem: supra rationem est illud, quod lumine rationis attingi non potest; contra rationem vero, quod ipsi rationi adversatur, falsumque esse deprehenditur lumine rationis. Quare quod est supra rationem non est conforme ipsi rationi, quatenus non potest cognosci lumine rationis, quod autem est contra rationem, non est conforme rationi, quatenus ei adversatur, seu falsitas detegitur lumine rationis. Dogmata fidei sunt quidem supra rationem, quia quum sint supernaturalia, excedunt lumen illius; non sunt tamen, neque esse possunt contra rationem, quatenus ipsa ratione ostendatur falsitas illorum, quia quæ ex sui natura repugnant, ut sint, tam in ordine naturali, quam supernaturali repugnant.

Nemo non novit, hæreticos pugnare contra dogmata fidei non solum auctoritate, sed etiam quandoque ratione, atque in id quam maxime

(a) *Videatur tom.* 3. *Oper. illius part.* 2. *cap.* 159.

niti, ut ostendant, plura dogmata fidei ita adversari rationi, ut ex ipsa ratione de illorum falsitate constet. Ut unum, vel alterum hujus rei exemplum proferamus: mysterium Trinitatis semel ac admittatur, plura consequi contra rationem, atque etiam quæ contradictionem involvunt, Sociniani potissimum opponunt (a): simili modo qui negant existensiam corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, etiam ad rationem appellant: eaque ostendere conantur, hujusmodi mysterium repugnare (b). His semel positis.

Prob. prop. Est sane Theologi Polemici refellere hæreticos non solum quando illi ab auctoritate, sed etiam quando ab ipsa ratione argumenta depromunt, iisque non sine fallacia contra nos pugnant, quatenus mysteria fidei adversari rationi, plura absurda in se continere, conantur ostendere. Misteria fidei esse supra rationem, neque ab ea attingi posse, non est sane, cur Catholici contra hæreticos conentur ostendere: nam uti habet S. Thomas I. *Cont. Gent.* cap. 3. num. 2. »Si»cuti maximæ amentiæ essent idiota, qui ea, quæ a philosopho propo»nuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest; »ita etiam multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea, quæ di»vinitus Angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicatur ex hoc, »quod per rationem investigari non possunt." Dum ergo hæretici ratione pugnant contra nos, quatenus conantur ostendere, dogmata fidei adversari rationi, sunt sane refellendi, atque contra eos illud quoque debet evinci, nihil in mysteriis fidei rationi contrarium inesse posse, aut revera inesse. Hoc autem inde constat, quia fieri non potest, veritatem Christianæ religionis rationi contrariam esse: »Ea enim enim (ita S. Tho»mas lib. I. *Cont. Gent.* cap. 7. num. 1.) quæ naturaliter rationi sunt »insita, verissima esse constat, in tantum ut ea nec esse falsa sit possi»bile cogitare: nec id, quod fide tenetur, quum tam evidenter divini»tus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum »falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis ma»nifeste apparet, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter »cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse." Ex his autem illud consequitur, esse omnino futiles, inanes, falsisque ratiocinationibus niti eas omnes rationes, quæ afferuntur ab hæriticis, ut evincant, aliqua mysteria fidei esse contra rationem, atque in se quamdam absurditatem, immo et contradictionem continere. Inanitas autem, ac futilitas hujusmodi rationum sunt ipsa ratione detegendæ, ratione, inquam, quæ rectæ ratiocinationi, et secundum logicæ regulas institutæ nitatur, captiosa sophismata sunt enodanda, diversique potissimum respectus sunt aperiendi, ad quos si attendatur, statim apparet, neque absurdum, neque contradictorium id esse, quod uti tale jactabatur. Principiis ergo

(a) Legatur hac de re Bertius *De Discipl. Theolog.* lib. 7. cap. 6.
(b) Inter alios legatur Bellarminus *De Controv. Christ. Fidei* lib. 3. *De Sacram. Eucharist.* cap. 4.

rationis Theologus utatur oportet, quando ostendi debet, in dogmatibus fidei nullam contradictionem inesse.

Prop. III. Usus principiorum rationis in Theologia est valde utilis, quatenus iisdem principiis dogmata fidei quasi sensibiliter quodammodo explicantur.

Prob. prop. Quamvis humana ratio per ser pertingere non possit ad cognoscendas veritates fidei; tamen aliquas similitudines excogitare valet, quibus licet hujusmodi veritates non ostendantur, nihilominus clarius explicantur, et respectu intellectus nostri magis magisque credibiles fiunt. Quare, sicuti habet S. Thomas I. *Cont. Gent.* cap. 8. »Utile est, ut in »hujusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exer»ceat, dummodo desit comprehendendi, vel demonstrandi præsumptio; »quia de rebus altissimis etiam parva, et debili consideratione, aliqua »posse inspicere, jucundissimum est."

Et re quidem vera licet prima, et præcipua causa fidei sit, *quod interius movet ad assentiendum*; tamen etiam *per scientiam gignitur fides, et nutritur per modum exterioris persuasionis, quæ sit ab aliqua scientia*, sicut animadvertit S. Thomas 1. part. quæst. 6. art. 1. ad 1. Huc sane tendunt variæ illæ, atque multiplices rationes congruentes, quas idem S. Doctor pro maximo acumine sui ingenii subtilissime excogitavit, etiam dum ageret de iis, quæ sola fide attingi possunt. In id enim plerumque nititur, ut ostendat, inter ordinem gratiæ, et naturæ maximam connexionem intercedere, quum sit uterque ab eodem principio, indeque ex his, quæ contingunt in ordine naturæ non solum magis explicat ea, quæ spectant, ad ordinem gratiæ, sed etiam licet eadem non faciat pervia rationi, ipsi tamen reddit quodammodo consentanea. Ex hoc autem consequitur, ut intellectus magis magisque in illorum omnium assensione firmetur, quæ ex divina tantum revelatione noscere potuit. Negari ergo non potest, quin usus principiorum rationis sit valde utilis, quum iisdem quodammodo sensibiliter explicentur dogmata fidei.

Prop. IV. Ratio fidei semper subjecta esse debet, et ista, uti domina, præcedat, illa, uti ancilla, sequatur, oportet.

Prob. prop. Quæ sunt revelata divinitus, in duas partes distingui possunt: alia enim etiam naturali ratione ostendi possunt, et quidem nonnulla præcipue ita clare, ut ad eorumdem veram demonstrationem nihil desit: cujusmodi sunt existentia Dei, unitas, infinita perfectio, et alia, quæ cum notione entis perfectissimi per se connexa esse, ostendunt principia rationis: alia vero sunt omnino supra rationem, ipsaque ratio neque in veritatem illorum inquirere potest, neque in medium proferre quidquam, quo veritas eorumdem ostendatur. Nunc ergo videamus, quomodo ratio semper subservire debeat fidei, sive agatur de iis, quorum veritas etiam ex principiis rationis perspecta esse potest, sive sermo sit de aliis, quæ sunt omnino supra rationem. Profecto quæ sub fide cadunt, inde cadunt, quia sunt revelata divinitus ab ipsa prima veritate, quæ neque falli, neque fallere potest, propterea que in se habent infallibilem certitudinem, atque veritatem. Hoc vero utrumque sæpe deest in pro-

positionibus, quæ inferuntur ex principiis rationis: nam licet prima principia rationis omnem certitudinem, atque veritatem in se habeant; tamen quæ inferuntur ex iis, ab eadem certitudine, et veritate quandoque distant, vel quia ex ipsis principiis non per se, sed intermedia longiori argumentatione consequuntur, vel quia non omnino constat de ea connexione, quæ inter prima principia, et illata ex illis, intercedit, vel quia principia rationis adhibentur ad ea adstruenda, quæ ipsam rationem excedunt. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 4., in quo quærit, utrum sit necessarium credere illa, quæ naturali ratione ostendi possunt: *respondet*, esse necessarium 1. quia homo citius pervenit ad cognitionem divinæ veritatis: 2. quia cognitio Dei ita fit communis omnibus: quod sane ab ipsa scientia, quæ est propria paucorum, haberi non potest: 3. *quia ratio humana in rebus divinis est multum deficiens*, ac propterea *ut esset indubitata, et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit: quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest.* Deinde licet præsupponi possit, ratione revera ostendi aliqua eorum, quæ sunt revelata divinitus; tamen fides interius præconcepta ita semper retineri debet, ut ad ea credenda sit animus omnino paratus, quamvis nulla sibi ratione comperta essent. Nullus igitur dubitandi locus superest, rationem fidei subjectam esse oportere etiam quoad illa capita, quæ ratione ostendi possunt. Modo videamus de aliis fidei capitibus, quæ sunt omnino supra rationem.

Ratio enim quoad ista sese exercere in eo tantum potest, ut palam fiat, quæ sunt fidei, nullo modo sibi contradicere, aut nihil in se habere contra rationem. *Rationes*, (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 1.) *quæ inducuntur a Sanctis ad probandum ea, quæ sunt fidei, non sunt demonstrativæ, sed persuasiones quædam manifestantes non esse impossibile, quod in fide proponitur.* In assensione ergo eorum, quæ sunt omnino supra rationem, quum nullas unquam partes ipsa ratio habere possit, quia sibi sunt prorsus impervia, illud superest, ut ipsa sese omnino subjiciat infallibili veritati Dei revelantis.

LIBER NONUS

De Auctoritate Philosophorum, atque Jurisperitum.

Ut de Philosophorum, Jurisperitorumque auctoritate agamus, quibusdam fortasse supervacaneum videri potest, quum de auctoritate humanæ rationis jam disputaverimus, certumque ei locum inter Theologica tribuerimus. Nemo enim negare potest, quispiam fortasse reponet tam Philosophum, quam Jurisperitum insistere principiis rationis, atque utrumque in eorumdem explicatione versari. Verum in hac nostra disputatione de Locis Theologicis, tum Philosophorum, tum Jurisperitorum singulariter rationem habendam esse, sensuimus, non solum aliorum auctoritate ducti, sed etiam quia tum Philosophi, tum Jurisperiti, duce ratione, sunt ea quoque prosequuti, quæ in commodum Theologiæ quodam pecu-

liari modo cedunt, sicuti nunc in duobus capitibus ea majori brevitate, qua fieri poterit, ostedemus.

CAPUT PRIMUM.

De Auctoritate Philosophorum in Disciplinis Theologicis.

Quæ Philosophi vel antiqui, vel recentiores tradiderunt memoriæ posterorum, magno usui, et quidem cum evidenti utilitate, esse posse in isciplinis Theologicis, nunc contendimus, non tamen omnia, sed ea præcipue, de quibus in Metaphysica tum de Deo, et Divinis attributis, um de anima, ejusque potentiis, et in Ethica de moribus recte informandis, copiose, atque juxta principia rationis disseruerunt. Aliquam tamen utilitatem in disciplinas Theologicas proficisci posse non negamus tiam ab iis, de quibus in Physica pertractatur: nam hæc quoque sæpe conferunt ad plura, quæ enodanda occurrunt in explicatione Sacræ Scripturæ. Nunc ergo licet generatim disseramus de utilitate, quæ in Theologicas disciplinas ex doctrina Philosophorum recte sentientium redundat; tamen id præcipue tueri contendimus, habita singulariter ratione illorum omnium, de quibus Philosophi in Metaphysica, atque Ethica disputare consueverunt.

Prop. I. Doctrina Philosophorum magno adjumento esse potest disciplinis Theologicis.

Prob. prop. Sicuti enim Canus *De Locis Theologicis* lib. 10. cap. 3. recte animadvertit, »Olim Ecclesiæ doctores summi fuere, qui iidem »fuere Philosophi, Dydimus, Justinus, Origenes, Gregorius Nazian., »Basilius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Augustinus." Scholis vero Ecclesiasticis tales præfici consuevisse, tradit Eusebius *Eccl. Hist.* lib. 5. cap. 10. Hinc Clemens Alex. *Stromatum* lib. 1. num. 5. »Atque erat quidem (inquit) ante Domini adventum philosophia Græcis necessaria ad »justitiam, nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario præmittenda est." Hieronymus autem lib. 2. *Advers. Jovinianum* num. 6. jejunia, et continentiam Deo placere, etiam argumentis Philosophorum demonstrare contendit, et nonnullis quoque ex Sacra Scriptura postea in medium prolatis ad probandam suam assertionem, num. 7. ita habet: *Hæc autem de Scriptura pauca posuimus, ut congruere nostra cum Philosophis doceremus.* In epistola autem 70., alias 84., ad Magnum Oratorem, qui ab eo quæsierat, cur in suis opusculis secularium litterarum exempla poneret, pluribus suadet, præcipue ex Philosophis multa recte peti posse, etiam dum agitur de iis, quæ spectant rd religionem. Id autem confirmat exemplo plurimorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, qui de dogmatibus quoque Religionis Christianæ agentes, Philosophorum dictis, et auctoritate usi fuere ad ea confirmanda, de quibus vel contra ethnicos, vel contra hæreticos decertabant. S. Augustinus in lib. 2. *De Doctrina Christ.* postquam multis ostendit, ad intelligentiam Divinarum Scripturarum plurimum conferre ea quoque posse, quæ de di-

verso genere disciplinarum ethnicos scripsisse, novimus num. 60. ita habet de Philosophis: »Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera, »et fidei nostræ accomodata dixerunt, maxime Platonici, non solum for»midanda non sunt, sed ab eis etiam, tamquam injustis possessoribus, »in usum nostrum vindicanda." Id autem confirmat exemplo plurimorum, qui se præcesserunt. Illa vero potissimum in usum nostrum vindicanda esse, de quibus Philosophi in Metaphysica, atque Ethica solide, copioseque disputarunt, nemini non perspectum esse debet. Constat ergo, doctrinam Philosophorum magno adjumento esse posse disciplinis Theologicis.

Dices. Patres sæpe queruntur, varias hæreses inde esse exortas, quia placita Philosophorum ascita fuerunt in consortium Theologiæ: falso ergo dicitur, doctrinam Philosophorum magno adjumento esse posse Theologicis disciplinis.

R. Et nos fateri, plures hæreses tum ex Platonica, tum ex Aristotelica philosophia suam originem duxisse. Qui enim contra Trinitatem errores primis Ecclesiæ temporibus prodierunt, omnes promanasse ex principiis philosophiæ Platonicæ, lib. 1. *De Trinit.* cap. 1. et seqq. Petavius ostendit. Hæc enim philosophia, quum habeat quædam similia nostris, magis apta est ad fallendum. Quos autem hæreticos ætas sequens tulit; hi sane philosophiæ Aristotelicæ subtilitate delusi, eamdem invexerunt in ea quoque sublimiora mysteria fidei, quæ ex divina tantum revelatione nobis comperta esse possunt. Hoc in genere Arrius princeps fuisse perhibetur: nam, sicuti habet Sozomenus lib. 1. *Ecclesiast. Hist.* cap. 1., *Quum dialecticam apprime calleret . . . in absurdissimos errores prolapsus est.* Talis fuit Ætius, et discipulus ejus Eunomius: nam Ætius, sicuti affirmat S. Epiphanius *Hæresi* 76. §. 2. »Quum Alexan»driæ Aristotelico cuidam philosopho, ac sophistæ navasset operam, ab »eoque dialecticam didicisset, totus in illud incubuit ut divinarum re»rum rationem omnem quibusdam figuris explicaret." Eunomium quoque captiosa disputandi ratione usum fuisse, tum S. Gregorius Nazianzenus, tum S. Basilius testantur in iis scriptis, quibus impiam hæresim illius confutarunt.

Ex hoc autem factum fuisse, arbitramur, ut nonnulli SS. Patres quandoque asseruerint, philosophiam a divina scientia omnino eliminandam esse. Ita sane sentire videtur S. Basilius in lib. 1. *Cont. Eunomium* num. 9., S. Gregorius Nazianz. *Oratione* 26., Nyssenus *Oratione* 2. S. Ambrosius lib. 1. *De Fide* cap. 5. num. 42. Quum tamen non solum plures alii Patres, sed etiam nonnulli istorum, quemadmodum vidimus lib. 3. cap. 1. tradiderint, dialecticam utiliter adhiberi in Sacra doctrina; nunc expendendum est, quo sensu quandoque asseruerint, philosophiam a divina scientia eliminandam. Duabus profecto de causis id affirmarunt: 1. quando dialectica, atque philosophia in quæstionibus Sacræ doctrinæ ita adhibentur, ut illis primus, auctoritati autem divini verbi secundus locus tribuatur: 2. quia quandoque ad illam tantum partem dialecticæ respexerunt, quæ tota in sophismatibus, et conten-

tione versatur, qua ethnici ad Christianam, hæretici ad fidem Catholicam evertendam identidem utebantur, ut rudes circumvenirent.

Prop. II. Quando Theologus aliqua mutuatur a philosophis, diligenter expendere debet, utrum ea sint innixa rectæ rationi, et quo magis hoc constiterit, eo etiam securius iisdem uti poterit.

Prob. prop. Philosophi est, sua placita, qua fieri potest, evidentiori ratione comprobare, indeque tantum valet auctoritas illius, quantum suadent ipsa principia rationis, quibus utitur in suis demonstrationibus. Ne igitur Theologus mutuetur a Philosophis, quæ sunt vel minus vera, vel non satis certa, advertere debet, utrum innixa sint rectæ rationi, quæ ab iisdem accepta in suum usum transfert.

Ex hoc autem nemo inferat, ex doctrina Philosophorum in Theologiam non redundare aliquam utilitatem, quoniam Theologus per se principia rationis perscrutari potest: nam hoc quidem verum est; tamen nullus negaverit, in libris Philosophorum principia rationis et distincte evoluta, et clare explicata plerumque occurrere, atque ulterius vi subtilioris ratiocinationis multa ex iisdem principiis collecta haberi apud eos, quæ nullo modo colligi posse videbantur. Illud quoque accedit, ut longe sit facilius videre, utrum assertiones Philosophorum rectæ rationi innixæ sint, quam acumine proprii ingenii ex principiis rationis nova quædam dogmata procudere.

Prop. III. Semel ac Philosophi in rem aliquam unanimiter consentiant; tunc sane præcipue auctoritas illorum plurimum fieri debet.

Prob. prop. Nam consensio multorum sapientum in unam, eamdemque rem multum auctoritatis apud unumquemque habere debet: Philosophi profecto in numerum veniunt sapientum virorum, qui in veritate perscrutanda diligentius incubuerunt. igitur dum ipsi consentiunt in rem aliquam, præcipue est plurimi facienda auctoritas illorum. Id tamen ita accipiatur, oportet, ut consensus Philosophorum de iis sit, quæ judicio illorum, atque perquisitioni subesse, et duce ratione investigari possunt. Nam Philosophi præ ceteris aliis principia rationis perscrutati fuere, quæque ex illis consequuntur, assequuti. Ceterum si agatur de aliis, quæ lumine rationis detegi non possunt; tunc sane auctoritas Philosophorum inter se consentientium nihili fieri debet.

CAPUT SECUNDUM.

De Auctoritate Jurisperitorum in Theologicis Disciplinis.

Quemadmodum jus Canonicum ex divina doctrina proficiscitur, quæque ad eamdem spectant, in eodem jure constituuntur; ita etiam jus Civile ex principiis rationis proficiscitur, atque colligit ex iis, quæ potissimum conducunt ad regimen illius societatis civilis, quæ servari debent inter homines. Lex enim humana, uti habet S. Thomas 1. 2. quæst. 95. art. 3., est sane quædam regula vera; attamen etiam ipsa regitur duplici superiori regula, quæ est lex divina, et naturalis. Si autem agatur de

regula naturali, seu de regula ipsius rationis, animadverti debet, quæ tam philosophia, quam jurisprudentia ex ea colligunt, uti illata ex ejusdem principiis, non esse eadem, sed diversa, diversumque objectum sibi propositum habere. Philosophia enim ex principiis rationis multa colligit, quæ et totam explicationem naturalium effectuum complectuntur, et in se continent ea omnia, quæ secundum rationem de Deo, substantiis spiritualibus, atque de honestate, et turpitudine morum disputari possunt: jurisprudentia autem in eo versatur, ut principia rationis adhibeat ad ea omnia sancienda, quibus civilis societas hominum regitur, atque gubernatur. Quia ergo Theologus, habita ratione societatis civilis, de pluribus ex sui officii ratione disserere debet, sicuti mox videbimus aliundeque Jurisperiti de iis agunt, quæ sunt jure civili constituta; ideo nunc primo agemus de necessitate juris civilis respectu disciplinarum Theologicarum, deinde da auctoritate Jurisperitorum.

Prop. I. Aliqua Jurisprudentiæ principia quandoque utilia Theologis, atque etiam necessaria esse possunt.

Hanc propositionem ita volumus intelligi, ut sermo sit de illis Jurisprudentiæ principiis, quæ in Republica bene morata longo usu recepta, atque probata esse, novimus. Illud quoque monemus, non putari a nobis, omnia principia Jurisprudentiæ Theologo quandoque utilia, aut necessaria esse, sed ea tantum, quæ habent aliquam connexionem cum multis, de quibus etiam Theologus disserere debet. Talia vero sunt illa potissimum, quæ sunt ordinata singulariter ad justitiam, quam inter se mutuo homines servare debent. De his enim etiam Theologus quandoque agat, oportet.

Prob. prop. Est sane Jurisprudentiæ sancire leges de vario, atque multiplici genere contractuum, qui inter homines ad conservationem societatis civilis ineantur, oportet. Profecto nimis facile est, ut Theologus judicare debeat, utrum in hac, vel illa emptione, non solum contra justitiam, sed etiam contra leges civiles aliquid commissum fuerit; utrum obligationem, quam cum altero ob initam conventionem quispiam contraxerit, servare, aut non servare debeat juxta statuta regionis, semel ac ex hujusmodi obligatione grave damnum consequatur: utrum ad hæc, vel illa præstanda quis teneatur, ad ista, vel illa damna compensanda, majores, minoresve impensas subeundas, hæc, vel illa pericula impedienda, habita ratione diversarum obligationum, quibus in favorem alterius sese obstrinxerit. Quum ergo hæc omnia, aliaque multa similia istis, prout publica utilitas, et bonum commune requirit, definita, atque determinata in jure civili habeantur, aliundeque hujusmodi definitionibus, atque determinationibus unusquisque parere debeat; necessarium sane est, ut Theologus eas noverit, atque loco certæ cujusdam regulæ habeat, quando, rogatus de hoc toto genere rerum, judicium ferre debet.

Dices. In cap. *Super Specula* Honorius III. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ interdicit Religiosis, ne exeant e claustris *ad audiendum legem*: hanc vero eamdem pœnam extendit etiam ad alios: ex

hoc autem colligitur, principia jurisprudentiæ Theologo neque utilia, neque necessaria esse.

R., Juxta plures Canonistas in prædicto capite absolute non prohiberi studium juris civilis, dummodo non principaliter, sed ad intelligendos Sacros canones fiat, atque etiam privatim tum a Religiosis, tum ab aliis, qui in prohibitione comprehensi sunt (a). »Hinc nemo inferat (in»quit Van Espenius *Juris Canonici* par. 1. tit. 2. cap. 6. num. 7.) legum »humanarum studium Clericis, et Monachis plane esse interdictum; »quandoquidem certum sit, Theologicæ scientiæ, præsertim ubi de jure, »et justitia tractat, legum civilium notitiam non parum conducere. Ca»nonicam quoque scientiam plurimum ex notitia legum adjumenti acci»pere, nimis evidens est.... Nullatenus proinde statuti, aut vocationi »Clericorum contrariatur studium legum civilium : modo ea fiat modera»tione, ut nec contra Apostoli præceptum, Deo militantes, negotiis se»cularibus implicentur, neque disceptationum forensium peritiam per »studium istud affectent."

Prop. II. Etiam Interpretes juris Civilis Theologis adjumento esse quandoque possunt.

Prob. prop. Multa quoque eorum, quæ desumpta ex lege civili ad rem Theologicam faciunt, quandoque non ita clare sunt exposita, ut aliqua explicatione non egeant, quemadmodum in omni genere legum sæpe contingit. Quare si potissimum in sua arte peritis fides præstari debet, tunc sane Jurisperiti consulendi erunt, et verus sensus legis ex eorum interpretationibus eliciatur, oportet. Quare non est dubitandum, quin Jurisperiti quandoque esse possint adjumento Theologis, non omnes tamen, sed illi, qui ad interpretandum jus civile a præclaris philosophis prudenter editum, præclari et ipsi, prudentesque philosophi accesserunt. Si enim in seligendis auctoribus cujuslibet facultatis præcavendum est, ut ceteris præferamus illos, qui solidioris doctrinæ laude supra alios floruerunt, id vel maxime attendi debet in hac facultate, de qua nunc loquimur.

LIBER DECIMUS

De Auctoritate Historiæ Humanæ.

Exemplum aliorum sequuti ultimum locum humanæ historiæ tribuimus, licet, uti mox videbimus, auctoritas humanæ historiæ quandoque tanta sit, ut si quispiam fidem ei detrahat, præter omnem prorsus rationem detrahat. Primo loco de ea fide disputabimus, quam humanæ historiæ æquo jure præstare possumus, atque debemus; deinde disseremus de usu humanæ historiæ, habita ratione disciplinarum Theologicarum. De hisce in duobus distinctis capitibus pertractabimus, distinctisque propositionibus in unoquoque capite rem totam explicare conabimur.

(a) *Videatur Fagnanus in præcit. cap.*

CAPUT PRIMUM.

De ea fide, quam humanæ historiæ æquo jure præstare possumus, atque etiam debemus.

Antequam expendamus, quæ utilitas ab humana historia in Theologicas disciplinas profluat, illud videndum est, quædam fides historiæ humanæ præstari debeat. Hoc enim semel constituto, illud quoque unicuique perspectum esse poterit. Quonam ergo testimonio evidentia moralis constituatur, 1. ostendemus: 2. a nemine æquo jure fidem denegari posse alli evidentiæ morali, cui historia innititur: 3. quæ in se omnem moralem evidentiam non habent, rejici non posse, uti non probabilia, semel ac ea a pluribus fide dignis tradita habeamus: 4. in historiæ veritate discutienda ad factum, non ad jus esse attendendum.

Prop. I. De morali evidentia alicujus facti omnino constat, quando illud ita est comprobatum auctoritate plurimorum, ut unusquisque assensum illi præbere debeat, semel ac recta ratione utatur.

Prob. prop. Evidentia moralis in eo posita est, ut licet non ostendat, rem aliquam fieri debuisse; tamen revera factam esse, nullum dubitandi locum relinquit. Ea vero prorsus innititur testimonio eorum hominum, quorum fides nullo modo in dubium revocari potest, ac propterea facit, ut veritas alicujus historiæ sit undequaque perspecta. Nam nemo profecto rationes metaphysicas exegerit in confirmationem alicujus facti historici, quum illud pendeat a voluntate facientis, qui ad agendum iis rationibus induci potuit, quæ aliquando in mentem alterius nullo modo cadere possunt. Factum itaque expenditur, non vero inquiritur in rationem facti, dum de historiæ veritate agitur. Quemadmodum ergo evidentia metaphysica, vel physica tunc habetur, quando metaphysicæ, vel physicæ rationes propositionem aliquam ita ostendunt, ut de veritate illius nullum dubitandi locum relinquant; ita etiam de morali evidentia alicujus facti omnino constat, quando illud ita plurimorum est auctoritate confirmatum, ut unusquisque ei assensum præbere debeat, semel ac recta ratione utatur.

Quoniam vero hac in re illud inquirendum superest, quandonam factum aliquod historicum ita sit aliorum auctoritate comprobatum, ut nemo utens recta ratione fidem illi denegare possit; ideo nunc facti omnium celeberrimi adhibito exemplo, hanc evidentiam, de qua loquimur, minutius explicabimus. Christi ergo resurrectionem a mortuis expendamus, prout facti historici rationem habet. Hoc sane factum auctoritate plurimorum ita confirmatum esse, contendimus, ut, qui utitur recta ratione, fidem illi denegare, nullo modo possit. Singillatim videamus de singulis, quæ simul unita certissimam moralem evidentiam pariunt.

1. Hoc factum non est solum unius, aut alterius testimonio confirmatum, sed plurimorum, qui inter se mirifice consentiunt; quandoqui-

dem legimus in Evangelica historia (a), Christum redivivum a mortuis non solum ab Apostolis visum fuisse, sed etiam ab aliis multis, et etiam *plusquam quingentis fratribus simul*. Omnes autem hac in re mirifici consentiunt, sicuti non solum constat ex Evangelica historia, sed etiam inde certissime evincitur, quia Judæi, licet nihil non tentaverint, ut Christi resurrectionem saltem suspectam redderent, tamen hujusmodi testium vel dissensionem, vel varietatem nunquam objecisse legimus. Quia vero iidem homines Christum redivivum a mortuis pluribus vicibus conspexerunt, consequens inde est, ut testimonium illorum æquivaleat testimonio longe plurimorum.

2. Nullus hac in re illusioni sensuum, errori phantasiæ, aut aberrationi mentis locus esse potuit: nam quos Christi resurrectionis testes amplissimos habemus, iidem ipsi Christum redivivum a mortuis se vidisse affirmant (b), spatio quadraginta dierum pluribus argumentis sibi esse confirmatam resurrectionem ejus, cum illo comedisse, atque bibisse, eumdem vidisse signa facientem, atque sibi præcepisse, ut suum Evangelium ubique promulgarent, et docerent omnes gentes, atque expectarent *Promissum Patris*, ac propterea a Hierusalem ne discederent. His semel positis, ita nunc ego: illusio sensuum in eo posita est, ut sensibus apparere videatur, quod revera non apparet, phantasiæ autem error contingit, quando phantasmata rerum confictarum nobis obversantur, tandem tunc habetur alienatio mentis, quæ dicitur *Enthusiasmus*, dum quis insania laborans recta facultate judicandi distituitur: sed fieri non potuit, ut Apostolis, ceterisque omnibus, qui viderunt Christum redivivum a mortuis, appareret, quod revera non videbant, audiebant, atque tangebant, phantasmata rei confictæ obversarentur, atque deesset recta facultas judicandi: nam ad hæc omnia requireretur 1. ut multorum eadem illusio sensuum, falsa repræsentatio phantasmatum, mentisque insania eodem modo fuisset: 2. ut eadem ratione oculi, aures, tactus, phantasia, et mens male affecta essent: 3 ut quo tempore unus, etiam alii multi hisce vitiis simul laborassent: 4 ut non semel tantum, atque iterum, sed sæpius id evenisset: 5. ut nemini eorum tam aperta deceptio unquam perspecta fuisset: 6. demum, ut alia omittamus, ut ita decepti et summam efficaciam ad persuadendum habuissent, et multos in suam fidem induxissent. Hæc vero omnia quum repugnent, illud quoque repugnare debet, fuisse locum in Apostolis vel illusioni sensuum, vel errori phantasiæ, vel aberrationi mentis.

3. Præjudicia infantiæ, et educationis, sicut etiam aliqua falsa persuasio hic tum in Apostolis, tum in aliis fingi non possunt. Nam in Judæis fuit opinio communis, atque vulgaris, Messiam, quem promiserant Prophetæ, cum potestate esse venturum, atque ulturum injurias gentis suæ: in qua quidem opinione etiam Apostoli fuerunt, atque perstiterunt, antequam Spiritum Sanctum reciperent. Sicuti enim legitur *Actorum* cap.

(a) *Marci cap.* 16, *Lucæ cap.* 24., *Joann. cap.* 21.
(b) *Legantur Evang. ult. cap.*

1., dum præcepit eis Christus, ne discederent a Hierosolymis, sed expectarent promissionem Patris, *qui convenerant*, *interrogabant eum dicentes*: *Domine*, *si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quibus Christus respondit, non esse illorum, *Nosse tempora*, *vel momenta*, *quæ Pater posuit in sua potestate*, simulque promisit, accepturos virtutem Spiritus Sancti, atque sibi testes futuros in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria usque ad ultimum terræ. Quæ autem Apostolorum, eadem etiam discipulorum opinio hac de re fuit: nam duo discipuli Jesu eunti cum illis dixerunt, se expectasse, ut ab eo Israel redimeretur (a). Quare quum viderint Apostoli, quum ceteri quoque omnes discipuli viderint, vivente Christo, nihil eorum contigisse, quæ ipsi eventura esse vulgo putabant, semel ac attenderent ad præjudicia infantiæ, a fide resurrectionis Christi avocabantur. In eam autem aliqua falsa persuasione inclinati esse non poterant, quia talis persuasio erat contra cognationem sui sanguinis: illa enim semel ac imbuti essent, suam gentem impiissimam omnium habere debebant.

4. Nullam causam Apostoli habuerunt, cur hac in re mentirentur. Licet hoc tantum facinus de sanctissimis viris ne leviter quidem quispiam suspicari possit, tamen ad majorem evidentiam facti, de quo agimus, Sanctos Apostolos ab hujusmodi crimine purgare aggredimur. Tota fides Apostolorum innixa erat resurrectioni Christi, nihilque supererat eis, quod sibi post præsentem vitam sperarent, si Christus non resurrexisset a mortuis: aliunde vero Christi resurrectionem inde omnibus non denunciarunt, ut aliquid utilitatis sibi in hac vita compararent, quin potius licet omnia mala, quæ jam præviderant, in se irruisse sentirent, tamen a cœpto opere nunquam destitere. Si ergo mentiti essent, id fecissent, et ut multa mala in hac vita sustinerent, et ut nullum fructum in altera reciperent. Apostoli ergo non solum nullam causam habuerunt, cur mentirentur, sed licet fuissent quidam perditi homines ab omni nihilominus suspicione mendacii longe abessent.

5. Etiamsi mentiri voluissent, non contigisset eis, ut alios in errorem inducerent. Nullo modo fieri potest, ut quis alios decipiat in iis, quæ et non multo ante tempore, et, ipsis videntibus, contigerunt, aliundeque valde referat ad illos inquirere in veritatem: si autem illud etiam accedat, ut non occulte, sed palam, non in obscuris locis, vel apud imperitum vulgus, sed tum in civitate celeberrima omnium, tum etiam ubique locorum æque apud omnes tam indoctos, quam doctos, sicuti vera traduci non possint, quæ falsa sunt; semper magis constat, fieri non posse, ut sit aliquis deceptioni locus. At vero Apostoli promulgarunt Christi resurrectionem, quæ et paulo ante tempore, et in eo loco contigerat, in quo morabantur; eam, inquam, resurrectionem, qua semel posita, Judæi omnium scelestissimos sese esse non videre non poterant, neque illam occulte, vel in obscuris locis promulgarunt, aut solummodo apud imperitum vulgus, sed palam, in maxima celebritate ho-

(a) *Lucæ cap.* 24. *v.* 21.

minum, ubique locorum, omnibus gentibus, atque nationibus, æque eunctis, tam doctis, quam indoctis: igitur Apostoli etiamsi mentiri voluissent, non contigisset eis, ut alios inducerent in errorem.

6. Apostoli revera mentiti non fuerunt. Fingamus plures homines in aliqua opinione gravissimi momenti, ex qua ipsa quoque salus illorum pendeat, inter se esse divisos, ita tamen, ut qui stant pro una parte sint præ aliis longe pauciores, non polleant opibus, eloquentia, scientia, dignitate, atque auctoritate non præstent, sed quidam sint e vulgo homines, atque tales ab omnibus habeantur: contra vero qui pugnant pro altera, in numero excedant prope in infinitum, doctrina, opibus, auctoritate, et dignitate multi eorum præcellant, atque etiam sibi subjectos habeant illos, qui in contraria opinione versantur. Priores ergo demus, testari coram omnibus, id se propriis oculis vidisse, quod semel ac verum esse ponatur, non solum consequitur, ut pro eis stet tota veritas, sed etiam uti impii, scelestissimi, omniumque facinorum rei habendi sint alii, qui contra sentiunt. Si ergo qui veniunt in hunc numerum, non clament contra veritatem illius rei, quam alii sese vidisse testantur, ipsi quoque ejus se evidentia convictos certissime produnt. At vero inter illos tam multos Judæos omnis conditionis, qui Apostolis adversabantur, nemo unus fuit, qui confictionem resurrectionis Christi eisdem exprobaverit: igitur ex ipso facto constat, Apostolos mentitos non fuisse.

Usque modo de tam clara, manifesta, atque certissima evidentia hujus facti, quam singulariter adduximus in exemplum, quia quæ contra eam Deistas impiissime excogitasse, legimus, effecerunt sane, ut nostri hujusmodi evidentiæ alia semper, atque alia argumenta æque certissima proponerent. Hac tota de re pluribus disseruimus in *Theologia Revelata*. De certitudine quidem evidentiæ moralis lib. 2. in pluribus lemmatibus; de facto autem, quod modo commemoravimus lib. 3. art. 2. §. 4.

Prop. II. Nemo, si recta ratione utatur, fidem detrahere potest evidentiæ morali, quam aliquod caput historiæ in se habeat.

Prob. prop. Mutua fide potissimum constat humana societas: nam, mutua fide semel sublata, unusquisque semper cavere sibi ab altero debet, quicumque tandem ille sit. At vero si evidentiæ moralis nulla ratio habeatur, mutua fides e medio prorsus tollitur: quandoquidem evidentia moralis nititur auctoritati plurimorum, cui ut fidem præbeamus, omnis ratio suadet: ergo si quæ debet, moralis evidentiæ ratio non habeatur, mutua fides e medio omnino tollitur: nemo igitur, si recta ratione utatur, fidem detrahere potest evidentiæ morali, quam aliquod historiæ caput in se habeat.

Deinde semel ac evidentia moralis nihili fiat, in maxima ignoratione rerum pene omnium cuncti versaremur: licet enim nobis comperta esse possent, quæ sunt subjecta sensibus, tamen cetera omnia, quæ latent sensus nostros, et ab aliis solummodo noscere possumus, omnino ignoraremus, vel sub quadam caligine tantum conspiceremus. Quum enim evidentia moralis ex testimonio aliorum omnem suam certitudinem habeat, si illa nihil valeat apud nos, actum sane erit de iis omnibus,

quæ ex aliorum relatione tantum nosse possumus, indeque versabimur in ignoratione et illorum omnium, quæ nostram ætatem præcesserunt, et fere omnium, quæ nostra ætate contingunt. Qua sane re nihil absurdius dici potest.

Dices. Physice fieri potest, ut ea quoque sint falsa, quæ moralem evidentiam in se habent: ergo evidentiæ morali fides æquo jure denegatur.

R. cum distinctione: et hujusmodi possibilitatis physicæ aliqua ratio haberi debet, neg.: haberi non debet, conc. Alia est ergo suspicio falsitatis, quæ physicæ possibilitati erroris innititur, alia, quæ in rationibus gravioribus suum fundamentum habet: propter istam debemus denegare fidem testibus, non vero propter illam, quæ in eo posita est, ut, si loquamur in sensu abstracto, et habita ratione intrinsecæ naturæ ipsius rei, non implicet contradictionem, falli homines, aut fallere. Non debemus, inquam, propter istam detrahere fidem testimonio hominum, quod evidentiam moralem in se habeat: nam non solum non sequitur, ut quis prudenter, rationabiliterque non agat, si ad hanc physicam possibilitatem non attendat, sed etiam ut quam maxime non minus imprudenter, quam irrationabiliter agat, si attendat ad illam, contra ac omnes homines semper fecerunt, immo ab omni fere actione etiam necessaria abstinere debeat. Nam physice fieri potest, ut semen mandatum terræ omnino pereat, extructum ædificium corruat, venenum sibi paratum quis habeat in cibo, vel potu, extructas insidias in via, ex negotiatione damnum gravissimum accipiat, pessimum exitum sortiatur in iis omnibus, quæcumque agit: igitur unusquisque ab his omnibus, aliisque sane multis ad vitam necessariis abstinere deberet, semel ac physicæ possibilitatis ratio aliqua habeatur. Quod si non est absurdum, et tam privato, quam publico bono contrarium, nihil sane esse potest.

Prop. III. Quæ in se omnem moralem evidentiam non habent, rejici non debent uti improbabilia, semel ac illa ab aliquibus fide dignis tradita habeamus.

Prob. prop. Quod accidit in iis, quæ spectant ad physicam, metaphysicam, atque alias scientias, idem quoque in historia contingit: sicut enim non omnia, quæ traduntur in illis, physicam, aut metaphysicam evidentiam habent, sed veritas nonnullorum nititur argumentis solum probabilibus; ita etiam eorum factorum, quæ scriptis tradita fuisse, novimus, non omnia in se continent moralem evidentiam, sed plura quamdam tantum probabilitatem in se habent, quia licet eo testimonio confirmata non sint, quod evidentiam moralem parit, tamen illud non deficit eis, quod ad aliquam fidem rationabiliter ingenerandam sufficit. Quare fidem etiam istis præstandam esse nunc tuemur, quia ad persuadendum vim aliquam habent. Et re quidem vera, si in ceteris scientiis eorum tantum rationem haberemus, quæ evidenter demonstrantur, nimis sane multa non curari a nobis, atque uti improbabilia rejici oporteret: nam talia esse plura eorum, de quibus in unaquaque scientia disputatur, nemo non novit. Si ergo et istis assensum magis minusque certum præ-

bemus, qualem argumenta suadent, ut præbeamus; ita quoque, si agatur de factis historicis, non solum illis omnino debemus assentiri, quæ morali evidentia sunt comprobata, sed etiam aliis sane multis magis minusque certam fidem præbere debemus, prout ferunt testimonia hominum, quibus illa comprobata novimus: alioquin sicuti in scientiis, ita etiam in historiis nimis multa occurrerent, quæ nihili fieri deberent, contra ac ab omnibus semper servatum fuisse, videmus.

Quare illud animadvertatur, oportet, nostrum assensum argumentis credibilitatis conformem esse oportere, ita ut si argumenta credibilitatis evidentia fuerint: assensus omnino certus esse debeat: si dubia; etiam assensus dubius: si verisimilia; assensus quoque sit magis, minusque probabilis, prout illa ad verum magis, minusque accedunt. Semper tamen dicendum est, suppetere argumenta probabilia credibilitatis, semel ac quod legimus traditum memoriæ posterorum, illud confirmatum esse constat ab iis, quibus æquo jure denegari non potest fides.

Prop. IV. In discutienda historica veritate ad rationem facti, non vero juris, attendi debet.

Prob. prop. Tunc habetur ratio ipsius facti, quando toti in eo sumus, ut videamus, utrum res aliqua contigerit, vel non contigerit: juris autem, quando inquirimus, cur contigerit, vel non contigerit. Semel ac morali evidentia constat de veritate facti, ei omnino acquiescendum esse, contendimus, licet aliunde non videamus, aut videre possimus rationem, cur factum illud contigerit. Nam omnes consentiunt, semperque consensere, quæ constant evidentia morali, suam omnem certitudinem retinere, quamvis illud non debuisse contingere, aliquæ rationes suadeant. Hoc autem inde manifestum est, quia si quidpiam contigit, nullo modo fieri potest, ut non contigerit, nulloque item modo fieri potest, ut contigerit, quod non contigit. Ex quo sane consequitur, ut demonstrationes morales habeant aliquid supra physicas: nam si quod illis firmissime constitutum est, istis neque tolli, neque labefactari potest, licet eæ quoque suam certitudinem habere videantur; inde sane inferri debet, ex hoc capite potiorem esse rationem demonstrationum moralium, quam physicarum.

Et re quidem vera circa id laboraremus, quod nunquam consequeremur, semel ac physicam rationem factorum investigare vellemus. Convenientiores rationes aliquarum rerum gestarum quandoque videmus, habito respectu eorum omnium, quæ res ipsas circumstant; attamen nunquam habemus tales rationes, quæ physice suadeant, quod factum esse constat. Quare si non contenti evidentia morali ipsius facti, ejusdem quoque physicam rationem expeteremus, id profecto expeteremus, quod nunquam futurum esset, ut assequeremur. Semper ergo magis magisque constat, in discutienda historiæ veritate ad rationem facti, non vero juris, attendendum esse.

Dices. Quod fieri non potuit, factum fuisse dici non debet: ergo semel ac ostendatur, fieri non potuisse, quod factum fuisse, moralis evidentia suadet, veritas illius omnino periclitabitur: ergo physica evi-

dentia si non habeatur, non omnino constat de veritate facti.

R., falso supponi, fieri posse, ut ostendatur, repugnare id, quod factum esse, moralis evidentia suadet: constat enim a posteriori aliquid fieri potuisse, semel ac, illud factum esse, omnino perspectum habeatur. Illæ ergo rationes, quas contra veritatem facti quispiam in medium protulerit, non sunt habendæ loco certarum rationum, sed quarumdam conjecturarum, quibus ipse mentem agentis eum in modum detorquet, qui sibi magis collibuerit, aut magis conveniens esse putaverit. Attamen nemini datum est videre, quid in sua mente habuerint homines in iis, quæ ab iisdem gesta fuisse, legimus.

CAPUT SECUNDUM.

De Usu Historiæ Humanæ respectu totius disciplinæ Theologicæ.

Illud in hoc capite superest explicandum a nobis, qualis, et quanta apud Theologos esse debeat humanæ historiæ auctoritas. Iis semel positis, de quibus in præcedenti capite egimus, haud difficile est, rem istam definire, atque constituere, hoc est, quam Theologus in argumentis ab humana historia petitis firmitatem reponere debeat. In priori ergo propositione, quoniam de re per se perspicua agitur, pauca quædam disseremus de necessaria connexione, quæ inter historiam humanam, et disciplinas Theologicas intercedit, in aliis vero quænam auctoritas humanæ historiæ deferenda sit, habita ratione illius majoris, vel minoris certitudinis.

Prop. I. Humana historia suppeditat disciplinis Theologicis, quod ipsis non solum valde utile, sed etiam necessarium est.

Prob. prop. Atque illud ante omnia præmittimus, de ea historia nos modo non loqui, in qua divinum verbum scriptum, vel traditum expressum habemus: hoc enim totum historiæ *genus*, divinitus traditum, est profecto primum, præcipuumque fundamentum totius Theologiæ. Nunc ergo in memoriam revocari debet, disp. 1. animadversum fuisse a nobis, dum de Theologiæ principiis ageremus, præter duo illa principia, hoc est, divinum verbum tum scriptum, tum traditum, dari etiam alia principia, quæ illorum primorum sunt quædam explicationes factæ ea auctoritate, quæ est in Ecclesia. Ad hujusmodi principia primo loco revocari diximus, quæ sunt universæ Catolicæ Ecclesiæ, Summorum Pontificum, et Œcumenicorum Conciliorum auctoritate constituta: secundo autem loco, et minus principaliter, quæ alicujus non Œcumenici Concilii, nonnullorum Patrum, Theologorum, et juris Pontificii peritorum, sicut etiam Sacrarum liturgiarum testimonio habemus comprobata. De his omnibus jam egimus, atque ostendimus, qua ratione Theologus e singulis hujusmodi locis sua argumenta ducere possit. Modo autem ita ad rem nostram. Ex iis, quæ tradita habemus memoriæ posterorum, et quamdam historiæ partem constituunt, profecto novimus, quænam universæ Ecclesiæ doctrina fuerit, quænam Summi Pontifices, et Concilia

Œcumenica decreverint, quid senserint, vel definierint Præsules congregati in aliis Conciliis, quænam de hac, vel illa re, nonnullorum Patrum, Theologorum, et Jurisperitorum sententia fuerit, quid demum in Sacris Liturgiis proditum habeamus: ergo quum hæc omnia sint loca Theologica, ex quibus sua argumenta Theologi depromunt, unicuique esse perspectum debet, ab humana historia suppeditari Theologicis disciplinis, quod iisdem non solum valde utile, sed etiam necessarium est.

Prop. II. Firmissimum argumentum a Theologo depromitur ex iis historiæ capitibus, quæ in se habent evidentiam moralem.

Prob. prop. Firmissimum argumentum ab eo principio depromitur, quod ita certum est, ut a nemine æquo jure in dubium revocari possit: sed ea capita historiæ, quæ in se habent moralem evidentiam, a nemine in dubium æquo jure revocari possunt, sicut in cap. præced. ostendimus: ergo ex iis capitibus historiæ, quæ moralem in se evidentiam habent, firmissimum argumentum depromitur a Theologo. Adverti tamen debet, hanc firmitatem argumenti, quæ ab ipsa evidentia historiæ petitur, pendere a duobus, hoc est, et ex certitudine facti, de quo ex ipsa historia evidenter constat, et ex connexione, quam cum facto, vel serie factorum id habeat, quod ex iisdem infertur. Nam ut ex historia firmum argumentum desumatur, non sufficit, ut ea moralem evidentiam in se habeat, sed etiam necessario requiritur, ut quod infertur ex hujusmodi historiæ genere, cum illo omnino connexum sit. Nam quamvis principia certitudinem, atque evidentiam habeant, tamen quod infertur ex illis neque certum, neque evidens esse potest, semel ac cum iisdem quodam nexu non conjungatur.

Quare dum nos hic constituimus, quænam argumenta Theologus ex historia, majoris, vel minoris certitudinis ejusdem historiæ habita ratione, desumere possit, non ad majorem, vel minorem certitudinem historiæ solummodo respectum habemus.

Prop. III. Aliquando probabile tantum, aliquando etiam certum argumentum Theologo suppeditatur ex iis, quæ aliqui viri graves, atque omni fide digni tradiderunt memoriæ posterorum.

Prob. prop. Aliquando viri graves, atque omni fide digni acceperunt ab aliis, quod tradiderunt memoriæ posterorum, aliquando autem ejusdem testes ipsi fuerunt: si prius habeatur; probabile tantum argumentum ex testimonio illorum desumi posse dicimus: si alterum; argumentum certum. Quamvis enim fides hujusmodi virorum nullo modo suspecta esse possit; tamen ipsi quoque ab aliis decipi potuere: unde quia non solum fide digni, sed etiam graves esse supponuntur, indeque non temere, et sine ratione aliis fidem præbuisse, inde est, ut ex illorum testimonio probabile argumentum erui semper possit. Quando autem viri tam graves, quam fide digni litteris tradiderint id, cujus testes ipsi fuerunt; tunc procul dubio ex hujusmodi factis historicis certum argumentum accipitur. Semel ac fides certa sit, et in suspicionem falsitatis nullo modo cadere possit, vel sit ea plurimorum, vel sit aliquorum tantum, maximi ponderis apud unumquemque esse debet.

LIBER UNDECIMUS

De illis notis, quibus ab Ecclesia proscribuntur eæ propositiones, quæ veritatibus fidei magis, minusque adversantur.

Notæ, quibus hujusmodi propositiones Ecclesia usque modo proscripsit, sunt variæ, atque multiplices. Habita potissimum ratione earum notarum, quibus Patres Constantienses Wicleffi errores, atque Joannis Hus, Pius V. Constitut. *Ex omnibus* Baji 76. propositiones Innocentius X. Constitut. *Quum occasione* quinque Jansenii propositiones, Clemens XI. Constitut. *Unigenitus* 101. Quesnelli propositiones proscripserunt omnes hujusmodi notas ad istas contrahi posse putamus, hoc est 1. dividimus propositiones in hæreticas, hæresi proximas, hæresim sapientes, de hæresi suspectas, hæresi, vel schismati faventes: 2. in erroneas, temerarias, scandalosas, male sonantes, et piarum aurium offensivas: 3. in blasphemas, impias, divinæ pietati derogantes, Ecclesiæ, et seculi potestatibus injuriosas, seditiosas, et schismaticas. De hac triplici divisione agemus in tribus distinctis capitibus,

Hoc tamen antequam facere aggrediamur, illud primo loco præmonemus, in una, eademque propositione plures respectus æquo jure animadverti, propterea que juxta diversos respectus diversis quoque censuris illam notari posse. Quare mirandum non est, si unam, eamdemque propositionem pluribus, diversisque notis proscriptam fuisse, legamus.

Deinde id quoque attendatur oportet, ob diversos respectus unius, ejusdemque propositionis contingere posse, ut una, eademque propositio prolata, vel scripta ab uno, Theologicæ censuræ, magis, minusque gravi, merito subjiciatur, non vero prolata, vel scripta ab altero: sensum enim, quo dicitur, vel scribitur ab uno, longe esse diversum a sensu, quo dicitur, et scribitur ab altero, multiplici ratione constare potest. Hinc easdem omnino propositiones, quæ in duobus auctoribus leguntur, quandoque in uno aliqua censura notatas fuisse legimus, non autem in altero.

Tandem adverti debet duobus modis spectari posse propositiones, quæ ab Ecclesia sub diversis censuris proscribuntur, hoc est, absolute, ac in se ipsis, et relative juxta sensum auctoris. Alexander VIII., et Innocentius XI. proscripserunt plures laxiores propositiones spectantes ad mores, nulla facta mentione auctorum, vel librorum, ex quibus extractæ essent. Leo X. Lutheri, S. Pius V. Baji, Innocentius X. Jansenii, Clemens XI. Quesnellii propositiones damnarunt juxta mentem illorum, atque sensum, quem iisdem ipsi tribuebant. In priori specie censuræ attendit Ecclesia ad obvium, et usu communi receptum sensum verborum: in altera ad sensum intentum ab auctore, qui quidem ex tota serie doctrinæ atque ex mente, et consilio auctoris potissimum colligitur.

Propositio, quæ damnatur absolute ab Ecclesia, vulgo unum tantum sensum obvium habet, eumque pravum: e contra propositio, quæ non

damnatur absolute, sed relative, est æquivoca, duplicemque habere sensum facile potest, unum rectum, et alterum erroneum, supra quem sane Ecclesiæ censura cadit. Quoniam vero propositio æquivoca duplicem sensum patitur, unum verum, alterum falsum, hujusmodi propositionem Ecclesia probat, quatenus illa sensum Catholicum, damnat autem, quatenus sensum habet erroneum aut habere potest. Hic sensus erroneus ab ipsa in se spectata propositione erui non potest, quia supponitur, verum quoque in ea innesse posse. Superest ergo, ut sensus erroneus eruatur ex intentione proferentis, de qua quidem intentione constat ex contextu totius doctrinæ. Quare semel ac Ecclesiæ compertum fiat ex contextu totius doctrinæ, sensum præintentum ab auctore esse erroneum, damnat propositionem juxta sensum illius. Hinc mirandum non est, si etiam antiquitus juxta mentem proferentis plures propositiones damnatas fuisse, legamus. Hac de re consulatur Bellellius *De modo reparat. hum. nat. post lapsum* in confutat. propos. 92. §. 4., Norisius *in Apologia Monachorum Scythiæ* cap. 1., et Thomassinus *Dissert.* 19. *in Synodum V. Œcumenicam* num. 52. et seqq.

CAPUT PRIMUM.

De Propositionibus hæreticis, hæresi proximis, hæresim sapientibus, de hæresi suspectis, hæresi, vel schismati faventibus.

Licet albo colori niger immediate opponatur, tamen cum illo aliquam oppositionem habent etiam alii colores, prout magis, minusque distant ab albedine, et ad nigredinem accedunt: ita quoque licet veritati fidei immediate opponatur hæretica propositio; tamen eidem veritati opponuntur etiam aliæ propositiones, et illæ quidem magis, vel minus, prout a veritate Catholica magis, vel minus recedunt, et cum errore illi immediate opposito majorem, vel minorem affinitatem habent. Quare tantum abest, ut illæ notæ multiplices, quas modo commemoravimus, superfluæ sint, quin potius fit iisdem, ut qua debent censura, et illa quidem neque acriori, neque mitiori, quam par est, erroneæ propositiones perstringantur.

Propositiones hæreticas in plures gradus distingui debere, nonnulli inde putarunt, quia non omnis propositio fidei spectat ad eumdem gradum, sed ad diversos. Turrecremata in *Summa de Ecclesia* lib. 4. part. 2. cap. 9. veritatum Catholicarum septem gradus distinguit, habita ratione principii immediati, ex quo innotescunt. Sunt qui putant, propositionem fidei in mediatam, et immediatam distingui debere: quæ est revelata per se, immediatam, quæ est revelata in alia propositione, seu principio, mediatam dicunt, indeque distinguunt duos gradus propositionum hæreticarum, quæ eisdem opponuntur (a). Verum licet, habita ratione principii proximi, ex quo fidei propositiones nobis innotes-

(a) *Videatur Suaresius* De Fide *disputat.* 19. *sect.* 2.

cunt, in diversos gradus eæ distingui possint, tamen in propositionibus hæreticis non est, cur gradus diversi constituantur. Nam omnis propositio fidei, sive illa tradita sit in Sacris litteris, sive a divino Verbo tradito habeatur, sive definita sit in Conciliis Œcumenicis, sive ab Apostolica Sede, sive demum per se, necessario consequatur ex divino Verbo tum scripto, tum tradito, definitione Conciliorum Œcumenicorum, ac Summorum Pontificum (qui sane juxta Turrecrematam septem gradus sunt propositionum Catholicarum) omnis, inquam, propositio fidei, quatenus hujusmodi, æque certa est, quia innititur veritati certæ, et infallibili: at propositione hæretica tollitur omnis illa certitudo, quæ proficiscitur et ex divino Verbo tam scripto, quam tradito, et ex definitionibus Summorum Pontificum, ac Conciliorum Œcumenicorum, atque evertitur omne istud fundamentum infallibilis veritatis, supra quod tota nostra fides innititur: ergo quævis hæretica propositio æque falsa est, et veritati fidei æque opponitur. Gradus ergo propositionum Catholicarum, quum non desumatur, neque desumi possit ex majori, vel minori certitudine divinæ revelationis, sed ex diversa ratione, qua hominibus manifesta fiunt revelata divinitus; ideo omnis propositio est æqualiter hæretica, semel ac opponatur divinæ revelationi nobis manifestatæ. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. licet in duas classes credibilia partiatur; tamen affirmat, ea quoque, quæ non spectant ad fidem primo, et per se, explicite ab unoquoque credi oportere, semel ac illi constet de eorumdem divina revelatione.

Singillatim ergo uti *notorie* et *manifeste* hæreticas aliquas propositiones damnatas fuisse, legimus, non quia præ aliis quibusdam essent magis hæreticæ, sed quia in iis hæresis adeo manifeste sese prodebat, ut nullus superesset tergiversandi locus. Dici etiam potest propositio *notorie* hæretica, quia nullus Catholicorum dubitat, utrum hæretica sit, nec ne.

Propositio hæretica est illa, quæ manifeste, adversatur aut expresse Verbo Dei, sive scriptum illud sit, sive traditum, aut expressæ definitioni Ecclesiæ. Expresso itaque Verbo Dei propositio adversari debet, ut hæretica dici possit, atque revera sit: si enim Dei Verbum non sit in se clarum, atque manifestum; tunc quæ illi contraria propositio adversatur, alia censura notanda erit, uti mox videbimus: si autem licet non sit in se clarum, atque manifestum; tamen Ecclesiæ judicio definitum habeatur, hanc, vel illam Catholicam veritatem in Verbo Dei contineri; tunc sane illa propositio, quæ adversatur veritati fidei ab Ecclesia definitæ, est hæretica. Ad hæresim namque requiritur, ut a doctrina Ecclesiæ Catholicæ manifesta separatio habeatur: hæc autem evidenter habetur, quando una propositio immediate opponitur alteri, quæ vel manifeste continetur in Divino Verbo scripto, aut tradito, aut Ecclesiæ definienti hanc, vel illam veritatem in divino Verbo contineri. Christi nativitas, passio, mors, sepultura ejus &c. atque alia dogmata fidei in divino Verbo sunt evidenter expressa: non esse rebaptizandos, qui ab hæreticis rite baptizati fuerint, uti Canonicos habendos eos omnes libros,

qui nunc in Sacrum Canonem recensentur, res sunt, quas in divino Verbo evidenter expressas non habemus, Ecclesia tamen illas definivit. Esset ergo æque hæretica illa propositio, quæ immediate adversaretur tum illis prioribus fidei dogmatibus, tum istis aliis, quia et de istis aliis, supposita Ecclesiæ definitione, dubitari non potest, quin ea in divino Verbo contineantur.

Illud nunc superest, ut definiamus, quandonam existimandum sit, notam hæresis cadere non solum supra propositionem, sed etiam supra eum, qui est auctor propositionis adversantis fidei: est ergo videndum, utrum quis ignoret, nec ne, quæ affirmat, aut negat, esse contra veritatem fidei: si enim id non ignoret; tunc, habita ratione erroris, quem tuetur, hæresis illius est omnino perspecta: si vero ignorantia in causa sit, cur aliquod dogma fidei quispiam neget: tunc adverti debet, utrum ignorantia sit affectata, an vero crassa: si sit affectata; tunc de hæresi illius dubitari non potest, quia ignorantia affectata non impedit, ne peccatum tale sit, quale revera esset, si a vidente et sciente committeretur: si autem sit crassa; tunc hæresis perfecta non erit, neque simpliciter hæreticus vocari poterit, qui in hujusmodi ignorantia versabitur, quia ob perfectam tantum, et consummatam hæresim quispiam hæreticus dici potest, si frequentem, eumdemque proprium hujus vocabuli usum servare volumus.

Quare ad veram, et proprie dictam hæresim etiam pertinacia requiritur. Theologi, et Jurisperiti consentiunt in hanc rem, eamque hac evidenti ratione Canus confirmat lib. 12. *De Locis Theologicis* cap. 8. »Hæresis (inquit) fidei Catholicæ maxime, et summe repugnat: non est autem perfecta fides, nisi intellectus assensio vera voluntatis recta consensione firmetur: igitur nec hæresis absoluta, et consummata est, nisi »falsum intellectus errorem prava voluntatis electio confirmet, ut quemadmodum in fide constantia veritatis exigitur; ita in hæresi contraria »insit pertinacia falsitatis."

Propositionem hæresi proximam cum erronea propositione coincidere, nonnulli putant; tamen quum erronea propositio sit omnino diversa ab hæretica, ideo nos arbitramur, eam, quæ dicitur hæresi proxima, cum erronea non coincidere. Illam ergo propositionem hæresi proximam esse statuimus, quæ expressam hæresim in se quidem non continet, ad hæresim tamen quam proxime accedit ob suam cum illa maximam affinitatem. Est ergo, uti dicebamus, hæretica propositio, quæ manifeste adversatur aut expresso Verbo Dei, sive scripto, sive tradito, aut definitioni Ecclesiæ: igitur hæresi proxima dicenda erit illa propositio, quæ licet non omnino manifeste, sive non immediate expresso Verbo Dei, vel scripto, vel tradito, aut definitioni Ecclesiæ adversetur, tamen aliquo modo, saltem mediate, adversatur, et oppositio ejus cum Verbo Dei, et definitionibus Ecclesiæ potissimum apparet ex iis, quæ consequuntur, tali propositione semel posita. Hujus generis est illa propositio: Christus non fuit risibilis: per se enim immediate non adversatur aut expresso

Verbo Dei, aut definitionibus Ecclesiæ: ad eam tamen naturaliter consequitur, Christum non fuisse verum hominem: quod sane hæreticum est.

Propositiones hæresim sapientes, vel de hæresi suspectæ non differunt simpliciter inter se, sed secundum magis, et minus. Utraque ergo species propositionis participat de hæresi, sed illa magis, quæ hæresim sapere, minus altera, quæ de hæresi suspecta esse dicitur. Hujusmodi propositiones in se spectatæ sensum quidem rectum habere possunt, tamen habita singulariter ratione loquentium, vel scribentium, quemdam saporem, aut suspicionem hæresis præseferunt: illa propositio: Pater major me est, prolata a Catholico, est sane catholica; sapit vero hæresim, dum legitur in libris Arrianorum. Ita illa propositio: B. Virgo est susceptrix Dei, qua Nestoriani suam hæresim occultabant, suspicionem hæresis in se habet.

Propositiones hæresi, vel schismati faventes sunt eæ, quæ hæresi, vel schismati adjumenta præbent, longiusque distant ab hæresi, quam aliæ duæ superiores.

CAPUT SECUNDUM.

De Propositione erronea, temeraria, scandalosa, male sonante, et piarum aurium offensiva.

Propositio erronea in doctrina fidei latius patet, quam hæretica: licet enim omnis propositio hæretica sit etiam erronea, non tamen omnis erronea est simul hæretica. Error duplici significatione accipi potest, primo universe, et generatim, quatenus ipse revera distat a quacumque veritate; secundo singulariter, atque theologice, prout est censura specialis, qua notantur aliquæ propositiones adversantes rectæ fidei, minus tamen, quam hæresis. De propositione erronea juxta priorem acceptionem modo non agimus, sed de ea solummodo pertractamus juxta alteram acceptionem.

Qua ratione inter se differant hæresis, et error, quatenus sunt notæ falsitatis, habita ratione doctrinæ fidei, non omnium una explicatio est; neque inter se auctores censentiunt, dum statuunt, in quo consistat illa diminutio, ut ita dicam, qua erronea propositio est aliquid minus propositione hæretica, aliquid vero majus propositione proxima hæresi. Eam ergo nos propositionem dicendam esse erroneam arbitramur, quæ opponitur doctrinæ non revelatæ expresse, sed tamen ea a multis sapientibus censetur esse revelata, aliunde vero hac de re ab Ecclesia nulla definitio prodiit. Hujusmodi enim propositio doctrinæ fidei adversatur, minus tamen, quam hæretica, utpote quæ expresso Verbo Dei, aut definitionibus Ecclesiæ immediate opponitur, magis autem propositione, quæ proxima hæresi dicitur, quia licet etiam ista Verbo Dei, vel definitioni Ecclesiæ adversetur, non tamen omnino manifeste, vel immediate adversatur, ejusque oppositio cum rebus fidei potissimum elucet ex illis, quæ ad eamdem consequuntur. Cum Bannesio itaque in 2. 2. quæst. 11. art. 1.

ultimo advertimus. »Quod primus, et potissimus gradus propositionis er»roneæ secundum communem loquendi morem Theologorum est, quando »quis dicit contrarium manifeste conclusioni Theologicæ, quæ per evi»dentem consequentiam colligitur ex fide, quæ tamen nondum est definita »ab Ecclesia, nec proposita tamquam traditio Apostolica, vel Sacra Scri»ptura. Et de hujusmodi propositionibus dicit M. Can. ubi supra, quod »modesti Theologi solent appellare illas erroneas."

Propositio temeraria, universe, atque generatim accepta, est illa, qua de re quavis quidpiam affirmatur sine maturitate judicii, atque certa ratione: nunc tamen nos de propositione temeraria agimus, quatenus circa ea, quæ sunt fidei, vel morum, ipsa versatur, et est singularis censura theologica distincta ab aliis censuris. Juxta hanc acceptionem tunc aliqua propositio temeraria dicitur, quando quoad fidem, vel mores ea quidpiam enunciatur, quod licet in se spectatum doctrinæ fidei non adversetur, est tamen contra unanimem sententiam Theologorum, vel communem sensum Fidelium. Adversari ergo aut unanimi sententiæ Theologorum, aut communi sensui Fidelium, est proprium, atque peculiare propositionis temerariæ: quamvis enim id habeant etiam aliæ propositiones, notandæ censura graviori: id tamen primo et per se ex sui natura non respiciunt, sed aliquid sane gravius contra fidem, vel mores. Propositiones autem, quæ merentur aliquam censuram, inter se invicem distingui, diversaque censura notari debent, ejus potissimum habita ratione, quod ipsæ primo, et per se respiciunt. Temeraria igitur propositio erit illius, qui aut affirmaverit, certo determinato die, mense, aut anno futurum universale judicium, vel negaverit Beatam Virginem cum corpore in cælum assumptam fuisse: hoc enim est contra communem sensum Fidelium, illud contra doctorum consensionem et cautum a Later. Concilio sub Leone.

Propositio scandalosa ea dicitur, quæ ex natura sui spiritualem ruinam parit in aliis, licet nec error, nec hæresis aperte in illa notari possint. Quare hujus propositionis, prout distinguitur ab aliis, est sane malum singulare, peccati occasionem præbere: ita esset scandalosa illa propositio, qua quispiam assereret: plura incommoda consequi ad confessionem auricularem: fieri enim inde facile posset, ut aliqui ab auriculari confessione averterentur.

Propositio male sonans, et piarum aurium offensiva, quamvis inter se differre non videantur, revera tamen differunt, et quidem etiam judicio ipsius Ecclesiæ. In notione utriusque propositionis adverti debet, ad vulgi judicium non esse attendendum: sæpe enim fit, ut imperitum vulgus ob suam inscitiam, male sonare censeat aliquam propositionem, quæ revera haud male sonat, aut aures illius offenduntur hujusmodi propositione, quæ nihil minus, quam offensionis in se habet.

Propositio ergo tunc singulariter dicitur male sonans, et censura Theologica peculiariter notata esse intelligitur, quando non quid hæreticum, aut aliquo modo affine hæresi, sed quid non rectum sonat in auribus ali-

quorum, qui tum pietate, tum doctrina præstent: talis esset hæc propositio absolute prolata: opera religionis nimis multiplicata sunt apud Catholicos.

Propositio piarum aurium offensiva vocatur singulariter talis, quæ non quidem ob pravum sensum, quem in se habeat, vel juxta rectam acceptionem habere possit, quorumdam pias aures ofendit, sed ob modum, quo ipsa exprimitur. Quare hæc propositio a male sonante inde distinguitur, quia pravum quoque sensum habere potest, non vero male sonans. Totum ergo malum propositionis offensivæ piarum aurium in eo positum est, ut aliquibus ea de causa sit offensioni, quatenus minus convenienti ratione concepta est: tales sunt profecto plures Moralis Theologiæ propositiones, in quibus vel minutius explicantur, quæ non oporteret, vel eo modo explicantur, quo non deberent. Hac quoque de propositione dum agitur, attendendum est, quorum tandem aures offendat: quæ enim aliquando offendit aures vulgi, nullo modo eumdem effectum producit in auribus hominum non minus piorum, quam sapientum.

CAPUT TERTIUM.

De Propositione blasphema, impia, divinæ pietati derogante, Ecclesiæ, et seculi potestatibus injuriosa, seditiosa, et schismatica.

Propositio blasphema, quæ etiam impia dici inde potest, quia est singulariter contra pietatem servandam erga Deum, et Sanctos, id in se continet, quod est injuriosum Deo, vel Sanctis, quatenus Deo, vel Sanctis tribuitur, quod non convenit, vel quod convenit, de iisdem negatur. Unde nota propria, atque singularis hujus propositionis in eo consistit, ut ob illam aliqua injuria inferatur Deo, vel Sanctis, quatenus, aut tribuitur illis, quod nullo modo convenire potest, aut non tribuitur, quod necessario convenire debet. S. Thomas 2. 2, quæst. 13. art. 1. advertit, Deo, quod non convenit, vel convenit, duplici ratione tribui, vel negari posse, hoc est, et secundum opinionem tantum, et etiam secundum affectum: propositio est simul blasphema, et hæretica, si hoc alterum habeatur: blasphema vero tantum, si prius. Quare sicut non omnis propositio hæretica est simul blasphema; ita etiam non omnis propositio blasphema est hæretica, indeque una ab altera secundum sui singularem rationem recte distinguitur.

Propositio derogans divinæ pietati censetur illa, qua pietas Dei quodammodo contrahitur, atque constringitur, minusque fit extensa, quam revera est, et ab omnibus haberi debet. Hanc Jansenii propositionem 5.: „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus „mortuum esse, aut sanguinem fudisse," una cum aliis censuris ista quoque notatam fuisse legimus, hoc est, quod esset divinæ pietati derogans. Et jure quidem merito, quia in ista propositione præter alios errores, no-

tandos distinctis censuris, ista quoque occurrit respectu pietatis Dei, quæ sane contrahitur, atque restringitur.

Propositio injuriosa Ecclesiæ, aut potestatibus seculi, est ea, qua tum de Ecclesiæ, tum de potestatum seculi debito honore aliquid detrahitur: quod sane tunc potissimum contingit, quando illius disciplina carpitur, atque improbatur, istarum vero auctoritas in malum usum trahitur. Hujusmodi censura Quesnellii propositiones, notatas fuisse, legimus. Præter alias propositiones super quas talis censura cadere, videtur, si ad Ecclesiæ injuriam attendatur, hæc una est num. 101. »Nihil spiritui Dei, »et doctrinæ Jesu Christi *magis* opponitur, quam communia facere ju»ramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, la»queos tendere infirmis, et idiotis, et afficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum." Si autem attendatur ad injuriam potestatis seculi, eidem injuriosa est hæc altera num. 96. »Deus per»mittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut »ejus victoria attribui non possit, nisi gratiæ Dei." Est utraque Quesnellii.

Propositio seditiosa est ea, quæ inducit populos ad non parendum legitimis potestatibus, sive Ecclesiasticis, sive laicis. Sunt, qui non distinguant propositionem seditiosam a schismatica: verum enimvero licet omnis propositio schismatica sit seditiosa, non tamen omnis seditiosa est schismatica. Semel ac enim propositio sit apta ad tumultus excitandos, seditiosa erit: ut vero sit schismatica, schisma, seu separationem, et non solummodo tumultus, respicere debet. Ita, non solum est falsa, atque injuriosa potestati Ecclesiæ, sed etiam seditiosa hæc 93. propositio Quesnelli: »Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum pasto»rum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi »considerato zelo rescindunt." Quomadmodum etiam Bellellius *De modo reparat. hum. nat. post lapsum* part. altera in confutat. citatæ proposit. animadvertit.

Tandem schismatica propositio id enunciat, quo semel posito, sequitur conscissio unitatis Ecclesiæ. Quemadmodum animadvertit S Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1., unitas Ecclesiæ consistit in duobus, hoc est, et in connexione, seu communicatione membrorum Ecclesiæ ad invicem, et in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput, quod est Christus, cujus vices hic in terris gerit Romanus Pontifex. Unde, sicut inquit idem S. Doctor, »Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt »Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare »recusant." Quare propositio, quæ comparata sit ad talem scissionem inducendam, schismatica recte dicitur, eique proprium est, prout distinguitur ab aliis propositionibus notandis aliqua censura, Ecclesiæ unitatem scindere. Ad hoc sane tendit, eodem Bellellio monente loco supra citato, Quesnelli ista propositio. 91. »Excommunicationis injustæ »metus nunquam nos debet impedire ab implendo debito nostro: nun»quam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia ab ea vi»demur expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per ca-

»ritatem affixi sumus." Audiendus sane hac de re S. Gregorius M. lib. 2. homil. 26. in *Evangelia* num. 6. inquiens; »Sed utrum juste, an in»juste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, »qui subest, et quum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ »sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscre»te timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari »timeat vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne, »etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa, »quæ non erat, fiat."

LAUS DEO.

INDEX
TOMI PRIMI.

DISPUTATIO I.

De quibusdam Prolegomenis præmittendis ante explicationem Locorum Theologicorum. Pag. 1

LIBER UNICUS

De iis omnibus, quæ in hac rem prævie animadverti debent. ibid.

Cap. I. De notione Theologiæ, ejusque divisione. ibid.
Cap. II. De objecto et fine Theologiæ. 2
Cap. III. De Principiis Theologiæ. 4
Cap. IV. De Theologicis consequentiis, seu conclusionibus, earumque diversitate. 6
Cap. V. De certitudine consequentiæ Theologicæ, habita ratione principiorum, ex quibus infertur. 8
Prop. I. Quæ ex hoc genere principiorum inferuntur consequentiæ Theologicæ, eamdem ac ea, quæ sunt fidei, certitudinem non habent. ibid.
Prop. II. Consequentiæ Theologicæ illatæ ex illis Theologiæ principiis, quæ primo, et præcipue sunt explicationes primorum, atque germanorum Theologiæ principiorum, non sunt ejusdem certitudinis cum iisdem principiis. 10
Prop. III. Illæ etiam consequentiæ Theologicæ, quæ inferuntur ex tribus ultimis principiis Theologiæ, non sunt ejusdem certitudinis cum illis. ibid.
Cap. VI. De certitudine relativa consequentiarum Theologicarum, earumdem cum suis relativis principiis habita ratione. 11
Prop. I. Si ad principia solummodo attendamus, præ aliis omnibus consequentiis Theologicis major certitudo inest iis, quæ ex propriis germanis Theologiæ principiis inferuntur. ibid.
Prop. II. Sub eodem respectu ad prædictarum consequentiarum certitudinem quam proxime accedunt consequentiæ Theologicæ illatæ ex illis principiis, quæ primo, et præcipue sunt veluti explicationes propriorum, et germanorum Theologiæ principiorum, minus vero proxime aliæ, illatæ ex aliis principiis, quæ minus præcipue sunt explicationes propriorum, et germanorum Theologiæ principiorum. ibid.
Prop. III. Consequentiæ Theologicæ illatæ ex iis principiis, quæ ab

aliis disciplinis Theologia mutuatur, sunt præ aliis omnibus inferioris certitudinis, semel ac ad principia attendatur. 12
Cap. VII. De certitudine consequentiæ Theologicæ semel ac ad eam connexionem attendatur, quam habet cum suis principiis. ibid.
Prop. I. Certitudo consequentiæ Theologicæ magis pendet a connexione, quam habet cum suis principiis, quam ab ipsa certitudine principiorum. ibid.
Prop. II. In ferendo itaque judicio de certitudine consequentiæ Theologicæ ad duo simul attendatur oportet, hoc est, et ad principia ejus, et ad connexionem, quam cum iisdem habet. 13
Prop. III. Diversus est gradus certitudinis consequentiæ Theologicæ secundum diversitatem tum certitudinis principiorum, tum connexionis, quam cum iisdem habet. ibid.
Prop. IV. Una consequentia Theologica propter majorem connexionem cum suis principiis potest esse certior altera, quamvis illa habeat principia minus certa, ista autem magis certa. ibid.
Cap. VIII. De quibusdam regulis, quas Theologus ob oculos habere debet, dum judicat de Theologicis consequentiis. 14
I. Regula. Quoniam principia Theologiæ; et sunt plura, et non omnia unius ejusdemque auctoritatis, aliundeque ex certitudine principiorum aliqua ex parte pendet certitudo consequentiæ Theologicæ ex quibusnam Theologiæ principiis consequentia Theologica eruatur, Theologus advertere debet, ut de certitudine ejus rectum judicium ferre possit. ibid.
II. Regula. Theologus diligentissime animadvertere debet, quam connexionem habeat cum suis principiis consequentia Theologica, ut de certitudine ejus recte judicare possit. 15
III. Regula. In ferendo judicio de certitudine consequentiæ Theologicæ magis attendi debet ad connexionem illius cum suis principiis, quam ad ipsam certitudinem principiorum. 16
IV. Regula. Theologus numquam putare debet, consequentiam Theologicam esse ejusdem certitudinis cum suis principiis. ibid.
V. Regula. Illud Theologus semper meminisse debet, non eadem ratione esse decertandum tum pro iis, quæ spectant ad fidem, tum pro aliis de quibus a Catholicis in utramque partem disputatur, ac etiam eas consequentias Theologicas, quæ prius illud doctrinæ caput respiciunt, pluris esse faciendas, quam alias, quæ spectant ad alterum. ibid.
VI. Regula. Quoniam Theologus de iis quoque agere quandoque debet, quæ vel suaderi solummodo possunt, non vero ostendi, atque demonstrari; tunc advertere debet, consequentiæ Theologicæ aliquam tantum probabilitatem, non vero certitudinem inesse. 17

DISPUTATIO II.

De Locis Theologicis. 18

LIBER PRIMUS

De Sacra Scriptura. ibid.

Cap. I. De divina inspiratione Sacrorum Librorum. ibid.
Prop. Singulæ particulæ librorum Canonicorum, Spiritu Sancto regente, scriptæ fuere, ac propterea nulla omnino falsitas, quæ propter memoriæ lapsum, aut quemvis alium defectum aliquando obrepit, in Sacris libris ocurrere potest. 19
Cap. II. De modo divinæ inspirationis, seu de ea ratione, qua Sacri Auctores singulariter inspirati fuere. 27
Prop. I. Sacra Scriptura semper eaque est verbum divinum, sive suggesserit Deus Sacris Scriptoribus etiam phrases, atque verba, sive non suggesserit. 28
Prop. II. Dicendum est quamplura esse in Sacris litteris, quæ etiam quo ad phrases, et verba fuerunt inspirata divinitus. ibid.
Prop. III. Sacræ litteræ suadent, quamvis non ostendant, divinis scriptoribus verba quoque suggesta fuisse, quæcumque tandem scripserint divina inspiratione ducti. Hoc idem nonnulli Sancti Patres uti rem certam habuerunt. 29
Cap. III. De Canone Divinarum Scripturarum. 30
§. I. De quibusdam libris, qui citantur a Sacris scriptoribus Veteris Testamenti. 31
Prop. Probabilius esse putamus, antiquitus non extitisse aliquos libros vel sacros, vel canonicos, præter illos, quos nunc habemus in Testamento Veteri. ibid.
§. II. De Canone Hebræorum. 32
§. III. De Canone Ecclesiæ Catholicæ. 34
Prop. I. Liber Esther in Sacrum Canonem jure, meritoque recenseri debet. 35
Prop. II. Liber Tobiæ, et Judith in Sacrum Canonem jure, meritoque referri debet. 37
Prop. III. Liber Sapientiæ, et Ecclesiastici spectant ad Sacrum Canonem. 38
Prop. IV. Liber Baruch, sicut etiam libri Machabæorum e Sacro Canone expungi non debent. ibid.
Prop. V. Epistola ad Hebræos et D. Paulo tribui debet, et est divinæ auctoritatis. 39
Prop. VI. Epistola Jacobi est revera illius atque divinæ auctoritatis. 42
Prop. VII. Epistola II., quæ S. Petro tribuitur, revera est illius, atque divina. 43
Prop. VIII. Secunda, et tertia Epistola, quæ tribuuntur S. Joanni,

sunt revera illius, atque divinæ auctoritatis. 44
Prop. IX. Epistola, quæ tribuitur Apostolo Judæ, est revera illius, atque divina. 45
Prop. X. Apocalypsis et S. Joannem Apostolum auctorem habet, et est liber divinitus inspiratus. 46
§. IV. De Canone Hæreticorum. 49
Cap. IV. De ea auctoritate, qua est præfigendus Canon Divinarum Scripturarum. 50
Prop. I. Canon Divinarum Scripturarum sola earumdem auctoritate nullo modo constitui potest. ibid.
Prop. II. Ipsi quoque ratioui repugnat, ut quilibet homo privatus conficiendi Canonem Divinarum Scripturarum potestatem sibi tribuat. 51
Prop. III. Non solum privati hominis, sed neque etiam alicujus communitatis, seu cœtus singularis esse potest conficere Canonem Divinarum Scripturarum. ibid.
Prop IV. Ad eam tantum Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, et revera est, spectare potest constituere, et determinare Canonem Divinarum Scripturarum. ibid.
Prop. V. Ab Ecclesia, si pro universo cœtu fidelium ea accipiatur, nullum hujusmodi judicium expectari potest, vel debet. 52
Prop. VI. Quinam sint libri Canonici, æquo jure definitur etiam ab universæ Ecclesiæ Præsulibus in Concilio Œcumenico simul congregatis. 53
Prop. VII. Supremi Ecclesiæ capitis est præcipue constituere, quinam libri in Sacrum Canonem referri debeant. ibid.
Prop. VIII. Quæ quo ad rem istam quondam in Ecclesia fuit, semper etiam perstitit auctoritas. ibid.
Prop. IX. Quamvis spectet ad Ecclesiam constituere et determinare Canonem Scripturarum, tamen inde non consequitur, ut divina humanæ auctoritati subjiciatur. 56
Prop. X. Arcanum Spiritus Sancti testimonium contra ipsam experientiam confingitur a Protestantibus, et quamvis ita non confingeretur, tamen nullo modo idoneum esse posset ad judicium ferendum de numero Sacrorum librorum. 59
Prop. XI. Semel ac admittatur arcanum testimonium Sancti Spiritus eo sensu, quo admittitur a Protestantibus, auctoritas Divinarum Scripturarum e medio prorsus tollitur tam quoad integros libros illarum, quam quoad præcepta fidei, et morum. 60
Cap. V. De Auctoritate Vulgatæ. 64
Prop. I. Quænam editio Divinarum Scripturarum Authentica sit, Ecclesiæ auctoritate constituatur, oportet. 67
Prop. II. Recte, sapienterque Tridentini Patres definierunt, eam editionem, quæ vulgata dicitur, esse Authenticam, atque omnibus aliis editionibus Latinis omnino præferendam. 68
Capi. VI. De diversis Sacræ Scripturæ sensibus. 71

Prop. I. Quatuor sunt sensus, quibus Sacræ Scripturæ verba accipi possunt, hoc est, litteralis et spiritualis, atque hic quidem vel est allegoricus, vel moralis, vel anagogicus. 72

Prop. II. Scriptura secundum sensum litteralem vim majorem habet ad res fidei comprobandas, erroresque contrarios refellendos, quam secundum sensum spiritualem. 74

Prop. III. Etiam sensus spiritualis suam efficaciam habet ad probanda dogmata fidei, et errores contrarios refellendos, quum ipse quoque sit a Spiritu Sancto præintentus. 75

Prop IV. In sensu accomodatitio nulla inest divina auctoritas ad tuenda dogmata fidei. 77

LIBER SECUNDUS

De Sacris Traditionibus. 78

Cap. I. De Divisione Traditionum Apostolicarum. ibid.

Cap. II. De divinis traditionibus, quatenus Ecclesia in lege naturæ suum omne fundamentum in iis habuit, in lege autem scripta aliquod saltem habuit. 79

Prop. I. Tam in lege naturæ, quam in lege scripta, fuit aliqua traditio divina, quæ uti fidei regula haberetur, atque revera esset. ibid.

Cap. III. De ea ratione, qua Sacræ Traditiones nobis compertæ esse possunt. 81

Prop. I. Si quod dogma fidei Patres ab initio secundum successionem suorum temporum summa consensione tenuerunt, ejusque contrarium uti hæreticum refutarunt, quod tamen ex Sacris litteris non habeatur, illud nimirum Ecclesia accepit ab Apostolica Traditione. ibid.

Prop. II. Quod Sancti Patres in expositione Scripturæ unanimi consensione docuerunt, divinam auctoritatem habet, quæ ab ipsa divina Traditione descendit. 83

Prop. III. Quod ex consensione Catholicæ Ecclesiæ uti dogma fidei credendum proponitur, ex Sacra Traditione profectum esse, dici debet, semel ac illud nec in Sacris litteris traditum, neque in Conciliis institutum, sed semper retentum sit. 86

Prop. IV. Romana Ecclesia est certissima regula, qua cognoscitur, quod habemus divinitus traditum, indeque, si hac de re oriatur aliqua quæstio in aliis Ecclesiis, Romanæ judicium attendi debet. 88

Prop. V. Semel ac dubitatur, utrum aliquid sit divinitus traditum, et quia de eo nihil definitum habemus, et quia non una, et eadem apud diversas Ecclesias est fides; id tenere, aut servare debemus, quod a pluribus Ecclesiis, atque majoris auctoritatis tenetur, et servatur. 93

Cap. IV. De Auctoritate divinarum Traditionum. ibid.

Prop. I. Si divinæ Traditiones considerentur, quatenus sunt quoddam factum, quam maximam auctoritatem habent. 93
Prop. II. Unanimis est omnium sententia Patrum, voce tantum Ecclesiæ tradita fuisse aliqua inspirata divinitus, quæ ad fidem æque spectarent, ac cætera omnia, quæ leguntur in Sacris litteris. 95
Prop. III. De auctoritate divinarum Traditionum etiam ex Sacris litteris compertum est. 100
Cap. V. De necesitate Traditionum divinarum. 102
Prop. Sine Traditionibus sufficienter provisum non esset iis contentionibus, quæ in Ecclesia facile occurrere possunt, et revera sæpe occurrerunt, sicuti etiam vel semper, vel saltem maxima ex parte incerta esset regula illa fidei, quæ petitur ex Sacris litteris. ibid.
Cap. VI. De ea contradictione, qua Protestantes etiam in hoc capite doctrinæ implicantur. 106
Prop. Protestantes non sine contradictione et negant absolute Traditiones, et simul admittunt quo ad aliquas veritates, illisque etiam utuntur ad suos errores confirmandos, immo unicam suæ fidei regulam traditionibus acceptam referunt. ibid.

LIBER TERTIUS

De Ecclesia. 108

Cap. I. De Notione Ecclesiæ. ibid.
Cap. II. De eo principio, a quo Christiana Ecclesia suam originem habuit, suamque legem accepit. 109
Prop. I. Ecclesia Christiana suam a Christo originem habuit. 110
Prop. II. Lex Evangelica habet rationem veræ legis, et est a Christo Legislatore. ibid.
Cap. III. De Ecclesiæ Visibilitate, Indefectibilitate, et Infallibilitate. 115
§. I. De Visibilitate Ecclesiæ. ibid.
Prop. Ecclesia est ita visibilis, ut omnium oculis semper conspicua fuerit. 116
§. II. De Indefectibilitate Ecclesiæ visibilis. 118
Prop. Ecclesia visibilis est etiam indefectibilis. ibid.
§. III. De Infallibilitate Ecclesiæ. 120
Prop. Infallibilitas, sive active, sive passive accepta est propria Ecclesiæ in iis omnibus, quæ ad fidem, aut mores spectant. 121
Cap. IV. De Forma Ecclesiæ. 122
§. I. De Oppositione, quæ est inter formam Collegii, et formam Ecclesiæ. 123
Prop. Institutioni Ecclesiæ repugnat, ut ea instar Collegii habeatur. ibid.
§. II. De Hierarchia Ecclesiastica. 132
Prop. I. Talis est Hierarchia Christianæ Reipublicæ, ut in ea re-

gimen sit penes Clerum, a Laicis autem obedientia præstari debeat. 132
Prop. II. Nomen Cleri trahit suam originem ex Sacris litteris, neque ob illud factum fuit, ut laici despectui haberentur. 135
Cap. V. De Membris Ecclesiæ. 136
Prop. I. Ob defectum professionis Christianæ fidei excludi debent ab Ecclesia omnes infideles, ob defectum autem Catholicæ fidei publici hæretici, et apostatæ. 137
Prop II. Ob defectum communionis Sacramentorum non sunt in Ecclesia Catechumeni, et excommunicati, illi, quia nondum ad eam admissi, isti, qui ab eadem ejecti fuerunt. 139
Prop. III. Ob defectum subjectionis, quæ legitimis Pastoribus, atque Supremo capiti Ecclesiæ debetur, Schismatici sunt extra Ecclesiam. 140
Prop. IV. Falsum est spectare ad Ecclesiam solos prædestinatos. 141
Prop V. Ecclesia non constat solis justis, sed habet admixtos peccatores etiam manifestos. 144
Prop. VI. Hæretici occulti sunt in Ecclesia, semel ac verum baptisma susceperint, aut cum aliis fidelibus in exteriori communicatione sub legitimis pastoribus conjuncti permaneant. 147
Cap. VI. De Notis veræ Ecclesiæ. 148
§. I. De Ecclesia quatenus est Una. 149
Prop. I. Catholici arctissimo vinculo inter se uniti sunt. ibid.
Prop. II. Catholici arctissimo vinculo uniti sunt tum suis Præsulibus, tum Supremo capiti Ecclesiæ. 150
§. II. De Ecclesia quatenus est Sancta. 152
Prop. Sancta est Ecclesia ob sui vocationem, atque professionem, atque etiam in pluribus suis membris habet interiorem sanctitatem. ibid.
§. III. De Ecclesia, quatenus est Catholica. 153
Prop. Ecclesia jure merito Catholica dicitur, tum quia ubique gentium extenditur, tum quia ejus de fide, atque moribus eadem semper apud omnes doctrina ab ipso initio Christianæ Religionis ad hæc usque tempora fuit, ac semper erit. ibid.
§. IV. De Ecclesia, quatenus est Apostolica. 155
Prop. Ecclesia est etiam Apostolica tum quia credit, et docet, quod Apostoli crediderunt et docuerunt, tum quia fundata ab Apostolis regitur per successores Apostolorum. 156

LIBER QUARTUS

De Auctoritate Romani Pontificis. 157

Cap. I. De Capite Visibili Ecclesiæ. 158
Prop. Quia Ecclesia est visibilis, requirit etiam visibile caput. ibid.
Cap II. De Capite illo visibili, quod Christus in ipsa Ecclesia constituit. 161

Prop. Christus suæ Ecclesiæ Supremum caput constituit S. Petrum, eumque non solum ordinis, et dignitatis, sed etiam supremæ potestatis, et jurisdictionis auctoritate communivit. 162

Cap. III. De infallibilitate Petri, quatenus docebat Ecclesiam, aut oves firmabat in fide. 171

Prop. Petrus errare non potuit, dum, quæ sunt fidei, Ecclesiam doceret, aut oves in fide confirmaret. ibid.

Cap. IV. De Suprema legislativa potestate Petri super universam Ecclesiam. 175

Prop. I. Dubitari non potest, quin Christus supremam legislativam potestatem Petro contulerit. ibid.

Prop. II. Petri legislativa potestas, quæ ex illius suprema præfectura auctoritatis, atque potestatis super universam Ecclesiam proficiscebatur, suprema erat, nullique alteri potestati subjecta. 176

Prop. III. Suprema S. Petri legislativa potestas etiam vim cogendi habuit. 178

Cap. V. De Supremo Visibili capite Ecclesiæ, quod S. Petro successit. 179

Prop. I. Petrus Romam venit, in ea omnium primus fidem Christi Gentibus annuntiavit, atque Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, eique usque ad obitum præfuit. 180

Prop. II. Romani Pontifices S. Petro succedunt in Episcopatu. 182

Prop. III. Quomodo Petri proprium fuit; ita est etiam Romanorum Pontificum Ecclesiæ fundamentum esse. 184

Prop. IV. Illa verba *Lucæ* cap. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: et: *confirma fratres tuos* etiam ad Romanos Pontifices successores Petri referri debet. 185

Prop. V. Etiam illa verba *Joannis* cap. 21. *Pasce agnos meos*: *pasce oves meas*, non magis ad Petrum, quam ad Romanos Pontifices successores illius referri debent. 186

Cap. VI. De Infallibilitate Romani Pontificis, quatenus Ecclesiam docet. 187

Prop. I. Summus Pontifex errare non potest, dum Ecclesiam docet ea quæ sunt fidei, aut oves pascendo illas in fide confirmat. 188

Prop. II. Sedes Apostolica, Cathedra, et Ecclesia Romana sunt quid unum, atque idem cum Romano Pontifice, si ad judicia, definitionesque fidei attendatur. 190

Prop. III. Patres dum vel de doctrina fidei, vel de iis, quæ ad eamdem spectant, sermonem habuere, nomine Sedis, Cathedræ, et Ecclesiæ Romanæ, Romanos Pontifices intellexerunt. 192

Prop. IV. Sunt definitiones fidei non solum quæ ab omnibus credenda esse, sed etiam quæ servanda Summi Pontifices definiunt, et præcipiunt, sive quæ spectant ad mores. 193

Prop. V. Ea quoque judicia Summorum Pontificum, quæ versantur circa facta dogmatica, spectant ad definitiones fidei. 196

Prop. VI. Tribui non debet infallibilitas iis judiciis Pontificum Ro-

manorum, quæ non attingunt res fidei, sed alia, quæ cum fide tam stare, quam non stare possunt. 223
Cap. VII. De Suprema potestate legislativa Romani Pontificis super universam Ecclesiam. ibid.
Prop. I. Ex Sacris litteris evidenti argumentatione constat, penes Summum Pontificem esse supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam. ibid.
Prop. II. Suprema legislativa potestas Romani Pontificis vim cogendi in se continet. 225

LIBER QUINTUS

De Auctoritate Conciliorum. ibid.

Cap. I De diversitate Conciliorum, sive Synodorum. 226
Cap. II. De Jure convocandi Synodos. ibid.
Prop. I. Convocare Synodos proprio jure convenit tantum iis, quibus divinitus datum est regere Ecclesiam Dei. 227
Prop. II. Solus Summus Pontifex propria auctoritate, atque ordinario jure Synodos Œcumenicas indicere potest. 230
Prop. III. Indicere auctoritate propria Synodos Nationales convenit Patriarchæ, seu Primati, Provinciales Archiepiscopo, Diœcesanas Episcopo. 234
Cap. III. De Jure præsidendi Synodis. 235
Prop. I. Præesse Synodis Œcumenicis cum interiori potestate, solius Romani Pontificis proprium est. ibid.
Prop. II. Propria et ordinaria auctoritate præesse Synodis Nationalibus Patriarchæ, seu Primati, Provincialibus Archiepiscopo, Diœcesanis Episcopo convenit, non tamen una eademque ratione. 241
Cap. IV. De Jure confirmandi Synodos. 242
Prop. I. Jus veræ, et proprie dictæ confirmationis quoad ea, quæ in Synodis Œcumenicis decreta fuerint, Summo Pontifici tribui debet. ibid.
Prop. II. Ecclesiæ valde utile est, atque etiam regimini politico salutare, ut Imperatores decreta Synodorum Œcumenicarum corroborent ea confirmatione, quæ ad eorumdem exequutionem spectat. 250
Prop. III. Hoc genus confirmationis et Patres in Conciliis ab Imperatoribus petierunt, et Imperatores superaddidere semel editis decretis. 251
Prop. IV. Decretorum Synodi Œcumenicæ confirmatio, quæ in assensione quadam consistit, ab Episcopis singulariter haberi potest. ibid.
Prop. V. Decreta Synodorum Provincialium superiori auctoritate probata esse debent, ut vim obligandi habeant, non vero decreta Synodi Diœcesanæ. 252
Cap. V. De firmitate illorum argumentorum, quæ desumuntur ex Synodalibus decretis. 253

Prop. I. Synodus Œcumenica confirmata potestate Summi Pontificis est infallibilis auctoritatis, indeque quæ ex iis vel quo ad fidem, vel quo ad mores argumenta depromuntur, sunt omnino certa. 253

Prop. II. Synodi Diœcesanæ, Provinciales, atque Nationales non sunt divinæ auctoritatis, ac propterea non infallibile, sed valde probabile argumentum ducitur ex decretis illarum ad comprobanda dogmata fidei, vel morum. 257

Prop. III. Synodi Diœcesanæ, Provinciales, et Nationales semel ac in decretis fidei, aut morum a Summo Pontifice confirmatæ fuerint, infallibilem auctoritatem in se habent, adeoque firmissima argumenta ex eis depromuntur. ibid.

Prop. IV. Decreta Synodi Provincialis modo retinent eam tantum auctoritatem, quam habent in seipsis, licet a Sede Apostolica approbata fuerint. 258

LIBER SEXTUS

De Auctoritate SS. Patrum. 259

Cap. I. De ea certitudine, qua constat de Operibus SS. Patrum. 260

Prop. Opera SS. Patrum universe, et generatim dubia esse, contra omnem historiæ regulam ad arbitrium confingitur. ibid.

Cap. II. De ea ratione, qua constare potest, quid Patres senserint, atque tenuerint. 263

Prop. I. Falsum est, nobis constare non posse de vera sententia Patrum propter obscuritatem, quæ inde inhæreat in Operibus illorum, vel quia scripserunt de iis, quæ nondum in disputationem venerant, vel quia illis sæpe res fuit cum Ethnicis, atque Cathecumenis, vel quia metaphoras, aliasque figuras quandoque adhibuere. ibid.

Prop. II. Æstus disputationis non impedit, quin verum sensum in scriptis SS. Patrum assequamur. 266

Prop. III. Cognosci potest, immo revera omnino cognoscitur, quam sententiam Patres uti suam tradiderint, quam semper sequuti fuerint, quamque habuerint loco Catholicæ veritatis. 267

Prop. IV. Utrum sententia nonnullorum Patrum alicui singulari, an vero universali Ecclesiæ conformis fuerit, certissime cognosci potest. ibid.

Cap. III. De Auctoritate doctrinæ Patrum. 268

Prop. I. Quia Patres aliqui in nonnullos errores quandoque inciderunt, nemo inde æquo jure inferre potest, generatim doctrinæ hujusmodi Patrum auctoritatem denegandam esse. ibid.

Prop. II. In rebus Theologicis semper magni fieri debet auctoritas SS. Patrum, secundum se spectata, in aliis vero, quæ potissimum pendent a lumine rationis, tanti fieri debet, quantum ipsa ratio cogit, ut fiat. 269

Prop. III. Auctoritas aliquorum solummodo Patrum etiam in expositione Divinarum Scripturarum, aut in dogmate fidei probabile tantum, non certum argumentum, suppeditare potest. 270

Prop. IV. Auctoritas plurimorum Patrum, semel ac ea testimonium divinæ Traditionis non habeatur, valde probabile argumentum suppeditat, non tamen certum. 272

Prop. V. Quando plures Patres in aliquo capite doctrinæ inter se differunt, illorum maxime auctoritas probabile argumentum suppeditat, qui idem sentiunt cum Ecclesia Romana, quæ tamen alias nihil quo ad rem disputatam definierit. ibid.

Prop. VI. Communis, atque semper constans consensio Patrum in aliquo doctrinæ capite, quod ad fidem, vel mores spectare, ipsi docuerint, argumentum certum, atque firmissimum suppeditat. 273

Prop. VII. Communis, atque semper constans consensio Patrum in explicatione Divinarum Scripturarum argumentum certum, atque firmissimum suppeditat. 276

Cap. IV. De Auctoritate Liturgiarum. 277

Prop. I. Remotissima antiquitas Liturgiarum a nemine æquo jure negari potest. ibid.

Prop. II. Sacrarum Liturgiarum maxima est auctoritas, semel ac illæ cum antiquitate etiam consensionem Ecclesiarum, et potissimum Romanæ, sibi adjunctam habeant. 280

Prop. III. Ex Liturgiis prædictis firma argumenta depromuntur ad dogmata Theologica comprobanda. 282

LIBER SEPTIMUS

De Auctoritate Theologorum, atque Juris Pontificii Peritorum.

Cap. I. De Maxima utilitate Scholasticæ Theologiæ. 284

Prop. Scholæ Theologia quam maxime conducit in bonum Christianæ Religionis, ibid.

Cap. II. De Auctoritate Theologorum Scholasticorum in Disciplinis Theologicis. 289

Prop. I. Semel ac Theologi Scholastici in aliquo capite doctrinæ inter se dissentiant, eorum est sequenda sententia, quam vi ratiocinationis constat, aut certo, aut magis clare proficisci ex divino verbo scripto, vel tradito, vel ex communi consensione Ecclesiæ, aut definitionibus illius. ibid.

Prop. II. Sententia illorum Theologorum, quam constat habere quamdam affinitatem cum propositionibus ab Ecclesia proscriptis, est rejicienda præ altera illi opposita, quam ab hujusmodi propositionibus constat longe recedere. 291

Prop. III. Si agatur de duabus contrariis opinionibus Theologorum, quæ suum in ipsa ratione fundamentum habeant, illa est alteri præferenda, quam niti rationi magis evidenti, argumentatione manifesta detegitur. ibid.

Prop. IV. Communis consensio Theologorum in iis, quæ ad fidem, vel mores spectare, ipsi putaverint, maximam procul dubio auctoritatem habet cui quispiam sese temere opponeret. 292
Cap. III. De Auctoritate Juris Canonici in Disciplinis Theologicis. ibid.
Prop. Nimis multa sunt, quæ Theologus ex jure Canonico mutuetur oportet. 293
Cap. IV. De Auctoritate Canonistarum in disciplinis Theologicis. ibid.
Prop. I. In iis, quæ spectant ad fidem, aut mores, Theologus non indiget auctoritate Canonistarum explicantium difinitiones Summorum Pontificum, vel decreta Patrum. 294
Prop. II. Si agatur de ea morum doctrina, quæ ex lege divina, aut naturali ratione pendet, non est, cur Theologus recurrat ad interpretationem Canonistarum. ibid.
Prop. III. Auctoritas Canonistarum a Theologis plurimi fieri debet, semel ac agatur de Sacris Ritibus, de Ecclesiasticorum officiis, atque moribus, de pœnis item Ecclesiasticis, earumque absolutione, et remissione. 295

LIBER OCTAVUS

De Auctoritate Rationis naturalis. ibid.

Cap. unicum. De usu rationis naturalis in quæstionibus Theologicis. 296
Prop. I. Principia rationis, quatenus deserviunt argumentationi, sunt Theologiæ præsidium singulare, penitusque necessarium. ibid.
Prop. II. Principiis rationis Theologus utatur oportet, quando ostendi debet, in fidei dogmatibus nullam contradictionem inesse. 297
Prop. III. Usus principiorum rationis in Theologia est valde utilis, quatenus iisdem principiis dogmata fidei quasi sensibiliter quodammodo explicantur. 299
Prop. IV. Ratio fidei semper subjecta esse debet, et ista, uti domina præcedat, ilia uti ancilla, sequatur, oportet. ibid.

LIBER NONUS

De Auctoritate Philosophorum, atque Jurisperitorum.

Cap. I. De Auctoritate Philosophorum in Disciplinis Theologicis. 301
Prop. I. Doctrina Philosophorum magno adjumento esse potest disciplinis Theologicis. ibid.
Prop II. Quando Theologus aliqua mutuatur a Philosophis, diligenter expendere debet, utrum ea sint innixa rectæ rationi, et quo magis hoc constiterit, eo etiam securius iisdem uti poterit. 303
Prop. III. Semel ac Philosophi in rem aliquam unanimiter consentiant; tunc sane præcipue auctoritas illorum plurimum fieri debet. ibid.
Cap. II. De Auctoritate Jurisperitorum in Theologicis Disciplinis. ibid.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Prop. I. Aliqua Jurisprudentiæ principia quandoque utilia Theologis, atque etiam necessaria esse possunt. 304
Prop. II. Etiam Interpretes juris Civilis Theologis adjumento esse quandoque possunt. 305

LIBER DECIMUS

De Auctoritate Historiæ Humanæ. ibid.

Cap. I. De ea fide, quam humanæ historiæ æquo jure præstare possumus, atque etiam debemus. 306
Prop. I. De morali evidentia alicujus facti omnino constat, quando illud ita est comprobatum auctoritate plurimorum, ut unusquisque assensum illi præbere debeat, semel ac recta ratione utatur. ibid.
Prop. II. Nemo, si recta ratione utatur, fidem detrahere potest evidentiæ morali, quam aliquod caput historiæ in se habeat. 309
Prop. III. Quæ in se omnem moralem evidentiam non habent, rejici non debent uti improbabilia, semel ac illa ab aliquibus fide dignis tradita habeamus. 310
Prop. IV. In discutienda historica veritate ad rationem facti, non vero juris, attendi debet. 311
Cap. II. De usu Historiæ Humanæ respectu totius disciplinæ Theologicæ. 312
Prop. I. Humana historia suppeditat disciplinis Theologicis, quod ipsis non solum valde utile, sed etiam necessarium est. ibid.
Prop. II. Firmissimum argumentum a Theologo depromitur ex iis historiæ capitibus, quæ in se habent evidentiam moralem. 313
Prop. III. Aliquando probabile tantum, aliquando etiam certum argumentum Theologo suppeditatur ex iis, quæ aliqui viri graves, atque omni fide digni tradiderunt memoriæ posterorum. ibid.

LIBER UNDECIMUS

De illis Notis, quibus ab Ecclesia proscribuntur eæ propositiones, quæ veritatibus fidei magis, minusque adversantur. 314

Cap. I. De propositionibus hæreticis, hæresi proximis, hæresim sapientibus, de hæresi suspectis, hæresi, vel schismati faventibus. 315
Cap. II. De Propositione erronea, temeraria, scandalosa, male sonante et piarum aurium offensiva. 318
Cap. III. De Propositione blasphema, impia, divinæ pietati derogante, Ecclesiæ, et seculi potestatibus injuriosa, seditiosa, et schismatica. 320

2245
230
Cerboni, Thomas, O.P.C26
2245
AUTHOR
Institutiones Theologicae
TITLE